



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Œcumenica Cathedræ Apostolicæ Avthoritas

Reding, Augustin

[Ort nicht ermittelt], Anno M.DC.LXXXIX.

Articulus II. De Superioritate Papæ supra Concilium, vel econtra.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38717

ARTICULUS II.

De Superioritate Papa supra Concilium, vel econtra.

Rafate Cleri Gallicani declarationis articulus secundus ita se habet: Sic autem inest Apostolica Sedi, ac Petri successoribus, Christi Vicarijs, rerum spiritualium plena potestas, ut simul valeant, atque immota consistant sancta Oecumenica Synodi Constantiensis à Sede Apostolica comprobata, usque Romanorum Pontificum, ac totius Ecclesie usu confirmata, atque ab Ecclesia perpetua Religione custodita Decreta de autoritate Conciliorum Generalium, quae Sessione quarta & quinta continentur. Nec probantur à Gallicana Ecclesia, qui eorum Decretorum, quasi dubie sint autoritatis, ac minus approbata, robur infringunt, aut ad solum schismatis tempus Concilij dicta detorqueant.

Super cujus declarationis verbis Author Inextincta sacri Concilij Tridentini Veritatis talem facit reflexionem. Constat ex ipsismet hujus articuli verbis, non esse difficultatem in his, quae sunt Juris, dum decreta illa dicuntur non aliter immota subsistere, nisi quatenus approbata sunt à Sede Apostolica, ipsoque Romanorum Pontificum, ac totius Ecclesie usu confirmata fuere. Quare tota difficultas versatur in hoc, quod est Facti, an scilicet Decreta illa ita se extendant ultra schismatis tempus, ut quoad hanc extensionem obtineant robur & approbationem sedis Apostolicae, utpote per cujus characterem Christi in Concilio vicariè representativum, Synodus Oecumenica, infallibili Spiritus sancti assistentia munita, formaliter subsistit. Quanti proinde momenti sit, & in quem finem fiat ista reflexio, ostendetur in hujus articuli finali Summario.

Interea ad exactiorem praesentis rei examinationem faciendam, progressurus nobis sequentes disquisitiones proponere placuit. 1. Vtrum ex natura Concilij Oecumenici, & vicissim ex Oecumenici Papatùs essentia, hujus difficultatis definitio erui valeat? 2. In quo centro versetur praesentis articuli difficultas? 3. An Superioritas Papa supra Concilium demonstrari queat ex sacris Litteris? 4. Vtrum ex testimonijs ipsorum Conciliorum Generalium, variisque Actis historiarum Ecclesiasticarum? 5. An ex eo, quod à Concilio ad Papam, non econtra à Papa ad Concilium detur appellatio? 6. Quantum pro Concilij erga Papam superioritate probanda, valeat Concilij Constantiensis decretum Sessione IV. editum? 7. Quantum momenti ad praesens hoc institutum sit in Decreto ejusdem Constantiensis Synodi Sessione V. sancito? 8. An Constantiensis Concilij Decreta fuerint recepta ab Ecclesia & confirmata à Martino V.?

DISQUISITIO I.

Vtrum ex natura Concilij Oecumenici, ac vicissim ex essentia Oecumenici Papatùs superioritas seu Papa, seu Concilij demonstrari possit?

S. I.

AUthor tractatus de Libertatibus Ecclesie Gallicanae lib. 5. cap. 1. egregie animadvertit, contrarietas involvi in illo secundo declarationis Gallicanae articulo, quo dicitur. Apostolicae Sedi, ac Petri successoribus, Christi Vicarijs, rerum spiritualium esse plenam potestatem, & tamen subijci Concilio Generali. Quomodo enim inest Sedi Apostolicae plena potestas, si Concilij Generalibus subsunt Pontifices in ea Sedentes, etiam extra tempus schismatis. Scimus, B. Petro, & ejus successoribus commissam pascendarum ovium curam. Sed in quo Scripturarum loco ipse Petrus, ejusque successores legitimi Conciliorum Oecumenicorum jurisdictioni suppositi sunt? Si Romani Pontifices Christi vicarij sunt, & quidem proximi, & immediati, ut definitur Concilium Constantiense Sess. 43. adversus art. 37. Ioan. VVicleff. cui, nisi ei, cujus vices gerunt, subiacent? Quomodo est plena potestas, quae ab alterius arbitrio, vel iudicio pendet? Eius est, qui facultatem confert, facultatis uim praescribere, aut si ab altero praecribi voluerit, id clarè significare. Potestatem Romani Pontificis à Christo collatam fuisse, negare non audent Franci Catholici; eam plenam esse concedunt Episcopi Parisijs congregati. Debuerunt ergo, sicut in prima propositione, ita in ista secunda, Evangelij verba referre, quibus ducti sint, id est, in quibus Christus B. Petri, ejuque successorum potestatem, Divinitus traditam, Conciliorum Jurisdictioni subdidit, quantum ad alium, & exercitium.

Plurima e contra sunt, quae suadent, Concilia, à quibus absit Summus Pontifex legitimus & indubitatus, auctoritatem Pontificiam superiorem non habere, sed potius inferiorem. Primum quidem, quia secluso Summo Pontifice, difficile est, ut definitur Concilium Generale. Secundò, quia Concilium generale sine assensu Romani Pontificis congregari, vel saltem ius Decretis supremam auctoritatem dare non potest. Tertio, quia clarius exprit.

exprimitur in Scripturis sacris Summi Pontificis, quam Concilij generalis autoritas. Quarta, quia hanc doctrinam Sanctorum testimonia validius confirmant. Sed magis explicanda sunt, atque confirmanda.

Quoniam autem potest Concilium generale illud intelligi, aut cui Summus Pontifex cum reliquis Prælatiis interfit, aut verò quod sine Summo Pontifice, reliquis duntaxat Episcopis consistet. Satis patet, in declaratione Cleri Gallicani, accipi Summum Pontificem sine Concilio, illinc Concilium sine Summo Pontifice: cum declaratio Decretis Concilij Constantiensis nitatur, quæ aliam sententiam non admittunt.

Quæ tamen vel in hoc, vel in alijs tractantur, ejusmodi erunt, ut sufficiant ad ferendum de illa comparatione judicium. Sunt enim tria maxime, in quibus fieri potest comparatio, veritas fidei, ac morum disciplina, & judicia. Consentiant Chatholici adversus Panormitanum in Cap. Significasti. De elect. Concilij Oecumenici sententiam de rebus fidei, ac præceptis generalibus morum, in infallibili certitudine gaudere. Idem de Summo Pontifice in libro 7. probabimus. Nec ex eo, quod Papa Conciliorum verè generalium definitionibus circa fidem derogare non possit, consequitur; Concilium esse Pontifice superius. Nam perinde sequeretur, unum Concilium omnibus posterioribus præminere, cum quæ ab uno definita sunt, nequeant ab alijs immutari, utpote quorum sit firmissima veritas. Collatio circa Decreta de disciplinâ, ex doctrina de dispensationibus colligi potest. Constat enim ex Gallorum praxi, qui plures, & à Canonica Conciliorum disciplinâ magis exorbitantes dispensationes postulant, eos in Summo Pontifice auctoritatem super Decretis Conciliorum dispensandi agnoscere. Quot enim mihi numerabis in Gallia Episcopos, qui, vel ad retinenda simul plura Beneficia, vel ad mutandas sedes, vel alijs de causis, dispensatione non egeant? Denique quod spectat ad judicia, ex illa quæstione pender, an possit à Papa ad Concilium appellari, quam etiam in hoc libro attingemus.

Hoc Lectoris æquo judicio relinquentes, unice monendum duximus, an non sicut in Rege supremo distinguimus Regiam plenam potestatem formaliter, & quasi in abstracto spectatam, atque subjective quæ homini Christiano applicabilem, sicque quasi in concreto consideratam, ita ut illam, utpote Juris Divini negemus equidem, attamen quæ subjective sumptam, sub concretâ moralitatis cujuspiam in Regnum cælorum ordinabilis consideratione, in Rege Christiano asseveremus, subesse Romano Pontifici; pari ex ratione distinguere oporteat, inter Sedem Apostolicam formaliter, & quasi in abstracto; id est, in suâ præcisâ naturâ acceptam, nec non inter Pontificiæ auctoritatis ad hoc individuum suppositum applicationem quasi materiam, & in concreto sumptam, ita ut illa sit plena in spiritualibus potestas, attamen subjective considerata, quatenus inest huic perso-

næ, quasi per accidens, id est, non secundum suam intrinsecam conditionem, sed quoad usum ipsius, ex parte subjecti admittat moralitates, Ecclesiæ, adeoque Concilio Oecumenico Ecclesiæ Universalis repræsentanti, subjectas? Hoc equidem à meo sensu remotissimum est, ut id asseverare cogitem, sed unice proponendam duxi hanc difficultatem, ad rei præsentis momentum accuratius expendendum.

§. II.

Referuntur Doctorum sententiæ, & argumenta circa statum præsentis disquisitionis, unâ cum aliquali super ijs reflexione.

ARGUMENTUM I.

De Concilij Oecumenici definitione.

A Uthor Regalis Sacerdotij, Romano Pontifici asserti lib. 2. §. 1. n. 1. naturam Concilij Oecumenici describit sub hisce verbis. Concilium, inquit, Generale nihil aliud est, quam Conventus Ecclesiæ Pastorum, legitimâ auctoritate indictus, factus, confirmatusque, ad majora fidei & Religionis finienda negotia. Sicut enim ob publicas, communisque omnium Civium & Reipublicæ necessitates, convocantur à Principe Comitia generalia: sic cum fidei, quæ omnium Christianorum commune est bonum, periculum & bellum imminet, omnium Ecclesiarum Pastores evocantur, communem causam comuni voto acturi. Cum ergo oportuerit, in Ecclesiâ hæreses esse, Pastoribus, & præsertim Vicario Christi, data est cura, ne quid in fide turbaretur. Quemadmodum verò tota Ecclesia in ijs, quæ ad fidem spectant, errare non potest, ita & multò minùs totius Ecclesiæ Doctores, qui Ecclesiam in Concilio Universalis repræsentant, cum alioquin oporteret, Magistros à discipulis, Pastores ab ovibus, aurigam ab equis regi, corrigi, quo nihil absurdius dici potest, & tamen hoc dicendum esset, datâ Ecclesiæ infallibilitate, & negatâ Pastoribus. Hi tamen, cum non omnes in Concilium convenire possint (quis enim fideles interea pasceret, Pastoribus procul avocatis?) hoc ipsum non errandi privilegium præsentibus Concilio, à Christo concessum est, dicente: *Vbi cumque fuerint duo, vel tres in nomine meo congregati, ibi sum in medio eorum Matth. 18.*

Reflexio.

EX hac definitione constat, Concilij Generalis infallibilitatem reduci in hoc, quod sit repræsentativum totius Ecclesiæ. Hinc autè videtur singulari admiratione dignum, quod sacri Concilij Tridentini Patres passi non sint, huic Oecumenicæ licet, ac Generali Synodo præfigere titulum, ac si esset repræsentans Universalem Ecclesiam. Res à Pallavicino hist. Concil. Trident. lib. 6. cap. 2. n. 8. exarata, ita se habet: Secuta est alia contentio; quæ, tametsi ex nomine orta, diu Synodum turbavit, nec un-

D d 3

quam

quam sedata, sed solum identidem consopita, rursumque suscitata, importunas procellas penes usque ad extrema Concilij tempora conflavit: cum saepe contingat, voces non tanquam signa aestimari, sed quandoque tanquam etiam rerum causas. Ad epigraphen decreti sancienti de vitæ integritate in ijs, qui aderant, proposuit Baccius Marcellus Episcopus Fesulanus, ut adderentur ad majorem Concilij auctoritatem hæc verba: *Universalem Ecclesiam representans*, qui titulus, aiebat ille, à Synodis Constantiensis ac Basileensis desumptus, præmittendus non erat in Tridentinâ, etsi minoris frequentæ, non tamen minoris aestimationis, atque auctoritatis. In eam sententiam multorum aura conspiravit ex more Communitaris, præsertim recens coalescentis, quæ speciosis nominibus delectatur. At contra disseruit Augustinus Bonuccijs Aretinus, Ordinis Servorum Generalis Præfectus: illum titulum esse recens inductum, nec antiquis Concilij usitatum. Addiditque Pighinus, esse pariter supervacaneum, cum ex tenore diplomatis Pontificij, & ex decreto inchoandi Concilij, declararetur ea Synodus Universalis & Oecumenica: quæ nomina erant paræ significationis, sed majoris auctoritatis, & propter consuetudinem minoris invidiæ. Primus Præsidi utraq; sententiâ humaniter laudatâ, ad posteriorẽ se dixit accedere; illum titulum, velum quippe validissimum ad hæresin Lutheranam confingendam, non esse tam citò promendum, ne illorum auribus vulnus infligeret, adeoque in furorem ageret, quos ad resipiscendum alliciebant. Exemplum peti non posse à Synodo Basileensi, quæ in schismaticam degeneravit, & in quam ea fastuosa inscriptio Eugeni Quarti odium irritavit. A Synodo Constantiensis eam sibi appellationem ascitam ex peculiari ratione: cum enim diuturno schismate discinderetur Ecclesia, declarandum erat, eam integram à Concilio representari, adeoque vim habere, quâ per sua decreta rursus ad unitatem ipsam reduceret. Summum potius Pontificem imitarentur, qui, cum sibi liceret per titulum sublimitatem, cælum petere, mavult tamen in humili manere, & se abjectiori titulo insignire: *Servi servorum Dei*. Primi Legati sententiam Collegæ laudibus excipere, & cum ijs, quod magni apud Episcopos momenti fuit, Cardinalis Tridentinus eâ epigraphæ rejectâ, quippe aptâ inflammandis Lutherano-ruin odijs, adeoque illi tempori neutiquam opportunâ.

3. Ex quibus constat, illum titulum: *Universalem Ecclesiam representans*, fuisse rejectum, tum ne anla præberetur, eum interpretandi in sinistram partem, ac si Universalis Ecclesiæ representatio perinde, ac prætendebatur à Concilio Basileensi, sublitteret in Concilio avulso à Capite, Romano Pontifice Eugenio IV. & hinc prolapso in apertum schisma: tum ob verba eidem titulo in Concilio Constantiensis, dum nullum certum Caput habebatur, adjecta: *Quæ Synodus à Christo immediatam habet potestatem, cui quislibet cujuscunque status, vel dignitatis, etiam si Papalis, existat, obedire teneatur. Quæ licet efficacissimæ ad eum titulum præ-*

termittendum rationes, non eousque tamen prævalebant, quin postmodum in Sessione 23. ejusdem sacri Concilij Tridentini iterum vocaretur in controversiam ab Hispanis Episcopis sub Pio IV. prout videre licet apud Pallavicinum *dist. hist. lib. 21. cap. 12. n. 4.* At ne tunc quidem evincebatur, sed in suspensio relinquebatur is titulus, quæ creditur esse causa, cur in omnibus ad 23. usque Sessionibus, decreto Concilij præfigi soleret iste titulus: *Sacrofancta Oecumenica & Generalis Tridentina Synodus in Spiritu sancto legitime congregata*; sed postmodum à Sess. 23. ederentur decreta absque hoc etiam Oecumenicæ Synodi titulo, ac in ipso etiam sine Concilij præmitteretur tam iste, quam alter ab Hispanis, alijsque Episcopis prætensus titulus, uti parebit perulstranti decreta prætacti sacrosancti Concilij. Quandoquidem igitur ex tanti momenti rationibus, Curia Romana sit detestata illum titulum, sub quo Concilium indubitatò Oecumenicum, diceretur *Universalem Ecclesiam representans*, num illud, ejusque infallibilitatem definire, jam fas est ex hujusmodi universalis Ecclesiæ representatione? Sed ad hoc *infra S. 3.* respondebimus.

ARGUMENTUM II.

Operæpretum videtur, hic ex Authore cit. *tractat. de libert. Eccles. Gallic. lib. 5. cap. 2.* ostendere, quàm difficile sit, Concilium Generale sine Summo Pontifice definire, ejusque auctoritatem determinare. Concilium, inquit hic Theologus, Provinciale aliquando perfectum & plenarium dicitur, ut in *Canone 16.* Concilij Antiocheni, ubi sic definitur, *perfectum verò Concilium illud est, ubi intersuerit Metropolitanus Antistes*. Ferrandus pro perfectum interpretatus est plenarium *n. 144. Breviar. Canon.* quo loco Concilium Africa vocat etiam Universale. Hæc sunt ejus verba; *Vi Concilium universale non fiat, nisi causa communis, id est, totius Africa coegerit; ut Synodus plenaria tunc dicatur, cum Episcopus Metropolitanus adfuerit. Concilium Antiochenum tit. 16. vocatur etiam Universale, Concilium ex totâ Africa collectum cap. 19. Canonum Africanorum, si autem ad Concilium Universale accedere noluerit, &c.* In Gallia simili nomine donatæ sunt Synodi ex pluribus Provincijs congregatæ, ut fidem faciant Concilium Manticonense II. ac Tullense apud Saponarias Anno 869. Hujus Canon 13. his verbis concipitur: *Placuit omnibus, ut creditur, instinctu Divino, qui ad Universale Concilium in vicinâ Tullensium confluerunt, &c.* In Epistola Synodica ad Wenilonem Archiepiscopum hæc etiam leguntur; *Episcopi, qui ad Universale Concilium in Suburbano Tullensi conveniunt. Et in indiculo, quibus de rebus Salomonem commovere debeant. Placuit Universali Concilio. &c.* Concilium autem Sueffionense III. Anno 806. *Epistolâ Synodicâ 2. ad Nicolaum I. Papam sic scripserat: Sed neque ad generalitatis nostræ Synodum, si quando Apostolatus vestri auctoritas nostram fraternitatem pro quibuslibet emergentibus, vel imminutibus negotijs aggregandam decernit, &c.*

Sed

10. Sed in alio sensu intelligitur Concilium generale, dum ei Summus Pontifex subesse dicitur, nimirum pro Concilio verè generali, hoc est, ex universis Orbis Christiani partibus convocatum, quod Ioannes Gerfonius 10. 1. tract. de potest. Eccles. & de Origine Juris, & legum edito Constantiæ tempore Concilij generalis, considerat. 12. sic definit, Concilium generale est congregatio legitima auctoritate facta, ad aliquem locum, ex omni statu Hierarchico totius Ecclesiæ Catholicæ, nulla fidelis personâ, quæ addiri requiratur, exclusâ, ad salubriter tractandum, & ordinandum ea, quæ debitum Regimen eiusdem Ecclesiæ in fide & moribus respiciunt. Definitionem huic satis similem tradit Ioannes Major Doctor Parisiensis in cap. 18. Matth. Concilij, inquit, est congregatio ex omni statu Hierarchico, quorum inter est, convocata ab his, quibus incumbit, ad tractandum communi intentione de utilitate publicâ Christianâ.

11. Quocirca plures hinc nascuntur difficultates. Aliqui enim Generales Ordinum, & Abbates, alij alios, necessariò vocandos existimant. De Episcopis, inquit Gerfonius loco citato, & superioribus Prælatibus non est dubium, sicut juxta prædicta prædicatum sæpius invenitur in prioribus Concilijs, sed neque videtur ambiguitas esse de minoribus Prælatibus, qui sunt Curati, & Hierarchæ, neque de illis, qui ad hunc duplicem Prælatorum Ordinem reducuntur, quibus non ex Privilegio solo, sed ex statu, & ordinario Jure competit animarum cura, quemadmodum sunt multi Abbates, Decani, Præpositi, cum similibus. Et sanè in Concilio Hierosolymitano, quod veluti primum, atque aliorum exemplar proponitur, interfuerunt cum Apostolis Presbyteri, & utrorumque nomine conscripta est Epistola, Apostoli & seniores fratres, &c. visum est spiritus sancto, & nobis. &c.

12. Sed supposito juxta communiorè, & veriorè sententiam, Episcoporum tantum suffragia in Concilio generali necessariò requiruntur, ceteros autem non nisi ex privilegio, vel ad consilium dumtaxat vocè habere: dubium tamen supererit de numero Episcoporum. Licet enim juxta communem loquendi modum, universale, seu generale non appelletur, quod majorem partem non complectitur: tamen aliqua Concilia reputata sunt generalia, in quibus pauciores, quam in nonnullis particularibus interfuerant Episcopi. Exemplum habemus in Concilio Constantinopolitano tempore S. Damiani Papæ, ac Theodosij senioris Imperatoris.

13. Responderi posset, non tam attendi singulorum Episcoporum, quam Provinciarum numerum: sed recurrat difficultas. Nam in dicto Concilio generali plurimæ Provinciæ, scilicet occidentales, defuerunt. Quid ergo si major Provinciarum pars convenire aut non, aut non possit? Sufficiet, inquit, ut omnes vocati sint. Sed quis credat, Galliam ita sentire, quæ tam ægè Concilia Florentinum, Lateranense quantum, imò & Tridentinum tanquam generalia agnovit, ad quæ certè sciebat, vocatos omnes Episcopos Catholicos, quæque constabant ex majori Christianarum Provinciarum parte.

14. Repones. Concilia ex acceptatione Eccle-

sia, generalia censeri: sed hæc explicatio Concilij idæam confundit; hæc enim ipsa ratio non solum Concilia Nationalia, vel Provincialia, sed etiam Diœcesana possent generalium nomine gaudere, accedente Ecclesiæ acceptatione: ac frustra Conciliorum generalium potestas tantum extolleretur. Omnis enim eorum auctoritas in Ecclesiæ universæ consensionem, quæ sola, si adsit, sufficit absqueculvis Concilij congregatione, resolvitur.

Ex his, quæ de naturâ Concilij generalis dicta sunt, colligitur, quàm difficile sit, exactam illius definitionem statuere, si ab eo excludatur Summus Pontifex. Quod ideo addo; quia in eâ, quam tuemur, sententiâ, non multi refert, an universi omnino adsint Episcopi, an alij, quàm Episcopi: quinam ex Jure, quinam ex privilegio: an per se, an per Procuratorem; an absint sine causâ, an cum causâ; an invitati impediuntur absentes, an propria sponte abstineant; an consentiant omnes, an discrepent: & dum opposita sunt suffragia, an æqualis sit illorum numerus, vel quæ pars major, aut minor, imò an Concilium sit verè generale: cum enim suprema, & infallibilis sit Summi Pontificis sententia, eam, ceu Regulam semper tutò sequentur fideles.

At verò, si penes Concilium solum sit suprema auctoritas & infallibilitas, incerta sunt omnia, quia dubium est, per quos, & quomodo constitui debeat. Primum enim, si opus est, ut omnes Episcopi conveniant, & unaquæque pars Ecclesiæ per suum Pastorem representetur, & per universos Pastores Ecclesia universalis; nullum unquam potuit, aut poterit habere Concilium Oecumenicum, ut evidens est. Imò difficillimum esset, majorem partem congregari, ut dicemus alibi. Non representaretur autem Ecclesia, ubi à nemine representaretur pars ejus major.

Si vera esset Ioannis Gersonij, Ioannis Majoris, Jacobi Almaini, & Richerij sententia, scilicet Presbyteros omnes Curatos secundum praxin Concilij Basileensis, cuius meminit testis oculatus Cardinalis à Turrecremata in Summa de Ecclesiâ lib. 3. cap. 14. ejusque inconvenientia enumerat, jus habere non solum præsentis, sed etiam voti, & quidem decisivi, quandònam posset tanta Curatorum copia, cum tanta Episcoporum multitudine in eundem locum confluere? Quid ergo, si præterea etiam Abbates, Canonici Ecclesiarum Cathedralium, & alij vocandi sint? Concedit quidem Gerfonius Concilio, numerum suffragiorum augendi, vel minuendi, facultatem. Sed hæc cautio difficultatem minimè tollit, quia sciendum in primis est, quid sit illud Concilium, à quo suffragia ad minorem numerum reducenda sunt. Cumque istud incertum sit, nunquam certi esse possumus, an Concilium verè sit Oecumenicum, nisi ex illis omnibus constet, qui asseruntur Jus habere suffragij.

Supponamus autem rerum statum adeò commodum, ut convenire facile possint omnes, quos prædicti scriptores vocandos censent; si, ut incommoda vitentur, ne dicam absurda, quæ in deliberando circa singulas controversias

fias ex immensâ illâ hominum multitudine nascerentur, minuendus sit suffragiorum numerus; cum longè copiosior sit Curatorum, non ita negligenter sui Ordinis causam illi agent, ut saltem ex qualibet Diocesi unum superesse non velint, adeoque numero superabunt Episcopos. Vix enim fieri poterit, ut è centum, ducentis, aut multò pluribus Curatis cujuslibet Diocesis unus adesse non possit, cum è contra facile contingat, ut unus Episcopus impediatur. Tunc igitur prævalebit, ut numerus, ita & sententia Presbyterorum, Episcoporum judicio. Licet enim concedamus, cæteris paribus, præferendum esse Episcoporum suffragium; si Curatorum suffragia consona circa quandam de fide difficultatem longè plura sint, quam Episcoporum contrarium judicantium: nõnne major pars tunc Concilium esse censebitur, quantumvis Episcopalis dignitas longè sit Sacerdotali præstantior? Nam solet in omnibus Cætibus judicialibus, pro conclusione sententiæ, non qualitas, sed numerus suffragiorum, attendi, saltem si pars una maximo excessu alias superet.

19. Si autem in Concilijs servandum sit, ut non majoris *absolutè*, sed simul majoris, & sanioris partis debeat sententia prævalere, quemadmodum de alijs Cætibus insinuat Concilium Lateranense generale sub Alexandro III. anno 1179. aut secundum alios 1180. & expressè docet Textus Juris *Cap. Ecclesia vestra*, quod est 57. *De elect.* cum Glotsâ, & Doctoribus *ibi*; quamquam ex hodiernâ praxi, & omnium Scriptorum interpretatione major pars censeatur etiam sanior; quod inferri videtur ex Concil. Trid. *Sess. 23. de Regul. cap. 6.* an ea erit amplectenda sententia, quam tuebuntur Patriarchæ, Primates, & Metropolitanæ, contradicentibus Episcopis multò pluribus? Nequaquam, inquit, quia dignitates sunt istæ, ab Ecclesia institutæ, non a Christo; ita & ipse sentio; secus tamen alij. Illustrissimus Petrus de Marca, antequam etiam Metropolitanicam dignitatem esset adeptus, *lib. 6. de concord. cap. 1. n. 3.* earum institutionem ad Apostolos referendam probare conatus est. Idem etiam stauerat *lib. 1. cap. 3. n. 2.* Arnulphus Rufæus tractatum de Archiepiscopali dignitate orditur ab hac præfatione, in quâ de Jure Divino esse, demonstrare nititur *Pro sancto, & felici hujus materiæ initio*, inquit, *quærendum est, quo Jure instituta, est Archiepiscopalis auctoritas, seu dignitas. Et ut exordiamur ab ovo, dicendum videtur, quòd non humanâ ad inventionem, sed potiùs Divinâ quâdam constitutione ordinati sunt hi Archiepiscopi Metropolitanæ respectu suorum Suffraganeorum. Hoc probatur Jure Livino, Civili, & Canonico.*

20. Denique in sententiâ Gersonij, quo gradu majores Prælati minoribus præstabant in æstimatione suffragiorum? Quot Curatorum vota unus Episcopi sententiam æquabunt?

21. Ne quis suspicetur, nos animo minuendæ Conciliorum auctoritatis, difficultates illas de novo excogitasse, quibus impossibile fermè demonstratur, in Galloium sententiâ definire, quid sit Concilium generale: videat Lau-

noium *tom. 8. epist. 11.* quæ est ad Claudium Amelinum Parisiensem Canonicum, & Archidiaconum, magno perè desudantem, ut numerum Conciliorum generalium hæcenus habitorum assignet, varias eorum ex varijs Scriptoribus conditiones exponentem; ac tandem interroganti amico respondere coactum, difficile rem posse determinari. Quæ igitur erit fidei nostræ regula, in illius Scriptoris, & aliorum Gallorum sententiâ, qui non erandi privilegium Summo Pontifici adimunt; & Concilium generale, apud quod reponunt, certis nequeunt notis designate?

Reflexio.

21. Quod Theologus iste dixit difficile, censeo procul impossibile, ut Concilium Oecumenicum definiti valeat, absque interven-tu auctoritatis Pontificiæ. Omnis namque definitio constari debet ex eo, quod in re definita est materiale, ex quo delimitur ratio generis, & formale, ex quo petitur ratio speciei. In Concilio autem Oecumenico quali materiale est Congregatio Prælatum orbis Christiani, Formale autem juxta Domini *Matth. 18.* exarata verba, est Nomen Christi. Sed quomodò? An sub sola fidei in Christum, ejusque Nomen, invocatione? At hoc modo, ubi duo ex quocunque fidelium genere, ad petendum Veritatis Divinæ lumen, convenirent in fide ac nomine Christi, jam constituerent Synodum Oecumenicam, cum secundum præstatum textum Evangelicum, non ex majori, quam duorum, vel trium numero, si congregentur in nomine Christi, conllet Concilium Oecumenicum. Nomen igitur Christi, quæ Synodi Oecumenicæ forma, non præcisam Christi nominis Religiosam invocationem, seu Religiosam sub isto nomine ac fide consensionem, sed auctoritatem Christi nomine contentam significat, cujus etiam auctoritatis intra Concilium Oecumenicum interventio debet visibilis esse, ut respectu fidelium possit esse signum, Synodi qua Oecumenicæ, à non Oecumenicæ distinctivum. At numquid Christi, qui *loco cit.* dixit, se fore in medio duorum sub nomine suo convenientium, auctoritas principalis & personalis visibiliter interesse debet Concilio, ut sit Oecumenicum? Quæ ergo aia est, in terris Christi nomen præferens auctoritas, nisi ejusdem Vicaria, perinde ac Viceregentis potestas præfert nomen & auctoritatem Regis, cujus est vicaria? Hæc igitur Christi vicaria auctoritas, num de factò in alio reperiri potest, nisi in Summo Pontifice, cui in Petro dictum est: *Pasce oves meas, pasce agnos meos?* Ista proinde Christi Vicaria auctoritas ita præfert Nomen Christi, ut sit forma constitutiva, sicque distinctiva Concilij Oecumenici, nec adeò sine illâ potest fieri hujus definitio.

ARGUMENTUM III.

21. EX præfæcto fundamento facile jam est, describere Concilij Oecumenici substantiales conditiones, quas ex communi Doctorum

sententiæ Author *Regalis Sacerdotij lib. 2. §. 1. n. 2.* optimè deducit. Prima nempe est, ut Summi Pontificis mandato, vel approbatione fiat Concilium, ad quod Patres convocentur. *Cap. 12. ac seq. dist. 17.* quod videmus in primis quatuor Concilijs observatum etiam esse, quæ B. Gregorius eadem veneratione, quâ Evangelia, prosequatur, ut habetur in *Cap. Sicut. dist. 15.* De Concilio Nicæno primo patet ex præfatione ad Canones Concilij Nicæni, & in præfatione ad ipsum Concilium ex S. Isidoro, & Epistola Synodali ad Sylvestrum Papam *lib. 4. Concilij Nicæni*, quæ videri possunt *tom. 1. Concilior. Venetæ editionis.*

Secunda conditio est, ut Concilio Pontifex per se, vel suos Legatos interfit. *cap. 2. & 6. dist. 17.* Primo Nicæno nomine Sylvestri Papæ interfuerunt Osius Episcopus Cordubensis, Marcarius Episcopus Hierosolymitanus, Victor, & Vincentius Presbyteri Romani, ut habetur in epistola Synodali ipsius Concilij. *Nobis fol. 569. tom. 1. Concilior.* Concilio Constantinopolitano primo non interfuit quidem, multoque minùs per se, suosque Legatos præfedit Damasus Papa, quod Patres Romæ ad aliud Concilium evocasset, ut patet ex epistola ab ipsidem ad Damasum scriptâ, & actis Concilij Constantinopolitani insertâ: confirmatum tamen à Damaso fuisse, imò ejus jussu, & Theodolij indictum, colligitur ex sexta Synodo Constantinopolitana. *act. 18. post subscriptiones PP. nobis fol. 362. col. 2.* Et videri potest Baronius ad annum CCCLXXXI. Concilio Ephesino præfedit per suum Legatum S. Cyrillum, Cælestinus Papa, ut constat ex hujus ad Cyrillum epistolâ *tom. 1. Concilij Ephesini cap. 16.* & tres alios Legatos ad Concilium missos, Arcadium videlicet, Projectum & Philippum, qui tempestatibus jactati, sub finem Concilij Ephesini appulerunt, ut habetur *tom. 2. Concilij Ephesini cap. 13.* Concilio Chalcædonensi per Legatos Paschasium, Luentium, Bonifacium & Basilium præfuit Leo Papa, ut videre est in omnibus Concilij actibus, præsertim *actio- ne 3.*

Tertia conditio est, ut evocatio Episcoporum sit generalis, nec ullus Episcopus, ex quacunque orbis parte adveniat, excludatur; alioquin Concilium non erit generale, sed tantum provinciale, vel nationale, &c. colligitur etiam ex *cap. 9. dist. 19.* & ratio est præter allegatam, quia ad Concilium Provinciale ab Archiepiscopo omnes Episcopi totius Provincie vocandi sunt. *Dist. 18. per totum.* Ergo ad Concilium universale Episcopi totius orbis; cum Papa dicatur Archiepiscopus orbis. *Dist. 27. in fine.* ejusque Provincia sit totus mundus: accedit, quod omnes tangit, ab omnibus approbandum esse. *De Reg. Juris. in 6.* Causa verò fidei, & Religionis omnes tangit. Ergo omnibus vocatis, sed non comparantibus, auctoritas definiendi penes præsentem est, juxta promissum Christi *Matth. 18. Vbi duo, vel tres in nomine meo sunt congregati, ibi sum in medio eorum.* Non ergo numerus Episcoporum Concilium generale facit, sed jus omnibus factum, & legitimum, ut ex majori parte Christianarum

Provinciarum aliqui adveniant, omnes enim convenire, res est impossibilis, nec credi debet, voluisse Christum, auctoritatem Ecclesiæ necessariam ad casum, eventumque impossibilem adstringere; & ideo licet Concilium Carthaginense Nationale tempore D. Augustini Episcopus 217. numeraverit, Concilium verò Constantinopolitanum primum 150. Hoc generale fuit, non illud: & ad Concilia in Oriente habita pauci Occidentium, sicut ex adverso ad Concilia Occidentis pauci Orientalium convenere, nec minùs tamen consensu omnium universalia habita sunt. Vide S. Antonin. 3. p. 1. 23. §. 7. & Bellarminum *de Concil. cap. 17.*

Reflexio.

AD istas condiciones stabiendas, accom-
modè discernendum est inter Concilij
materiale, & *formale* generalitatem. Ad il-
lam equidem requiritur Author *præcitus*, ut
evocatio Episcoporum sit generalis, ita, ut
nullus ex quacunque orbis parte ad Synodum
adveniens, citra causam excludatur. At num-
quid Concilium Hierosolymitanum, cui au-
thoritate suâ Apostolicâ præerat Petrus, erat
Oecumenicum, ad quod tamen haudquaquam
vocati sunt universi vel Apostoli, vel etiam
Episcopi per orbem tunc dispersi? nisi fortè
(quod tamen, præter Paulum & Barnabam,
de reliquis Apostolis negant plerique) dix-
eris, esse Spiritus sancti instinctu compulsos ad
comparendum in eo Hierosolymitano Con-
cilio. Quod si igitur Concilio huic ita de-
fuisse *materiale* generalitas, an propterea
censendum non esset inter generalia Concilia?
At cum denominationes fieri soleant ex for-
ma, non ex materia, numquid Oecumenicâ
nempe Apostolica Petri auctoritas, huic Syn-
odo tribuebat suam *formalem* generalitatem,
ex quâ meritò dicendum sit generale?

Econtra ultra illud Hierosolymitanum
Concilium, constat ex *tom. 1. Concil. circa ini-
tium.* plures adhuc celebratas esse ab Aposto-
lis Synodos, quarum uni alterive, præcipuè
extra Hierosolymam celebratâ, non potest de-
monstrativè ostendi, quod Petrus interfuerit.
Anne igitur, si Petri præsentia non intervenisset,
sed Pauli, negare fas esset, talem Synodum
Apostolicam fuisse Oecumenicam? Num-
quid enim Paulus *Nomen Christi* ita præfe-
rebat coram Gentibus & Regibus, & filiis
Israel, ut ipsius Apostolica auctoritas esset Ge-
neralis & Oecumenica? Quomodò igitur fie-
ri potuisset, ut Concilio illi non importaret
formalem generalitatem, absque interventu
Apostolicæ Petri auctoritatis? Quandoquid-
dem igitur pars adversa prætendat, ea ad A-
postolos *Matth. 18.* universim dicta Christi
verba: *Quidquid alligaveritis &c. quidquid sol-
veritis &c.* ita importare Apostolicam, atque
adeò Oecumenicam auctoritatem, ut hæc
etiamnum perduret in Synodis Generalibus;
quomodò generalitas illa *formalis* non æquè
subsisteret in Concilijs generalibus absque in-
terventu Petri per reliquos Apostolos celebra-
tis. In hoc igitur centro fiat ex parte adver-

sâ præsentis articuli fundamentum, uti inferius expenditur.

CONCLUSIO I.

28. **R**atio quidditativa Concilij Oecumenici optimè reducitur ad hoc punctum, quòd sit *representans universam Ecclesiam*.

Explicatur. Ad intentum nostrum non parum deservit, quod Divus Augustinus *epist. 164.* scripsit: *Ordinem Episcoporum Romanorum verè & salubriter numerari ab ipso Petro, eò quòd huic totius Ecclesiæ figuram gerenti Dominus dixerit: Super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam.* Numquid enim per hoc clarè dicitur Petrus, utpote totius Ecclesiæ figuram gerens, esse *representativè tota Ecclesia*? Numquid autem illa Christi verba ad Petrum, cum ordine ad Ecclesiæ portis inferi nunquam superandæ statum perpetuum, prolata contingunt Petri successores, aded, ut in his, nempe quovis legitimo Romano Pontifice subsistat jam illa prærogativa, secundùm quam sit totius Ecclesiæ figuram gerens, seu representans Universalem Ecclesiam? Num verò hinc venit inferendum, illum Concilij Generalis titulum, quòd sit *representans Universam Ecclesiam*, derivari ex caractere Pontificiæ Christi Vicariæ autoritatis caractere, seu formâ essentiali Concilij quâ Oecumenici?

29. Verùm ad hoc magis expendendum deservit, sequentem annotare pro rei præsentis statu maximè accommodam distinctionem. Nempe cum Ecclesia sit unum Corpus Hierarchicum, utique non acephalum, ideo in ejus Capite representatur universa Ecclesia quoad plenitudinem vicariæ à Christo acceptæ potestatis, cujusmodi tamen autoritas derivatur *participativè* in quarumlibet particularium Ecclesiarum, seu unius Corporis Hierarchici membrorum, Episcopos. Unde in ejusmodi corpore Hierarchico eatenus est representatio totius Ecclesiæ *quoad potestatem gubernativam*, ut in Summo Pontifice sit tanquam in Capite, in reliquis autem Episcopis tanquam membris illi Capiti subordinatis. Si proinde Caput cum membris in Concilio Oecumenico conveniat, tunc *absolutè* dicere licet, ejusmodi Synodum representare Universam Ecclesiam, seu corpus politicum sive Mysticum, constans ex Capite & membris Hierarchicis huic subordinatis. Si verò (dum præsertim Ecclesiâ est Capite destituta) Episcopi ex universâ Ecclesia congregentur in Concilium, tunc in hoc est Ecclesia *representativè*, non *absolutè*, sed cum addito *Tacitè* saltem subintellecto, nempe *quoad corpus acephalum*: ipse verò Summus Pontifex ita dici potest totius Ecclesiæ figuram gerere, seu representare universam Ecclesiam, ut *Tacitè* subintelligatur, istam representationem convenire Papæ in virtute Capitis, seu vicariæ Christi autoritatis.

30. Hoc jam adaptando Concilij tum Constantiensis, tum Basileensis, non ineptè sit se-

quens consideratio, quòd nempe Concilium Constantiense fuerit in statu tendentiæ ad certum aliquod Caput constituendum. Quemadmodum igitur corpus organicum etiam pro priori, formâ rationalis informationem antecedenti, jam verè dici potest humanum, non equidem *absolutè*, sed cum *tacito* saltem addito *dispositivè & materialiter*; sic Synodus constata ex totius orbis Christiani Episcopis, non adhuc equidem informata caractere Vicarij *Nominis Christi*, subsistens tamen sub tendentiâ ad Vicariâ Christi autoritatè intrâ suum gremium recipiendâ, ut ab eâ, seu formâ suâ *essentiali*, perficiatur, jam dici potest *materialiter* Oecumenicum, representansque Universam Ecclesiam, cum *intrinsicâ* habitudine ad formalem quoque caractere Vicariæ, totam Ecclesiam supereminenter representantis, potestatis Apostolicæ, eatenus recipiendum, ut ex tunc *absolutè* appellanda sit Oecumenica, representans universam Ecclesiam.

Econtra verò Synodus Basileensis, ex quo legitimus Pontifex Apostolicæ autoritatis suæ caractere ei subtraxit, cum non tantum non esset in dispositione ad eum recipiendum, sed per schisma à semet introductum, esset in dispositione contrariâ, ne quidem *materialiter* poterat ex tunc dici representans universam Ecclesiam, quippe cum de essentiâ materiæ sit aptitudo ad formam sui perfectivam, ejusmodi verò ad Apostolicæ Christi Vicariæ autoritatem recipiendam aptitudinis expers profluens facta sit illa Basileensis Synodus, ex quo per schisma se avulsit à legitimo Summo Pontifice. Quibus sic constitutis, nullum profusus dubium esse potest, quòd Concilium Tridentinum *absolutè* fuerit representans Ecclesiam Universam, à quo tamen titulo propter æquívocationem tum ex Basileensis Synodi iniquâ usurpatione, tum ex adjunctâ clausulâ *inferius* examinandâ obortam, videbatur pro tunc *conscientiè* abstinere.

CONCLUSIO II.

31. Concilium Oecumenicum rectè definitur *Conventus Episcoporum ex toto Christiano orbe convocandorum, sed in paucissimo licet numero componentium Apostolicâ, Christi nomen præferente, autoritate informatus.*

Explicatur. Sub *Christi nomine* venire autoritatem Apostolicam, evincitur etiam ex *Act. 9. cap. v. 15.* ubi Dominus de Saulo ad se converso dixit Ananias: *Vade, quoniam vas est electiois, ut portet nomen meum coram gentibus, & Regibus, & filijs Israel.* Hisce namque verbis Christus Saulum sibi elegit in Apostolum, qui tanquam Legatus suus portaret nomen suum. Sub hoc igitur Christi nomine intelligebatur autoritas Apostolica Paulo destinata, ut, quemadmodum Legatus cujuspiam Regis portat hujus nomen, quatenus ex commissione Regiæ autoritatis in se transfusæ peragit negotia sibi à Rege demandata, sic quia Apostoli, ipsomet Paulo attestante, pro

Christo

Christo fangebantur legatione, ideo portabant nomen Christi: sicque sub ipso Apostolicæ autoritatis caractere præfertur Christi nomen. Istud proinde nomen Christi Apostolicæ autoritatis caractere denotatum, est forma Concilij Oecumenici per Christum sancta sub illis Christi Domini verbis *Matth. 18.* exaratis. *Vbi duo, vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* At verò caractere autoritatis Apostolicæ, postquam Apostoli ex Ecclesiâ militante sunt translati in triumphan-tem Ecclesiâ, in nullo alio de facto existit, quam in Romano Pontifice. Quia igitur nomen Christi, sub cuius caractere subsistit forma Concilij Oecumenici, importatur in autoritate Apostolicâ, idcirco absque hujus ceu formæ essentialis interventu, nequit iam ullum excogitari Concilium Oecumenicum.

33. Dices. Episcopos esse successores Apostolorum, quibus potestas Jurisdictionis data est immediatè à Christo, siquidem Christus non ad solum Petrum, sed ad universos Apostolos dixerit *Matth. 18.* *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in Cælis, & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in Cælis.* Quòd si ergo Episcopi conveniant in uno Generali Concilio, jam ex se ipsis præferre characterem illius Apostolicæ autoritatis, atque adeò Concilium ejusmodi fore non materialiter duntaxat Generale, sed formaliter Oecumenicum.

34. Verùm nefas est, dicere, quòd Episcopi in Apostolatu, seu in Jurisdictione Apostolicâ, ut sic ad universum orbem se extendente, successerint etiam quoad partem duntaxat ejusmodi Jurisdictionis, licet quoad Ordinem consecrationis meritò dicantur Apostolorum successores, quatenus scilicet eodem cum Apostolis poriuntur Ordinis Episcopalis caractere, importante equidem radicalem quandam spiritualis erga Christianos, sibi per Papam designandos jurisdictionis exigentiam, non ineptè dici solitam radicalem Jurisdictionem, minimè tamen reducendam in actualis jurisdictionis statum, nisi ex Summi Pontificis concessione; veluti Divus Thomas 4. contra Gent. cap. 74. rat. 41. eleganter nos edocet, *Christum specialiter promississe Petro: tibi dabo claves Regni Cælorum; ut ostenderetur potestas Clavium per eum ad alios derivanda, ad conservandam Ecclesiæ unitatem.* Unde in 4. dist. 20. quæst. un. art. 4. quæst. unc. 3. ait, quòd *Papa habeat plenitudinem potestatis Pontificalis quasi Rex in Regno: Episcopi autem assumantur in partem sollicitudinis pastoralis, quasi Iudices singulis civitatibus præpositi.*

35. Nec obstat, quòd Paulus *Act. 20.* dicat, *Episcopos esse positos à Spiritu sancto regere Ecclesiâ Dei.* Unde videtur evinci, ab ipsomet Spiritu sancto, adeoque Divinitus convenire Episcopis potestatem gubernativam in Ecclesiâ. Nam ea Apostoli sententia eatenus intelligenda est, quatenus in ipsamet Apostolicæ potestatis, quâ ordinariæ in successores transferibilis, non nisi Petro concessæ, collatione ac institutione superat præceptum Divinum de ordine Hierarchico Ecclesiæ instituen-

do, atque adeò de creandis Episcopis, vocandisque à Papa in partem suæ pastoralis sollicitudinis. Quare ex vi hujus Divinæ institutionis in actu quasi signato spectatæ, cuius executio est Papæ Divinitus præcepta, verissimè dicuntur Episcopi Divinitus positi à Spiritu sancto ad regendam Ecclesiâ Dei, licet in vi executionis quoad actualem potestatis in Ecclesiâ gubernativæ exercitè faciendam collationem, eatenus dependeant à Papa, ut non nisi ex isto secundum viam potestatis ordinariæ, ex cæteris autem Apostolis secundum viam extraordinariæ duntaxat, & quasi personalis, atque adeò cum ipsorum personis extinctæ à Christo sibi commissæ legationis, possit in quemquam Episcoporum esse, vel fuisse unquam derivata aliqua Ecclesiastica Jurisdictio. Unde tantum abest, in Episcoporum, quantumvis ex toto orbe Christiano confluentium, materialiter generali conventu subsistere nomen Christi, sive characterem Apostolicæ autoritatis, quamdiu non intervenit Summi Pontificis Oecumenica autoritas, ut absque hujus gratiosâ concessione, ne jus quidem obtinere valeant, cum cæteris à Sede Apostolicâ jam confirmatis Episcopis interveniendi Oecumenicæ Synodo.

36. Replicabis. Quandoquidem in cæteris, ultra Petrum, Apostolis, non quidem per viam ordinariæ potestatis, sed per viam extraordinariam personalis legationis, subsisteret Apostolicæ autoritatis character, in vi cuius intra Ecclesiâ portarent Christi nomen, fore consequens, Petro etiam non interveniente, potuisse à reliquis Apostolis celebrari Oecumenicum Concilium, ex Christi nomine, seu autoritatis Apostolicæ caractere formaliter constitutum.

37. Verùm hoc etiam posito, cum reliquorum, ultra Petrum, Apostolorum autoritas Apostolica, utpote se habens per modum legationis personalis, expiravit cum ipsorum personis, firmum adhuc subsisteret, saltem pro statu præsentis, impossibile esse, quòd character Concilij Oecumenici formaliter constitutivus, absque interventu Petri successoris, intercedere valeret. Haud equidem dubium est, Pauli autoritatem Apostolicam fuisse verè Legislativam, ipsomet 2. ad Thesalonicensis 4. dicente: *Scitis, quæ præcepta dederim vobis.* Nec dubium est, quin hic Apostolus habuerit sibi assistentem Spiritum sanctum, ex quo condere valebat fidei dogma de solubilitate matrimonij etiam quoad vinculum, quando viro ad fidem converso, vel econtra, mulier in infidelitate contumaciter persistens, erat illi occasio injuriæ erga Creatorem. Quam proinde Divinitus concessam autoritatem, quia Apostolus ille ex se solo exercuerat, utique potuisset etiam in & cum Concilio aliquo per semet aggregato eam exercere. Nihilominus tale Concilium, quantumvis autoritate ejusmodi Apostolicâ, vel etiam speciali quâpiâ Paulo concessâ revelatione Divinâ munitum & informatum fuisset, strictè loquendo, haud dicendū fuisse Oecumenicum, patebit ex sequenti disquisitione, tamen æquivalenter, ac virtualiter posset taliter denominari

ex omnimoda in rebus fidei decernendis, infallibilitatis sibi assistentis caractere.

Corollarium.

38. **E**X dictis jam facile est, definire sequentes
In nostro primo Inextinctæ veritatis sacri Concilij Tridentini tomo tract. proœminali q. 1. & 2. fusè discussas disquisitiones. 1. An Ordinaria & perpetua potestas convocandi Concilium Generale & Oecumenicum sit penes solum Romanum Pontificem? 2. Vtrum in Concilio Generali suffragandi potestas sit penes solos Prælatos majores, hoc est, Episcopos, Archiepiscopos: extraordinariè verò penes Cardinales, Abbates & Generales Ordinum? Quarum adeò disquisitionum resolutiones eo loco factas, ex parte saltem huc revocare placuit.
39. Infertur igitur 1. Eo ipso, quòd Romano Pontifici sit proprium, præferre nomen Christi, seu Vicariam ejus auctoritatem, ipsi soli jus est, convocandi Oecumenicum Concilium, Ratio hujus fundamentaliter petenda est ex illis Christi Domini *Matth. 16.* ad Petrum prolatis verbis: *Tu es Petrus; & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: & tibi dabo claves Regni Cælorum; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis &c.* Etenim convocatio Synodi Oecumenicæ ad illum spectat, qui & auctoritatem præcipuam habet in fidei dogmatibus ex illibato Dei verbo sancendis, & potestatem, universos Christi fideles suis præceptis obligandi, in ijs præsertim materijs, quæ fidem ac Religionem, totiusque Ecclesiæ unitatem & conservationem concernunt: hic enim unicus est scopus ac finis Conciliorum universalium, tum fidei Dogmata adversus hæreses ex sacris Litteris sancienti, itaque Ecclesiam Orthodoxam servandi immunem ab erroribus fidei contrarijs, tum leges Religionis ac Cultui Divino consentaneas pro Ecclesiasticis præsertim statuendi. Atqui ex prædictis Christi Domini verbis efficaciter demonstratur, potestatem universos Christi fideles in materijs fidem præcipuè ac Religionem, Ecclesiæque adeò unitatem & conservationem concernentibus obligandi, esse penes legitimum Petri successorem, nempe Romanum Pontificem.
40. Minor ista probatur. Nam ad Petrum demonstrativè ac determinatè diriguntur illa Christi Domini verba, quibus indefinitè ac universaliter promissa est potestas Clavium, in ordine ad solvendum, ac ligandum, atque adeò ad ferendum leges, itaque hisce medijs, ad obligandum fideles in materijs fidem & Religionem, Ecclesiæque unitatem concernentibus. Illa ipsa autem verba secundum clarum sacri Textus tenorem, sunt à Christo Domino prolata cum connexionione ad præcedentia: *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Unde planum est, illam potestatem Petro promissam, esse connexionam cum Ecclesiâ per Christum fundatâ. At potestas connexa cum statu Ecclesiæ per Christum fundatâ durare debet, quamdiu talis Ecclesiæ status subsistit. Eo ipso autem, quòd Christus Dominus promiserit, adversus Ecclesiam à se fundandam portas inferi non fore

prævalituras, sequitur, Ecclesiæ hujusmodi statum fore perpetuum, adeoque duraturum usque ad extremi judicij diem. Oportet igitur, secundum Christi Domini verba, illam indefinitam & universalem ligandi ac solvendi potestatem non expirasse in Petro per martyrium in cælos sublato, sed perpetuo duraturam esse usque ad diem judicij. At potestas cum Ecclesiæ statu perpetuo connexa, atque adeò perpetua secundum ipsam rei naturam, ita transit in successores, ut isti cum suo antecessore reputentur una persona, non quidem materialiter, sed formaliter, quoad potestatem officij Pastoralis. Oportet igitur, secundum Christi Domini promissionem, in Ecclesiâ talem esse successionem, vi cuius perpetuò persistat illa Divinitus promissa, indefinita & universalis ligandi ac solvendi potestas, cummodam adeò respectu Ecclesiæ omnes Christi fideles complectentis, judicariam & legislativam auctoritatem importans. Atqui abibi demonstratur à nobis, istam Petri successionem stare penes Ecclesiam Romanam, sive ejus Pontificem. In hoc igitur ex jure Divino, Christi Domini promissione firmato, stat omnimoda judicaria ac legislativa ligandi & solvendi potestas, in ordine ad Ecclesiam à Christo fundatam, complectentem universos, qui per Baptisma fidem concipiendo, in Ecclesiæ unitatem sunt aggregati.

Cum igitur convocatio Concilij ad illum spectet, qui auctoritatem præcipuam habet in fidei dogmatibus ex illibato Dei verbo sancendis, fidelesque in materijs fidem ac Religionem, Ecclesiæque unitatem concernentibus obligandi, ejusmodi verò auctoritas sit penes Romanum Pontificem, idcirco indubitatum est, eam convocandæ Oecumenicæ Synodi potestatem esse penes Pontificem Romanum.


Infertur 2. In Concilio Generali suffragandi potestatem ordinariè esse penes solos Episcopos & Archiepiscopos, extraordinariè verò penes Cardinales & Abbates, ac Generales Ordinum. Ratio est. Hujus namque resolutionis fundamentum desumendum est ex ipsamet Divinâ Concilij Oecumenici institutione à Christo Domino *Matth. 18.* sancitâ, in vi cuius Concilium Ecclesiæ non est legitimum, nisi congregetur in nomine Christi, id est, Vicariâ in terris visibili Christi auctoritate. Ex hoc enim principio fit consequens, quòd omnes illi jus suffragij habeant in Oecumenico Concilio, qui in nomine Christi, sive hujus vicariâ in solo Romano Pontifice residente auctoritate sunt congregati, ad fidei controversias dijudicandas & decidendas, his enim tali auctoritate in unum congregatis præstò est assistentia Divina Christi, promittentis, se in medio eorum fore. At verò sicuti Episcopi ordinario Hierarchiæ Ecclesiasticæ jure, Cardinales autem ac Abbates extraordinariâ Privilegij Apostolici facultate sunt à Pontifice vocati in partem pastoralis sollicitudinis, sic omnes isti jure tum Ordinario, tum Extraordinario ejusdem Pontificis auctoritate Christi vicariâ, atque adeò nomine Christi in Concilijs Oecumenicis ad fidei controversias definiendas, hæresesque in Ecclesiâ

eleſiã obortas damnandas, congregantur ex antiquiſſimo Eccleſiæ more.

43. Sic enim (Pallavicino lib. 6. Hiſt. Concil. Trident. cap. 2. n. 4. id probante) non in tribus poſtremis ſolùm Concilij, Conſtantiendi, Florentino, ac Lateranenſi Generales Ordinum Religioſorum præſecti, atque Abbates poteſtate ſuffragandi uſi; ſed in Viennenſi in Gallia, in duobus Lugdunenſibus, & in alijs quatuor Lateranenſibus juxta ac Epifcopi habitũ ſunt. Cujus etiam moris veſtigium fatiſ apparet in ſeptimã Orientali Synodo, ubi in ſecundã Actiõne Monachi pariter advocantur ad ſuam ſententiam proferendam: & in Actiõne quartã Archimandrita & Hegumeni, hoc eſt, Duces, unius, vel plurium Monafterium præſecturam gerentes, unã cum Epifcopis ſua nomina decretis Fidei ſubſcribebant. Huc accedit, Abbates, cùm inaugurantur, obſtringere ſe jurejurando, itidem ac Epifcopi ſolent, ut Concilio interſint, ubi à Pontifice advocantur. In Romanæ pariter Eccleſiæ Ritualibus connumerantur Abbates inter eos, qui jus ſuffragij obtinent in Concilijs; additurque, id poſtea meritò ad Religioſorum ſummos Præſides inductum.

44. Ex quibus proinde liquet, Epifcopos ex Ordinarij juris poteſtate, Abbates verò ex privilegio veteris conſuetudinis, habere illum characterem, vi cujus obtineant jus ſuffragandi in Concilijs Oecumenicis: dum in nomine, id eſt, Vicariã Chriſti authoritate congregantur.

45. Inferitur 3. Pontificiam authoritatem in hoc equidem æquiparari cum ſupremã politicã Regiã poteſtate, quòd utraque formaliter in ſe, ac in abſtracto, ſecundùm ſuã eſſentiam institutionem ſpectata, ſit Iuris Divini, attamen dilcrepare in hoc vel maximè, quòd illius, non iſtius collatio, atque adeò ad certum individuum ſuppoſitum applicatio ſubjectiva, ſit etiam quoad intrinſecam ſuam rationem Iuris Divini. Unde ſit conſequens, Regiam quidem poteſtatem quoad ſui moralem applicabilitatem ſeu ſubjectivam, ſeu eſſectivam, quã in Regnum Cælorum ordinabilem, ſubſeſſe clavibus Eccleſiæ, attamen in ordine ad ſubjectivam Papatilis eminentiæ applicabilitatem in terris nullam eſſe authoritatem, quæ ſuper eã ſe poſſit ingerere, licet quoad modum electionis ſolùm accidentariæ, Eccleſiæ ſit poteſtas, ſuper eo decernendi; prout dicitur in ſubſequentibus præcipuè Diſquiſit. Ubi exactior exhibebitur reſolutio dubij in præſ. diſquiſit. §. 1. n. 5. adducti.



DISQUISITIO II.

In quo centro verſetur præſentis articuli difficultas?

§. I.

1. Concilium Univerſale in quadruplici ſtatu conſiderari poteſt. 1. Tanquam acceptum, vivente tãam Pontifice, abſque ejus

authoritate & conſenſu congregatum. Ut ſic autem nullam omninò habet poteſtatem condendi leges obligantes Eccleſiam, ſiquidem iſta authoritas legatur Petro, ejuſque ſucceſſoribus, non autem univerſitati Prælatorum Eccleſiaſticorum data, quin potiùs iſtis etiam congregatis tanquam membris non aliter competat, niſi per derivationem ex conceſſione Pontificiã. Eo ipſo autem, quòd Concilium abſque Pontificis authoritate ſit congregatum, caret tunc Capite, ex cujus influxu participare poſſit juridiſtinctionem.

2. Poteſt Concilium eſſe congregatum authoritate Pontificiã, atque tunc controvertitur inter Doctores, an vi convocationis eo ipſo habeat à Pontifice poteſtatem ferendi leges, quæ antecedenter ad Pontificis approbationem ligarent Eccleſiam. Affirmant enim Bonacina diſp. 1. q. 1. p. 3. n. 13. Victoria in reſeſſ. de poteſtate Papæ q. 1. n. 6. Econtra Cajetanus opuſc. de comparat. Papæ & Concilij. Navarrus lib. Conf. tit. de Concil. conf. 1. n. 2. Caſtopalaus de Legibus. punc. 23. n. 15. & alij arbitrantur; ex vi illius authoritatiæ convocationis ſummum Pontificem poteſtatis ſuæ de univerſali Eccleſiã per leges obligandã delegationem non in tantum facere, quin pro tali obligatione introducendã, opus adhuc ſit approbatione Pontificiã, eò vel maximè, quòd omnia Concilia Generalia ſoleant à Summo Pontifice poſtulare Decretorum ſuorum confirmationem, veluti à Concilio quoque Tridentino ſeſſ. 25. in fine factum conſtat. Unde videtur evinci, quòd ipſamet etiam Concilia Generalia judicent, leges ſuas, ad obligationem toti Eccleſiæ inducendam, indigere adhuc approbatione Pontificiã.

3. De Concilio authoritate Papæ congregato, poſſet moveri difficultas; An ipſi per ſummum Pontificem poſſet fieri talis delegatio juridiſtinctionis ſuæ Pontificiæ, ut vi talis delegationis leges quæcumque ſtatuant, eo ipſo abſque ulteriori Pontificis approbatione ligarent univerſalem Eccleſiam? In quo equidem affirmat Salas de Legib. diſp. 8. ſeſſ. 19. n. 92. Econtra negat Suarez cit. lib. 4. cap. 6. in fine, eò quòd leges Canonice obligantes totam Eccleſiam, proficiſci debeant à poteſtate, quæ in rebus ad mores pertinentibus errare non poſſit. Hæc autem poteſtas pendens à ſpeciali Spiritùs ſancti directione Pontifici promiſã, æquè non eſt delegabilis, atque poteſtas articulos fidei definiendi delegari non poſſit. Verùm Caſtopalaus cit. punc. 23. n. 30. videtur optimè diſtinxiſſe. Aliæ enim ſunt leges, quæ non tam ſunt poſitivæ conſtitutiones, quàm definitiones fidei, & conſiſtiones ex principijs tum revelatis, tum naturalibus deductæ: cujuſmodi cenſetur eſſe lex prohibens matrimonia evnuchorum, bigamiam, coitum vagum, mutuum dare ſub uluris, & fortè præſcriptionem rei malã fide poſſeſſæ. At eo ipſo, quòd aſſiſtentia Spiritùs ſancti ad ejuſmodi leges requiſita delegari nequeat, ſequitur, neque poteſtatem leges ejuſmodi ferendi eſſe à Pontifice delegabilem. Aliæ proinde leges ſunt per modum poſitivæ conſtitutionis, non niſi

remotè ad salutem pertinentes, utpote quibus etiam non existentibus, salus obtineri posset, cujusmodi v. g. sunt leges statuente pecuniaria quædam jejunia, seu beneficia acquirendi modum, vel accidentarias missæ sacrificij ceremonias. In his autem, cum non sit opus infallibili Spiritûs sancti assistentiâ, videtur omninò, potestatem legislativam esse delegabilem.

4. Denique Concilium Generale potest esse congregatum vel deficiente Summo Pontifice, utpote in hæresin lapsò, atque adeò auctoritate suâ, (quæ non nisi Capiti, atque adeò membro Ecclesiæ per Christum concessa est) destituito, vel schismate, ratione cujus de legitimo Papâ dubitatur, interveniente. In quibus adeò casibus ex ipso jure naturali, ne scilicet Ecclesia omni remedio videatur destituta, posse Concilium taliter congregatum, condere leges Ecclesiæ gubernationi pro illo statu necessarias, non tamen perpetuò, nisi postea per summum Pontificem approbentur, pro universali Ecclesiâ duraturas, Suarez citatus n. 4. & ex ipso Castropalaus n. 16. probant ex eo, quòd non alia tunc sit Concilio potestas, nisi quæ ex jure Divino naturali in quolibet Corpore Mystico consequitur, ut supremo Capite deficiente, possit se gubernare, ac tueri per particulares in unum Corpus unitos principes: ejusmodi verò potestas sit restricta ad talem necessitatis statum.

5. Quos singulos Concilij Universalis status in subsequentiis pro rei exigentiâ examinabimus, unicè hic expendi statûs secundæ triplicem difficultatem, quæ in eo se tenet; Vtrum Concilio Generali per auctoritatem Pontificiam legitime congregato, atque per hujus Pontificij, vicarium Christi nomen præferentis characteris concursum solennizato, competat specialis prærogativa, ex qua obtineat quandam supra Pontificem seu majoritatis, seu superioritatis speciem? Sive; An Concilium Romani Pontificis auctoritate congregatum, sicq. in primarâ sui apertione Christi Vicario characterè insignitum, ex tunc habeat immediatam à Christo auctoritatem, in vi cujus ex se ipso, absque auctoritate Pontificiæ concursu, reputari possit Oecumenicum, nec adeò ad solius Pontificis voluntatem dissolvi amplius valeat? Vel? Vtrum Concilium taliter congregatum, eatenus sit representans universam Ecclesiam, ut Papa non debeat, vel etiam possit dici Caput illius?

S. II.

Referuntur sententiæ, & argumenta Adversariorum cum congruis Doctorum nobiscum sententium ad ea responsionibus, & aliquali super illis reflexione.

ARGUMENTUM I.

6. AD rei hujus accuratiorem elucidationem, operæpretium videtur, primo loco in partem adversæ favorem proferre in medium, quæ ad præsens institutum agitabantur in sacro

Oecumenico Tridentino Concilio; prout videre est apud Pallavicinum lib. 19. ejusdem hist. cap. 14. n. 5. cap. 15. n. 3. Nempe pro subsequenti sessione 23. inter alios de Ordinis sacramentorum Canones, octavus fuerat in hunc modum expressus: *Anathema sit, si quis dixerit, B. Petrum per institutionem Christi non fuisse primum inter Apostolos, & ejus Vicarium in terra; vel necesse non esse, ut sit in Ecclesia unus Pontifex Petri Successor, eiq. æqualis in auctoritate regiminis, atque in Romana Sede legitimos ejus Successores ad hoc usque tempus non habuisse jus Principatus in Ecclesia, nec fuisse Patres, Pastores, Doctores omnium Christianorum, nec ipsi traditam à Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem pascendi, regendi, & gubernandi Ecclesiam Universalem.* In hæc Canonis noimâ Episcopi, ac Theologi Galli improbabant, quòd diceretur: *Romanum Pontificem esse Petro æqualem in auctoritate regendi:* quippe cum Apostolus iste potuerit aliqua conficere, v. g. libros Canonicos distare, quæ Successoribus ipsius non fuerunt concessa. Vellicabat etiam animos Gallorum, ne ullam sinerent irrepere voculam, quæ officeret propositioni, quam Ferrerius Galliæ Regis Orator coram Legatis Pontificijs quasi per certissimo principio ponebat: *Concilium nempe supra Romanum Pontificem esse: Religionem & Gallicanam Ecclesiam non modò id sentire, sed profiteri, & jurejurando affirmare tanquam articulum necessarium; idque jure optimo ex Concilij Constantiensis auctoritate.* Præscribi quidem sibi in mandatis Regijs, ne hujusmodi controversiam excitarent, sed simul, ne sinerent liberum aditum cuilibet verbo, quod illi ipsorum Religioni opponeretur.

Hinc Seripandus Legatus Pontificius ad Ferrerium conversus, dixit: allatum ab illo fundamentum Synodi Constantiensis haud solidum esse: id temporis certum Pontificem non extitisse, atque hinc ad schisma sedandum, opus fuisse, ut declaratio ad Synodum pertineret, adeoque, ut illa præset cunctis illis Pontificibus litigiosis. At in præsentia vivere inter Catholicos supremum Pontificem certum, legitimum, atque indubitatum, cui universa Ecclesia subdebatur. Varijs exinde modis per litteras Pontificias Româ allatas propositis, ad componenda cum exteris nationibus dissidia, videbantur cuncta haud difficulter perfici posse, unico excepto, nimirum ne concederetur Pontifici, quod à Florentina Synodo ipsi tribuebatur, hoc est, illi deberi *Universalis Ecclesiæ regimen.* Iniquissimè id negari, reponebatur, quando etiam ante eam Synodum in eo cognoverat alia Synodus Oecumenica, in Gallia Lugduni celebrata: & quando apparebat in vetustissimis diplomatibus præsens consuetudo appellandi Romanum Pontificem *Episcopum Ecclesiæ Catholice*, quod tantum sonat, quantum *Universalis:* quin etiam, quando ritus est à Cæsare usurpatus, cum ad Pontificem scribit, ut apponat inscriptioni: *Ad Romanum Pontificem Universalis Ecclesiæ.* Verumtamen addebatur in ijs litteris, ne cum alieni animi duritie deceretur, posse loco dictarum vocum hanc poni, *Regere universam*

Dokimi

Domini gregem, quo pacto loquitur Innocentius IV. Cap. 5. De schismate. lib. 6. Decretalium: aut etiam posse illic relinquere simplicem vocem Ecclesie Dei, omisâ Vniuersalis, dummodò alia quæpiam vox mutaretur ex usurpatis à Concilio Florentino, nec in hac tantummodò mutatio deprehenderetur.

Multis hanc in rem actitatis, teste Pallavino *cit. historie Trid. lib. 21. cap. 12.* propositum fuit, quòd in Pontifice esset potestas *pasfendi cunctas Christi oves*: sed vox illa *cunctas* videbatur importare sensum *distributivum*, non *collectivum*, cum significet unamquamque ovem, non gregem integrum, quæ cocentem in unum. Actum propterea fuit de adiciendis Canonis *super Summorum Pontificum auctoritate* illis verbis: *Vniuersales Ecclesie Pastores*, desumptis ex Concilio Lugdunensi, adeoque majoris apud Gallos auctoritatis, maxime, quòd legebatur, hoc ipsum Concilium adductum à Basileensi: & loco particulæ *Oves Christi*, cogitatum est de voce *collectivâ*, hoc est, *Gregem Domini*, quemadmodum pro locutione Innocentij IV. censuerat Pius, ad Legatos scribens, prætereaque exoptans, ut exprimeretur: *Petram accepisse à Christo plenitudinem potestatis.*

Aliud exemplar exhibuerant Præfules Galli, quo volebant, ut Pontifex appellaretur *Rektor non Vniuersalis Ecclesie, sed Ecclesie Catholice*. Quæ vox tamen videretur idem valere, à compluribus tamen repudiabatur tanquam dubia, quando nomen *Catholici* aptum etiam est ad significandum *fidelem*, adeoque omnis Fidelium Episcopus dici quodammodò potest *Episcopus Ecclesie Catholice*, quemadmodum in quinta Synodo Generali Augustinus dicebatur *Episcopus Ecclesie Catholice*. Et S. Cyprianus legitur, voluisse, ut hæretici in Ecclesie sinu recepti, Cornelium non solum confiterentur Pastorem *Ecclesie Catholice*, sed cum ista explicatione, id est, *Vniuersalis*, quòd scilicet hoc posterius vocabulum auferret quandam dubitationem prioris. Et ideo videtur in Synodo Lugdunensi attributum Romano Pontifici epitheton *Vniuersalis*. Quòd si idem utrâque *Catholici* & *Vniuersalis* voce significaretur, quemadmodum Galli dicebant, cur earum utralibet æquè non admitteretur? Tamen existimabatur, posse temperamentum capi, si diceretur *Pontifex totius Ecclesie Catholice*. Et sanè complures auctores erant, ut etiam absque addito acciperetur vox illa *Catholice*, quippe quæ extat in symbolo, quæque propterea usurpatur à Summis Pontificibus in solennibus ipsorum subscriptionibus, adeoque ubi illi voci non acquiescerent, quodammodò se in his detrimentum passos laterentur. Sed contra reponebatur, plus quæri claritatis, postquam recentes hæreses conatæ sunt peruersis interpretationibus obsecrare antiquæ Scripturæ, Ecclesie quæ vocabula. Hinc namque necessitatem ortam esse, non solum novas in Concilijs definitiones edendi, sed interdum voces symbolo adiciendi.

10. Dum omni studio dabatur opera, ut ex-

emplar propositum per voces cunctis acceptas conficeretur, Nuntius improvisus Cardinalis Lotharingi ad Legatos delatus, ipsos ab opere distraxit: *A se suam illam ideam fuisse propositam Gallis Episcopis, & dum confidebat, eos uniuersè illi assensuros, in pluribus repugnantiam ineluctabilem fuisse offensam, se præstò esse ad eam per se subscribendam, sed absque spe, ut à Synodo comprobaretur.* Hoc Nuntio spes omnis in Legatis evanuit, ut ulla reperiretur ratio, quæ cunctis satisfaceret in memoratis quæstionibus de Summi Pontificis præcipuè auctoritate. Quamobrem in privato ipsorum cœtu, mutato proposito actum est de novo in eundem consilio, & in hanc sententiam convenerunt, restrictiores Canones esse formandos, in quibus ommitteretur, quidquid ad controversos articulos attinebat, adeò, ut nihil cuiquam recusandum, sed tantummodò desiderandum aliquid appareret. Hæc ratione sperandum communem Patrum consensum, qui post tantam diuturnam contentionem neutri sperantes adversarios aut ad se adductum, aut à se separatum iri, nollent à dubio clarum impediri.

Ex qua Actorum serie videtur pro parte adversâ sequens concludi posse argumentum; ipsomet etiam Pontificis Legatos in casu dubij Pontificis concessisse Concilio super eo superioritatem. At hæc, oportet, ut habeant fundamentum ex sacris Litteris; vix autem ostendi potest ex harum verbis, quæ statuunt de Concilio, continere aliquam vocem ad casum dubij Pontificis restrictivam, quòd minus erga Pontificem, præcipuè facinorosum, locus esse posset correctoriæ Concilij virgæ etiam *coercitivæ*. Deinde ipsomet Pontificem Pium II. ejusque Legatos, unâ cum toto Patrum cœtu, censuisse dissimulandum super illis quæstionibus de superioritate Concilij supra Papam, & an Pontifex dicendus esset *Vniuersalis Ecclesie*, dum sub hac voce videretur Papæ attribuenda majoritas erga Universalem Ecclesiam, atque adeò erga Concilium, Universalem Ecclesiam representans. Hæc autem dissimulatio à motâ illâ quæstione ultra centum jam annos progressa, an non facit argumentum, quòd sententia superioritatem Concilij supra Papam adstruens, saltem non pugnet cum fide, seu sacris Litteris? Quomodo enim aliàs tanto tempore tollerari potuisset? Cur ergo, dum ea propositio hodie asseritur à Clero Gallicano, tantopere commoveretur Romana Curia, & non potius Patrum Concilij Tridentini amplectitur consilium de eâ dissimulandâ?

Responsio.

13. Quando Papa est dubius, nempe in schisma, te creatus, dum constare non potest, quis ex pluribus electis sit legitimus, posse Concilium Generale super eo ferre iudicium, est casus expressè definitus in Concilio Constantiensi *sess. 4. & 5.* Cujus definitionis adfertur ratio, quòd tunc Concilium non exerceat potestatem in Papæ auctoritatem, sed in eum, quem credit, non esse Papam; nam dubius Papa, de quo non

non constat, pro nullo habetur, cum in Jure sint paria non esse, & non apparere. *Lege Duo sunt Titij. 30. ff. De testament. Tit. Leg. In lege. 77. ff. De contrahenda emptione. Leg. Omnia. 32. §. Species. ff. De legat. 2.*

13. Deinde cur Patres Concilij Tridentini cum Pontificijs Legatis, imò ipsomet Papà dissimularint circa eas de Romano Pontifice quæstiones, specialis intervenerat ratio: tum quòd sacra Synodus unicè fuerit pro tunc intenta ad Neotericorum hæreses notandas, fideique adversus istas decreta & Canones edendos, abstrahendo à quibuscunque inter Catholicos controversijs, fidei etiam materiam, hætenus tamen indecisam, concernentibus: tum quòd Galli seu Præsules, seu Oratores æquè habuerint Regis sui mandatum, abstrahendi à quæstione superioritatis Concilij erga Papam, dum opportunum haud fuerat, tales inter Catholicos moveri contentiones, ex quibus hæretici, quibus eo tempore superabundabat Gallia, plausum sibi adversus sacram Synodum facile conciliassent. Quæ proinde dissimulatio æquè nullum præbet Gallorum sententiæ qualicumque firmitatis argumentum, atque innumeræ aliæ quæstiones de quapiam fidei veritate inter Catholicos Doctores motæ, dum indecisæ in suo controverso statu relinquuntur ab Ecclesia, ex hujus tolerantia nullum profusus alicujus roboris momentum recipiunt. Quod tantò magis locum habet circa illam Gallorum sententiam, quantò major, ac specialior suberat ratio dissimulandi ad tempus magis opportunum, vel ex variatione circumstantiarum causa magis urgens quæstionis hujusmodi decisionem. Enimverò cum Clerus Gallicanus, ubi Gallia Regnum ab hæresi Calviniana, seu Hugonotica se expurgatum cernere cœpit, illam sententiam tantà cum solennitate in cœtu Episcoporum, sub Regio etiam edicto, firmavit, & promulgari fecit, num tutum jam sit, ex parte sacræ Curie Romanæ dissimulare, & non potiùs rei momentum ex solidis fidei fundamentis expendere?

Reflexio.

14. Verum equidem est, quòd Ecclesiæ ratio substantialis ex ipsamet Christi Domini, eam ceu corpus quoddam Hierarchicum instituentis ordinatione, exigat Caput visibile, de quo cunctis fidelibus secundum prudentialem credibilitatis evidentiam constaret, esse legitimum Petri successorem, Christi quæ adeò vicarium, & Pastorem Oecumenicum. Cujus proinde credibilitatis, secundum supernaturalem prudentiæ evidentiam practicam visibilis fundamento, sub statu dubij Papæ intrà Ecclesiam sublato, patitur ista gravissimam violentiam, à qua se meritò vindicare valeat, consulendo sibi de certitudine Pastoris Oecumenici. In quo adeò statu nequaquam agitur adversus Papæ autoritatem, sed pro hac potiùs intrà Ecclesiam certificandà, meritò ex toto Christiano orbe convocatur Concilium Generale, quòd supra equimodi dubium Papam eatenus obtinet autoritatem, quatenus character Pontificiæ præminentie

tunc circa ipsius personam respectu Universalis Ecclesiæ est in statu suspensivo & abstractivo, minimè adeò per tale Concilium attingi potente. At dum certus est Pontifex, nequit contra istum procedi, nisi tangatur ejusdem Oecumenica, cunctis Christi fidelibus supereminens autoritas, perinde ac læsæ Majestatis reus esset quicumque Gallici Regni Convëntus judicium sibi arrogans supra personam Regis, cujus est indubitata suprema, nulla adeò Regni sui tribunali subjecta, potestas Regia. Ea igitur inter statum dubij ac certi Pontificis meritò adstruenda est differentia, ut, quando habetur convincens evidentia prudentialis de Petri legitimo successore, ipsamet sacra Litteræ ejus supremam præminentiam à severantes prohibeant, ne Concilium possit ullam superiùso prætereendere superioritatem; at ubi deficit ea de legitima successione prudentialis credibilitatis evidentia, ex præactis sacris Litteris nequaquam potest in tali Papa dubio haberi ratio præminentie per Christum sancitæ: sicquæ adeò Concilio Generali incumbit, super ejus certificatione facere judicium, indequæ Ecclesiæ sanctæ prospicere de certo Capite, ac Pastore Oecumenico.

ARGUMENTUM II. Adversariorum.

PRæcipuum pro Concilij supra Papam superioritate fundamentum ex parte adversa desumitur ex *Matthæi 18. capite* ubi sic habetur: *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripue eum inter te, & ipsum solum, si te audierit, lucratus es fratrem tuum, si autem te non audierit, adhibe adhuc tecum unum vel duos: quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ, si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus: Amen dico vobis: quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælis, & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cælis.* Ex quo proinde sacro textu tale formatur argumentum. Ecce! Hic Christus Apostolos, eorumquæ Successores alloquitur, à quibus vult Christianos incorrigibiles Ecclesiæ denunciari, ab eaquæ damnatos, ad nullum alium judicem remittit. Vult ergo Christus, ultimum esse tribunal Ecclesiæ, & a Petro ad Ecclesiam, tanquam majoris potestatis judicem provocari. Et ita hunc locum videtur intellexisse S. Gregorius *lib. 4. epist. 38. Nicolaus 1. in Cap. Præcipuè. 11. q. 3.* qui duo Summi Pontifices, sibi non obtemperantes, Ecclesiæ se delaturos minantur. Majus ergo Ecclesiæ judicium esse, quàm suum, agnoscunt.

Responsio.

AUthor *Regalis Sacerdotij lib. 2. §. 15. n. 1.* respondet, hoc *Matthæi* loco velut præcipuo fundamento niti Adversarios. Sed tam infirmum esse argumentum inde petitum, ut vel hoc maximè prodant causæ, quam defendunt, imbecillitatem, dum tantæ molis quæstionem imponunt ærenæ. Inprimis namquæ nullus est hic sermo de Petro, ejusquæ successoribus, & tamen de his quærimus. Quamvis enim Christus

stus ad Apostolos in communi loquatur, quis nescit, generali locutione casus speciali notâ dignos, & privilegiatos non includi? Deinde nomine Ecclesiæ, cui jubet obstinatos denuntiari, intelligit Christus eos omnes, quibus ligandi & solvendi, puniendique potestas concessa est; uti patet tum ex sine denuntiationis, qui est correctio: tum ex adjunctâ illâ causali: *Quicumque alligaveritis super terram &c.* Certum est autem, potestatem ligandi, solvendiq; non tantum ad Concilium Universale, sed etiam ad Episcopos, aliosque Ecclesiæ Prælatos pertinere. Si nomine Ecclesiæ Concilium intelligas, oportebit, quoties Christianus furto, adulterio, homicidio peccat, Concilium Generale cogi, ut illic delinquentis causa ventiletur, quo nihil dici potest absurdius, impossibilius, magisque ab omnium Ecclesiarum more alienum; quod tamen dicendum est, si Christus eo loco Concilium intelligat.

17. Sed demus, Concilium Universale intelligi, non tamen sine suo Capite, nec à Pontifice separatum, de quo solum disputamus, an supra Pontificem tolli possit? Deinde observandum est, Christum dixisse: *Si peccaverit in te frater tuus &c.* ut ostenderet, sermonem non esse de Summo Ecclesiæ Patre & Pastore, qualis est Romanus Pontifex. Legimus ergo sensus est: *Si peccaverit in te frater tuus &c.* ut que secretæ & fraternæ tuæ admonitioni non acquiescat, dic Ecclesiæ, id est, Pastori proprio, qui Ecclesiæ præest; uti explicat S. Chrysostomus *hom. 61. in Matth. S. Thomas in 4. dist. 19. & 22. q. 24.* Albertus Magnus in *Matth. 18.* Innocentius III. in *Cap. Novit. De judicijs.* Theophylactus, Euthymius, & alij passim. Ipse enim Prælati, cum agit non ut privata, sed publica persona, utiturque potestate Ecclesiasticâ, vulgari, & jam notâ phrasi vocatur Ecclesia, quia hanc repræsentat. Et patuit etiam exemplo Gregorij Magni, qui minatus Joanni Constantinopolitano, nisi titulo *Universalis Patriarchæ* abstineret, se illum Ecclesiæ Universali denuntiaturum, sine tamen Concilio universali auctoritate Papali compefecit, & censuris obstrinxit *lib. epist. 30. & 31.* male ergo & contra regulas artis Concilium Papæ anteponunt Advertiserij eo Scripturæ textu, qui nec de Concilio loquitur, nec de Papa, sed de casu omnino alio & disparato.

18. Demus tamen, in hoc Evangelij loco esse sermonem de Papa & Concilio universali, etiam ut Papæ opposito, nihil aliud sequitur, quam Papam publicè criminofum posse ad Concilium & Ecclesiam deferri, de remedijs illum emendandi, cohibendique agitari: eumque admoneri, rogari, & si Ecclesiæ infestus sit, etiam jure defensionis coerceri: quæ si omnia facta sint, & incassum cedant, Deo tandem res committenda, cui Ecclesiæ cura est, & quam inter tot persequentium procellas, & priora sub persecutionibus malorum Pontifici exempla agitari quidem permisit, numquam tamen mergi, opprimi que: neque enim nobis timendum est, id eventurum, quod nunquam evenit, & quod Christus promisit, numquam, ut eveniat, passurum: elletque impi-

um, cogitare, Ecclesiam propterea, eoque casu sine auxilio esse, cum à solo Deo auxilium exspectat; ibi enim maxime parata est, & velut in procinctu Divina custodia, ubi deficit humana: & hoc maxime verum est in supremis Reipublicæ Capitibus; quorum delicta suæ tantum virgæ subjecit, nec voluit subditorum arbitrio & pœnis committi, ne pejus esset malo remedium, obtentu justitiæ malevolorum calumnijs, invidiæ, & affectuum impotentia expositâ Principis Majestate. Et ita praxis Ecclesiæ semper obtinuit: quam vis enim Marcellini, Sixti III. Symmachi, Leonis III. Damasi, Leonis IV. aliorumque Pontificum delicta fuerint ad Synodos delata, nunquam tamè in eos sententiæ dictæ sunt. Imò in Synodo Oecumenica VIII. lato hoc Canone definitum est: *Posse quidem Synodum Universalem cum convenienti reverentiâ quamlibet quæstionem de Romana Sede exortam audire, & in ea proficere, non tamen audacter sententiam in Romanum Pontificem dicere.* Vide tomum III. Concil. in *Actis VIII. Synodi. Platinam in Marcellino, in Sixto III. Symmacho, Leone III. & IV. Damaso &c.* Item *Cap. Nunquam autem, dist. 21. Cap. Nos si incompetenter. 2. q. 7. Cap. Audistis. 2. q. 5. & Cap. Mandastis. eodem.* Ubi animadvertere licet, Pontifices aliquot innocentia suæ purgandæ causâ, & ut calumnias sibi affictas palam detegerent, Synodorum etiam particularium judicio discretivo, & velut arbitrario, non tamen coactivo, quod non poterant, se submisisse.

Reflexio.

19. Verissimum est, sub illo sacro Evangelicæ coercionis textu, Ecclesiæ nomine intelligi quoscunque habentes characterem Ecclesiæ repræsentativum. Sub hoc namque characterem tum denuntiatio fit Ecclesiæ, tum correctio inde secuta reducitur in Ecclesiam. At ejusmodi character Ecclesiæ repræsentativus in Prælatis eatenus importat partem solitudinis Pastoralis tum in Episcopali, Sacerdotalive characterem radicatæ, tum in ordine ad actus jurisdictionales, ex Pontificæ Apostolicæ potestatis plenitudine derivatæ, ut, quidquid intrâ spheram sibi ab Ecclesia præscriptam peragat Prælati Ecclesiasticus, totum id reducatur in Ecclesiam. A fortiori igitur, illo sacro textu Evangelico continetur Romanus Pontifex, qui secundum S. Augustinum totius Ecclesiæ figuram gerens, quoad virtutem Capitis, seu vicariæ Christi auctoritatis, est supereminenter repræsentativus Ecclesiæ. Quidni ergo Concilium Oecumenicum ex Capite & membris Hierarchicis, Ecclesiam repræsentantibus coadunatum dixerimus, esse Ecclesiam Universam, de qua Christus *cit. Matth. 18. cap.* pronuntiavit: *ut quisquis illam non audierit, instar Ethnici & publicani habendus sit?* Christus Dominus hanc Ecclesiæ auctoritatem coercitivam, vel maxime formidabilem pronuntiavit versu subsequenti: *Amen dico vobis, inquit, quidquid ligaveritis super terram, erit ligatum & in calis, & quidquid solveritis super terram, erit solutum & in calis.* Hoc Christi pronuntiatum

tatum, numquid Apostolos etiam distributivè sumptos attingebat? Et quidem duplici modo, tum quoad Apostolicæ autoritatis delegationem personalem, cum ipsorum in terris peregrinantium vitâ extinctam, tum quoad Episcopalem jurisdictionem in caractere Ordinis radicatam, ac in sui exercitio ex Apostolicæ potestatis in Petri Successore perpetuæ plenitudine dependentem. Numquid verò idem textus Evangelicus Apostolos etiam collectivè sumptos, quâ Ecclesiam Dei modo altiori representantes, cum ordine etiam ad perpetuum Ecclesiæ statum completitur? Ea posteriora de illimitatâ ligandi & solvendi potestate ad Apostolos directâ Evangelij verba ita combinantur cum præcedentibus, ut ex vi quasi causalis connexionis, illa ipsissima Apostolis promissa ligandi & solvendi autoritas indefinita reducat in Ecclesiam, cujus status noscitur esse perpetuus. Hæc autem perpetuitas non subsistit quoad Apostolicam in cæteris, præter Petrum, Apostolis solummodo delegatam potestatem. Oportet igitur, ut Apostolicæ illius autoritatis cunctis Apostolis re-promissæ perpetuitas referatur ad Apostolos collectivè sumptos, quâ universam Ecclesiam in Concilio Oecumenico representantes. An non igitur dicendum videtur, licet Episcopi distributivè spectati, Apostolorum successores non sint, nisi quoad characterem Episcopalem, Pastoralisque jurisdictionis solummodo radicem, in sui exercitio, actualisque potestatis concessione dependentem ex Papæ concessione, attamen Episcopos collectivè sumptos, nempe in Concilio Oecumenico aggregatos, sublimiori quodam modo esse Apostolorum Successores quoad Apostolicam, nempe illimitatam, ad ligandum & solvendum potestatis communionem? Hujus igitur quaesiti punctum, cum suis præsentis difficultatis centrum tangentibus consecrariis, per sequentes conclusiones accuratiori stylo discutendum hæc suscipimus.

CONCLUSIO I.

20. PRO indubitato principio ponendum est, quod præadductus *Matthæi 18. à versu 17. usque ad versum 20.* exaratus textus Evangelicus accipiendus sit de Concilio Oecumenico.

Explicatur, argumenti exordium defumendo ex versu 20. in quo Christus pronuntiauit: *Vbi duo, vel tres in nomine suo fuerint congregati, se in medio eorum fore.* Quis autem Catholicorum neget, hoc Domini verbum procedere de Concilio in nomine Christi, id est, (uti superius ostensum fuit) vicariâ eius autoritate aggregato. At versus iste continet causalem particulam *Enim*, in vi cujus combinatur cum proximè præcedente verbo, quo idem Christus asseveravit: *Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in caelis est.* Ipsissimus verò hic versus Evangelicus in vi particulæ *Iterum* refertur ad Apostolos, quibus Christus proximè præcedenti ver-

su 18. dixerat: *Amen dico vobis: quæcumque alligaveritis, & quæcumque solveritis super terram, erunt vel ligata, vel soluta in caelis.* Hæc verò indefinita ligandi & solvendi potestas non potest non esse Apostolica, in uno Petro singulariter spectato, ex vi promissionis Christi *Matthæi 16. factæ*, per successione ordinem proroganda. Quare hujusmodi Apostolicæ autoritatis *Matthæi 18. promissa* prærogativa, in cæteris Apostolis non nisi collectivè sumptis, atque aded in Concilio aggregandis, dici potest perpetua: quippe cum isthæc solvendi & ligandi potestas indefinita, Apostolis universis per Christum destinata, noscatur ex proximè præcedentis *decimi septimi* versus sacro contextu habere connexionem cum Ecclesia, quæ ut sic dicitur tum collectionem eorum, quibus est à Christo concessa solvendi potestas, tum perpetuitatem statûs ad sæculi usque finem duraturi. Illa proinde Apostolis *universim ac collectivè*, quâ unam Ecclesiam representantibus, atque aded in Concilio Oecumenico aggregandis promissa potestas, eatenus est perpetua, ut, quoties sit collectio illorum, qui de ea solvendi potestate communicant, in tali congregatione, seu Concilio, per vicariam Christi autoritatem convocato, Christi quæ aded nominis characterem præferente, ultra Petri, ejusque Successorum propriam solvendi potestatem Apostolicam, sacro ejusmodi Cætui, quâ Universam Ecclesiam plenè representanti, competat insuper peculiaris quæpiam solvendi & ligandi potestas Apostolica, *immediatè* à Christo eidem impetrata.

Objectio I.

Dices. Si Apostolis, eorumque hæc in parte Successoribus, nempe Episcopis in Concilio, ex Vicaria Christi autoritate coadunato, indeque Oecumenico, competat *indefinita* solvendi & ligandi potestas, distincta à Petri, ejusque Successorum, solvendi autoritate, ac secundum Christi verba sit æquè *indefinita*, illi omnino compar, fore consequens, quod, ubi Concilium fuit nomine Christi Vicario congregatum, possit jam ex seipso decernere ac definire independentè à concursu illius Petro, ejusque Successoribus singulariter concessâ autoritatis Oecumenicæ. Unde rursus sequitur, quod oporteat quidem, ut Concilium sit Oecumenicum, esse aggregatum in nomine Christi, nempe vicaria Christi autoritate: qui character antecedenter ad Concilij convocationem in nullo alio, quam Summo Pontifice, Petri legitimo Successore subsistens, omnino necessarius est, ut Concilium in prima sui aggregatione sit legitimum, ac Oecumenicum: attamen ubi jam existeret Synodus tali modo coadunata, sicque characterè Oecumenico insignita, ex tunc ex se ipsa *immediatè* à Christo eatenus obtineret autoritatem Oecumenicam solvendi ac ligandi, ut autoritate haud minor esset talis Synodus, quam Pontifex Maximus, nec aded per hunc dissolvi jam posset, dissentiente Concilio, indeque quicquid statueret, habiturum vim &

authoritatem decreti Oecumenici. At hoc nullatenus esse concedendum, siquidem hinc sequeretur, Synodum Basiliensem non potuisse dissolvi ab Eugenio IV. atque adeo justè, huic talem dissolutionem indicenti, resistisse Synodum, utpote quæ ex seipsa jam obtinuerat illam Apostolis *collectim* sumptis, seu in Synodo legitime aggregatis, promissam *indefinitam*, adeoque Apostolicam, solvendi & ligandi auctoritatem, sub quâ, ceu caractere Oecumenico, Synodus illa jam independenter à concursu Oecumenicæ Petro, ejusque Successori concessa, auctoritatis erat verè Oecumenica. Rursus inde sequi, potuisse Concilium vi illius characteris Apostolici, ubi pro tempore cogitaret sui solutionem, in futurum tempus à se determinatum, ex eadem auctoritate Apostolicâ indicere novum Concilium Oecumenicum, quin Papæ auctoritas Oecumenica ad talis Concilij convocationem concurrere deberet: quippe cum indicio Synodi taliter facta, atque adeo prima etiam ejusdem coadunatio jam obtineret characterem Apostolicum, sub quo, uti ex *Actis cap. 5.* patet, portatur nomen Christi, & in sui tam exordio, quàm progressu insignitum extaret eâ Apostolicâ, cunctis collectis Apostolis pro perpetuo Ecclesiæ statu, adeoque ipsorum quoque Successoribus, per Christum promissâ, & ab eo *immediatè* collatâ auctoritate, Vicarium Christi nomen præferente. Hæc igitur, cum nequaquam sint consentanea sacræ Ecclesiæ praxi, sintque prorsus aliena à præminentiâ Sedis Apostolicæ, imò cum hinc statueretur quasi duplex Sedes Apostolica, altera in Concilio Oecumenico, altera extra Concilium soli Petro, ejusque Successori legitimo concessa. Idcirco principia *superius* posita, ex quibus profluunt ejusmodi consequentiæ prorsus execrandæ, nullatenus videntur admittendæ.

Responsio.

21. Præsupposita principia deduci ex sacris Literis, si sacrarum contextuum debita inter se collatio fiat, ex *superius* dictis manifestum extat. Haudquaquam igitur ab eis recedendum est, sed conandum, ut illorum sacrarum contextuum profundior intelligentia, per argumentationem Theologicam inde eatur. Pro indubitato igitur principio præsupponendum est, illa Christi Domini verba: *Amen dico vobis: quæcumque ligaveritis, & solveritis super terram, erunt ligata, & soluta in cælis; connecti cum proximè præcedentibus: Dic Ecclesiæ, & si Ecclesiam non audierit, erit tibi sicut Ethnicus & publicanus.* At rursus pro certo principio tenendum est, quòd Ecclesia *absolutè* sumpta, importet Ecclesiam Universalem, à Christo elevatam ad statum Corporis Hierarchici, constantis ex Capite, nempe Summo Pontifice Petri Successore, & membris, nempe Apostolis, eorumque successoribus. Quemadmodum autem Corpus humanum nequit subsistere ex Capite ac membris *sigillatim* spectatis, sed quâ inter se unitis: sic neque istud corpus Hierarchicum, Ecclesiæ Uni-

versæ representativum, in suo perfecto statu consideratum, est intelligibile, nisi quatenus Caput cum membris Hierarchicis non jam *divisim*, sed *collectim* sumptis, est unitum. Ex eo quidem, quòd pars, quidquid est, totius est, fit consequens, ordinari ac reduci ad totum, quidquid parti convenit. Et hinc, si peccans denunciatur vel Episcopo, vel etiam Papæ, atque ab hoc fiat correctio, sequitur manifestè, tunc & denuntiationem Ecclesiæ, & correctionem ab Ecclesia fieri: nihilominus quia in illo sacro textu *absolutè ac simpliciter* fit per Christum mentio Ecclesiæ, oportet, sub hac *principaliter* intelligi totum Corpus Ecclesiæ Hierarchicum, quâ unitum in Concilio Oecumenico, tamen sub eodem Ecclesiæ nomine *reductivè* intelligantur & Caput & membra Ecclesiæ etiam *sigillatim ac divisim* sumpta. At eo ipso, quòd sacer ille contextus, de Apostolicâ solvendi potestatis plenitudine pronuntians, connectatur cum versu proximè præcedenti, in quo est sermo de Ecclesiâ *simpliciter, & absolutè* sumptis, quatenus est Corpus Hierarchicum ex Capite ac membris Hierarchicis non jam *divisim* spectatis, sed quâ unitis, atque adeo in Concilio Oecumenico coadunatis *substantialiter* constitutum: idcirco illa *indefinita* ligandi auctoritas Apostolica, per Christum promissa cum ordine ad Ecclesiæ statum, ex ipsamet Christi Domini institutione, perpetuum in Apostolorum Successoribus nullatenus locum habere potest, nisi quatenus constituunt unum Corpus Hierarchicum Ecclesiæ, *substantialiter* constans ex Capite Petri Successore, reliquisque Hierarchicis membris, Episcopis ac Ecclesiæ Prælati, non quâ *sigillatim* sumptis, sed quâ unitis in uno Concilij Corpore Hierarchico, ut sic perfectè, ac plenè representante universam Ecclesiam, sicque Ecclesiæ Hierarchicæ nomen non *participativè* duntaxat, vel sub præcisâ Capitalis potestatis plenitudine, sed *absolutè, perfectè, ac simpliciter* obtinente. Est autem indubitata veritatis principium, quod Christus promisit Apostolis *collectim* sumptis, & quâ Ecclesiam Universalem in uno Corpore Hierarchico representantibus, sicque adeo in Concilio Oecumenico inter se, & cum Capite unitis, id nullatenus habere locum extra statum talis unionis, seu in Concilio Oecumenico coadunationis: quemadmodum singula quidem humani corporis membra sunt organa diversa ad varias functiones per naturam ordinata, nullam tamen exercere valent operationem vitalem, nisi quâ unita manent in uno corpore humano. Cum igitur præcæta auctoritas Apostolica, quâ ad perpetuum Ecclesiæ statum relata, ex Christi Domini ordinatione non aliter competat Apostolis, eorumque adeo Successoribus, nisi quatenus constituunt unam Ecclesiam Hierarchicam *absolutè & simpliciter* in suo statu perfecto consideratam: hæc verò Ecclesiæ Hierarchicæ substantia requirat unitatem membrorum *collectim* sumptorum inter se, & cum Capite Papæ, non nisi in Concilio Oecumenico coadunandam, consequens est, illam Apostolicæ potestatis, pro perpetuo Ecclesiæ

statu promissæ plenitudinis, pollicitationem Divinam haudquaquam habere posse locum, antequam fiat talis in Concilio Oecumenico membrorum Hierarchicorum tum inter se, tum cum Capite coadunatio, atque adeo tali unione soluta, ubi Caput, Romanus scilicet Pontifex, à Concilio, quantumvis primitus fuisset legitime congregatum, suum Christi Vicarium nomen, seu Capitalementem auctoritatem retrahit, non posse tunc verificari, Ecclesiam Hierarchicam in statu perfecto repræsentari à Synodo, nec adeo in ea ex tunc obtinere illam Apostolicam potestatem, Apostolis, quæ unam Ecclesiam Hierarchicam constituentibus, promissæ plenitudinem: nec adeo in vi istius Apostolici, Christi nomen præferentis, characteris, utpote non amplius subsistentis, postquam auctoritas Papæ à Synodo legitime antehac congregata, se subtrahit, possit Concilium ex tunc factum acephalum, universalem Ecclesiam integrè repræsentare, jam impotens esse, pro futuro indicere novum Concilium Oecumenicum, quippe cum ex tunc in ea Synodo defecisset nomen Christi, seu character Apostolicus, sit autem secundum Christi institutionem de substantiâ Concilij Oecumenici, esse congregatum *in nomine Christi*, importante characterem Apostolicum.

13. Confirmatur hæc Theologica ratiocinatio. Indubitata namque, ac ipso naturæ lumine conspicuæ veritatis est, quod duobus non nisi *collectim* sumptis convenit, non competere ipsis *seorsim*, ac *divisim* spectatis, sic enim, quia vox *homo* importat complexum seu compositum ex corpore & animâ unitim sumptis, nequeunt prædicata hominis, quæ ejusmodi compositi propria, convenire animæ separata. At vox *Ecclesia*, præsertim quatenus accipitur in perfecto Corporis Hierarchici statu, est nomen *Collectivum*, significans complexum, seu compositum ex Capite & membris Hierarchicis. Ut sic autem Christus, uti *supra* ostensum est, promissit Apostolis illam solvendi potestatis plenitudinem Apostolicam, cum ordine ad Ecclesiæ statum hierarchicum, ejusque perpetuitatem, in successores adeo transferibilem. Nequit ergo illa Christi Apostolis, quæ unum perfectum hierarchicum Ecclesiæ statum constituentibus, sicque intra Concilium Oecumenicum membrorum hierarchicorum cum Ecclesiæ Capite coadunativum, Universalem Ecclesiam plenè repræsentantibus, promissæ potestatis plenitudo locum habere, nisi in quantum subsistit talis Apostolorum collectio, & intra Concilium Oecumenicum ex Apostolico characterè unicè subsistens unio plena & perfecta, ut, si vel solius Capitis character Christi vicarius subtrahatur, prorsus deficiat substratum illud, cui ex Christi ordinatione superstruitur ille alter Apostolorum *collectim* sumptorum, cum potestatis plenitudine character Apostolicus. Erhinc si Apostolicæ potestatis Petro, ejusque successoribus per Christum concessa plenitudo conferatur cum plenitudine auctoritatis, Concilio Oecumenico competentis, non inerte dicitur, se habere ad invicem, sicut se habet anima se-

parata ad totum hominem. Ubi namque anima est in statu separationis, habet plenam potentiam intellectivam & volitivam, quibus equidem potitur etiam in statu unionis, seu contractionis, attamen cum aliquâ à corpore dependentiâ: potestque anima in tali statu exercere operationes sensitivas & vegetativas, ejusmodi actiones vitales in statu separationis nequaquam elicere valet. Sic proinde, quæ universalis Apostolis, quæ unum Ecclesiæ Universalis Corpus hierarchicum in Concilio Oecumenico repræsentantibus, per Christum promissa fuit *indefinita* solvendi ac ligandi potestas, sub pari incircumscriptâ solvendi ac ligandi universalitate promissæ fuerunt Petro claves regni cælorum, neque hæc Divina Christi promissio ullam importat dependentiam à Concilio Oecumenico, sed *absolutè* ac *illimitatè* facta est Apostolorum Principi, cum ordine ad perpetuum Ecclesiæ statum, atque adeo cum ordine successione. Quemadmodum igitur anima in statu separationis independentet à corporis potentij, habet plenam ac perfectam intelligendi facultatem, sic potestas ligandi & solvendi Apostolica in Petro, ejusque successore non est alligata ad Concilium Oecumenicum, quin independentet ab isto possit plenissimè exerceri.

24. Nihilominus Pontificia suprema auctoritas Oecumenica facta est aliquem quasi contractionis & unionis statum, sub quo cum reliquis Ecclesiæ membris hierarchicis, seu eorundem Caput, eatenus coadunatur in unum integrum Ecclesiæ Universalis plenè repræsentativum Corpus hierarchicum, ut in tali tandem Corpore locum habeat illa Divina *Matthæi 18. à versu 17. usque ad 20. versum* Christi promissio, de tali Apostolicæ ad solvendum, & ligandum auctoritatis *indefinita* plenitudine, quatenus hæc in sui exercitio debeat esse dependens à toto corpore hierarchico, & quidem in tantum, ut corpus Ecclesiæ hierarchicum cum Capite, & Caput cum membris hierarchicis in Concilio Oecumenico aggregatum, consentire debeat, quò iunctio dici possit *Conciliaris*, seu *Synodalis*. Cujusmodi adeo definitionis Oecumenicæ, quæ *Conciliaris* auctoritas minime subsistit, nisi ex duorum, nempe & Capitis, & reliqui hierarchici corporis, ex Apostolorum successoribus Episcopis, ac Ecclesiæ Prælati coadunati consensu, Christo Domino *ibidem v. 19. pronuntiantes: Si duo ex vobis* (nempe Corpus Apostolicum Ecclesiæ hierarchicæ quasi *materialiter* repræsentativum, & Caputalis repræsentationis quasi *formaliter* perfectivum) *conserint super terram, de omni re, quæcumque petierint, fiet illis à Patre meo.* Hæc namque verba ita consonare debent cum suo tam antecedente, quam proximè subsequente sacro contextu, ut, quemadmodum isti indubitanter sunt de Concilio Apostolico, atque adeo Oecumenico, per Ecclesiæ statum perpetuum prorogando: sic ille textus Evangelicus accipiendus sit de duobus, nempe *collectivè* sumptis, consentientibus, qui duo non *signillarim* spectati, sed quæ unum Ecclesiæ Universalis repræsentativum, seu perfectum hierarchi-

hierarchy statum constituentes, non possunt aliquid aliud esse, quàm Caput, una cum reliquo Apostolico, seu hierarchico, Corpore. Quibus adeo consentientibus, ea est per Christum promissa in definiendo infallibilitas, ut, quamcunque rem, atque adeo dogmaticam veritatem à Patre Æterno sibi ex verbo Dei erudendam petierint, ex Christi Domini promissione, ipsis infallibiliter fiat. Quemadmodum igitur anima in statu unionis & contractionis habet quasdam vitales functiones, quas in statu separationis haudquaquam exercere potest; sic nam dicere licebit, potestati Pontificiæ, quæ intrà Concilium suâ vicariâ Christi auctoritate coadunatum, & informatum, cum reliquo Ecclesiæ corpore hierarchico coadunata, supervenire specialem aliquam prærogativam infallibilitatis in fidei dogmatibus decidendis, à Christo ex tunc promissâ, ubi ex Apostolis duo, nempe Caput cum reliquo Apostolico Corpore, à successoribus intrà Concilium sub vicario Christi nomine coadunati, *collectivè* adeo sumpti consentierint, in petendâ, sicque per Dei gratiam definiendâ dogmatica veritate?

Objectio II.

35. Instabis. Esto, hanc Divinæ gratiæ assistentiam ex vi promissionis Christi infallibiliter competere illis duobus Apostolicis ordinibus, tum Capiti, Petri successoribus, tum reliquo Ecclesiæ hierarchicæ Corpore, intrà Concilium Oecumenicum reliqui Apostolici Collegii successoribus. Attamen Petro etiam in statu quasi separationis, extra Concilium Oecumenicum in suâ, successorisque sui individuâ personâ, pro perpetuo Ecclesiæ statu erat *Matth. 16.* dictum à Christo: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, adversus quam portæ inferi non prævalent.* At vi istorum verborum, oportere, ut in Petro, ejusque successoribus sit infallibilitas perpetua ad fidei dogmata etiam extra Concilium definienda, nec adeo in vi præallegatæ Divinæ promissionis, Capiti & reliquo hierarchicæ Ecclesiæ Corpore, seu duobus *collectim*, in Concilio nempe Oecumenico coadunatis factâ, videtur major adstrui posse infallibilitatis in dogmatibus fidei decidendis prærogativa, quàm Pontificiæ auctoritati, etiam soli, extra Concilium conveniat.

Responsio.

36. In hoc puncto jam videtur subsistere quasi centrum præsentis difficultatis. Hanc ex occasione Neotericorum expendere compulsi Author *Inextinctæ Concilij Tridentini veritatis*, aliquando sic disseruit. Articulus equidem fidei est, Romano Pontifici seu Petræ, super quam fundata est Ecclesia, independentem à Concilio esse. (ipsomet etiam Clero Galliano *ubi supra* disertè fatente) supremam potestatem in causis Ecclesiasticis. An verò istâ Divinitus sibi traditâ potestate, cum omnimodâ infallibilitate, in decidendis fidei dogmatibus, uti possit, sine interventu Concilij Oecumenici, Ecclesiam Universalem repræsen-

tantis, non extat de hoc definitus fidei articulus. Unde sententia hujus à Concilio independentis illimitatè decisivæ, Pontifici Romano competentis potestatis assertiva, est quidem inter Pontificios Theologos ferè communis, validisque ex sacrâ Scripturâ petitis argumentis probari solet, tum quòd Petro, ejuque Successori *independentem* à cæteris Apostolis, adeoque Episcopis, sit commissa illimitata Pastoralis erga universas Christi oves officij cura, tum quòd eidem soli à Christo dictum sit, esse Petram, super quam foret ædificanda Ecclesia; tum denique, quòd Christus pro ipso solo rogârit, ut fides ejus non deficeret, cum ordine ad fratres suos confirmandos.

27. Nihilominus in comperto etiam est, extare aliquos, præsertim Parisienses Doctores, qui consummatam in decernendis fidei dogmatibus infallibilitatem non concedant Papæ, nisi unâ cum Concilio; siquidem Ecclesiæ, in Concilio Oecumenico *representativè* congregatæ, prærogativa singularis sit, quòd ipsi seu Fidei Columnæ, ac veritatis firmamento, Divinitus promissa sit infallibilis Spiritûs sancti assistentia.

28. Quæ proinde posterior opinio ad sacros, ex Divinis Litteris pro priori sententiâ allegatos, textus respondebit, illam Pastoralis Petro, ejuque Successori illimitatè collatæ officij, potestatem *Formaliter & Subjectivè* esse quidem in solo Papâ, attamen in suo usu habere respectum ad Ecclesiam. At eo ipso, quòd Ecclesia ita sit subjecta Pontificiæ potestati, ut ab ipsomet tamen Christo obtinuerit illam prærogativam infallibilis assistentiæ Spiritûs sancti, idcirco non esse subjectam *quasi Despoticè*, sed (liceat hosce terminos pro regimine alioquin Civili ab Aristotele usurpatos, ad res etiam sacros suo modo applicare) *quasi Politicè*, ita nimirum, ut, quemadmodum in regno Politico Status, in ordine ad Leges Pragmaticas statuendas, habent jus suis votis concurrendi, itaque regulandi Regiam, supremam licet, potestatem; sic Antifites & Patres, Universam Ecclesiam repræsentantes in Concilio Oecumenico, circa fidei causas habeant jus, suis per Spiritûs sancti Divinitus promissam assistentiam authorizatis votis regulandi, infallibilitateque suâ juvandi, Concilio Oecumenico repromissâ, Pontificiam, de se licet supremam Ecclesiasticam potestatem.

29. Quemadmodum proinde domus non solum nititur fundamento, sed etiam columnis, sic Papam esse quidè Petram, seu fundamentum Ecclesiæ: quia tamen hujus forma essentialis sit Fides, Veritati Divinæ unicè innitens, oportere, eam sustentari etiam columnâ Veritatis. Unde cum Ecclesia ab Apostolo pronuntietur columna & firmamentum Veritatis, esse consequens, quòd Concilij Universam Ecclesiam ex Divinâ institutione repræsentantis auctoritas intervenire debeat, ut Ecclesiæ ædificium, ex fidei dogmatibus *Formaliter* constans, sub infallibili Veritatis firmitate subsistere dignoscatur. Quare circa Papæ, seu supremi Ecclesiæ Capituli, una cum Concilio cum causis Fidei con-

currentis infallibilitatem, extat definitus Fidei articulus, de autoritate autem Pontificiâ extra Oecumenicum in Fidei dogmatibus sanc- tiendis, ea saltem tenenda est ratio, ut talis Pontificia decisio non nisi temerè cum aperto salutis discrimine, ex proprio spiritûs priva- ti sensu, rejici possit.

Obiectio III.

30. **V**Rgebis. Quandoquidem definitus sit fi- dei articulus, Papam intrâ Concilium Oecumenicum concurrente cum isto, habe- re infallibilitatem consummatam in deciden- dis fidei articulis; neque verò sit adhuc defi- nitus articulus; *An Papa extra Concilium Oecum- enicum potius autoritate omnimoda & consum- mata infallibilitatis?* Numquid ex hac par- te saltem quoad nos, si non *in re ipsa*, specialis quâpiam prærogativa videtur, ultra Pontifi- ciâ autoritatis plenitudinem, attribuenda Concilio, non equidem Acephalo, sed quâ Oecumenico, nempe coadunato ex Capite, ac reliquo Ecclesiæ Corpore hierarchico?

Responsio.

31. **A**D hanc quæstionem, fateor, mihi vix constare, quid respondeam. Christi equi- dem verba nimis clara sunt, quæ definitè ad solû Petrum Matthæi 16. proferebantur: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & porta inferi non prævalent adversus eam.* Quis verò adversus tam dilucidâ Christi verba, ne- gare ausit, ijs contineri omnimodam in fidei dogmatibus infallibilitatem, cum cæteroqui, si Petro, ejusque Successori aliquod fidei dog- ma definiendi, subrepere posset error, quomo- dò portæ inferi non prævalerent adversus ta- lem petram, atque adeò Ecclesiam super hæc Petrâ ædificatam? At dum ipsissima hæc Chri- sti Domini verba accuratius expendo, ani- madvertendum offert se mihi, quòd Christus Ecclesiæ à portis inferi haud superandæ, firmi- tatem eatenus statuerit super Petrâ, quatenus super ipsam esset ædificata Ecclesia. Num ve- rò Ecclesiæ super hanc Petram, cui commissæ sunt claves Regni cælorum, ædificatio locum habet etiam extra Concilium Oecumenicum? In hoc equidem Corpus Ecclesiæ hierarchicum, cum Capite, Petræ prærogativam obtinente, coadunatum assurgit in structuram, universæ Ecclesiæ perfectè ac plenè repræsentativam. An igitur illa Ecclesiæ super Petrâ ædificatio con- summari dicenda est in Concilio Oecumeni- co, per Petri characterem Apostolicum congre- gato, & informato, nec substituto, nisi quam- diu cum isthoc vicario Christi characterè per- durat? Quia igitur illa in decidendis fidei ar- ticulis infallibilitas, ab inferi portis nunquam superanda, est subsistens, quatenus Ecclesia est super Petrâ ædificata, illa verò perfecta vi- sibilis, ac militantis Ecclesiæ structura, quoad plenam sui consummationem, subsistit in Con- cilio Oecumenico, quâ insignito Petrâ illius characterè, Christi nomen vicarium præferen- te. Idcirco, an ea Ecclesiæ, quâ supra Petrâ

ædificatæ, consummata infallibilitas, autori- tati Pontificiæ indubitanter annexa, sit in statu ultimæ suæ perfectionis etiam extra Conci- lium Oecumenicum, in hoc puncto me totum quantum subijcio sanctæ Ecclesiæ iudicio, ne in Tridentino quidem Concilio hætenus ma- num imponere volenti, ad decidendum hoc summæ difficultatis punctum. Hinc tamen haud dicere fas esse, quòd Concilium habeat alicujus supra Papam superioritatis præroga- tivam, patebit ex subsequenti conclusione.

CONCLUSIO II.

QUANTUMCUNQUE aliqua specialis præ- rogativa esset in Concilio Oecume- nico, non nisi per characterem Christi vicariam, atque adeò per Pontificiam autoritatem subsistere potente, non es- set propterea Concilium, etiam quâ Oecu- menicum, dicendum, habere præemi- nentiam superioritatis propriè dictæ.

Explicatur & probatur. Hujus fortè con- clusionis explicatio & probatio videri posset peraccommodè desumi ex sequenti simili- tudine. Nempe animæ, quâ formæ: & corporis, quâ materiæ, ea est habenda ratio, ut, quid- quid perfectionis est huic communicabile, to- tum sit ex illâ, scilicet formâ. Unde fit, quòd anima & corpus simul sumpta, non dicant plus perfectionis intensivæ, quàm anima præcisè spe- ctata: quia tamen materia & forma sunt duæ realiter distinctæ entitates, ideo *extensivè lo- quendo*, majus quid est homo constans mate- riâ & formâ rationali, quàm præcisè anima. Pari proinde ratione Concilium quâ Oecumeni- cum, importans integrum Ecclesiæ plenè re- præsentativum Corpus hierarchicum, *formaliter* dicit characterem Pontificiæ potestatis, ceu vi- carium Christi nomen præferentem, ac se ha- bente instar formæ, Concilij quâ Oecumenici, quasi *physicè* constitutivæ, atque ut sic informa- tivæ reliqui hierarchici ex Ecclesiæ Prælati ag- gregati Corporis, ceu materiæ quasi *physicæ*, ad Concilij Oecumenici substantiam integrandâ *essentialiter* ac *integraliter* concurrentis. Quòd si ergo fiat Capitis, ac reliqui Corporis hierar- chici ad Ecclesiam Universalem repræsentan- dam, inter se uniti quædam comparatio, quo- ad hunc ordinem hierarchicum, si sacerdotij & Episcopatus character sacramentalis excipia- tur, nihil perfectionis reperiri potest in toto reliquo Corpore ejusmodi hierarchico, quod non derivetur ex Pontificiæ potestatis pleni- tudine. Cujus adeò supereminentia tanta est, ut *eminenter* contineat Corporis illius hierarchici, quoad jurisdictionis prærogativas, omnimodam & totam perfectionem, nec adeò Corpus hoc hierarchicum, quâ cum Capite suo, in Con- cilio Oecumenico unitû, dici potest, quoad au- thoritatem jurisdictionalem, esse quid majus *intensivè*, ac sit præcisè Pontificiæ potestatis su- pereminentia, licet ambo simul sumpta sint quid *extensivè* majus.

Verùm quemadmodum anima cum cor- pore

34. pore unita, est susceptiva gratiæ sanctificantis, seu altioris ac supernaturalis formæ, animam, ac per redundantiam corpus etiam, perficere potens: ex qua perfectione omnino resultat quid intensivè majus, quàm sit anima in puris naturalibus suis considerata. Sic ubi totum Ecclesiæ Corpus hierarchicum, tam quoad membra, quàm quoad Caput in Concilio Oecumenico unitum, & sub vicario Christi nomine, autoritate nempe Pontificiâ, ritè ac legitime coadunatum fuerit, ex Christi Domini *Matthæi 18. capite versu 18. & 19.* expressâ promissione, duas sortitur adhuc potestatis Apostolicæ maximè perfectivas prærogativas. *Vna dicto v. 18.* exposita Concilij Oecumenici præminentia est ex indefinitâ ligandi & solvendi potestate, quæ non potest esse major Summi Pastoris, æquè universali ad ligandum & solvendum autoritate, Petro, ejusque Successori solitariè, ac individualiter spectato, per Christum concessâ. *Altera* Concilij Oecumenici prærogativa est ex infallibili Christi assentiâ promittentis, se in medio eorum fore, ubi duo, vel tres in nomine suo, vicariâ nempe autoritate, in terris penes Petrum, ejusque Successorem relictâ, congregarentur. In quo adeo per ejuſmodi vicarium Christi characterem insignito Concilio, sicque reddito Oecumenico, dum Duo, Caput scilicet, & Corpus hierarchicum Ecclesiæ consenserint, horum de fidei dogmatibus definiendis petitio ab ipſomet etiam Patre Eterno, juxta Christi promissionem, inevitabiliter habebit rata.

Hæc igitur infallibilitatis prorsus certæ ac indubitæ circa fidei dogmatum decisionem prærogativa, Concilio Oecumenico per Christum promissa; an sit æquè in Summo Pontifice, non extat in Ecclesiâ definitum, sicque secundum nos saltem, minus ponderis habet quoad cœtitudinis, seu Divinæ, seu Theologiæ omnimodam determinationem: dum disquirere adhuc licet; an Ecclesiæ in rebus fidei decidendis infallibilitas promissa Petro, consummative tunc primum habeat locum, quando super Oecumenici Pastoris Petri extat adualiter superstructa Ecclesiâ hierarchica, non nisi in Oecumenico Concilio perfectè representata? Quæ ratio videtur fuisse, cur ne ipse quidem Petrus se solo decidere voluerit questionem dogmaticam de Veteris Testamenti Legatum, à Christianis ex Judaismo præsertim, vel etiam Gentilismo conversis retinendâ observantiâ, sed ad Concilium Apostolicum, adeoque Oecumenicum Hierosolymitanum, retulerit eam definitionem. Et ita observat continua Ecclesiæ sanctæ praxis, quod ultimæ adversus hæreses decisiones dogmaticæ, ab ipsismet etiam Pontificibus omni tempore referentur ad Concilia Oecumenica; manifesto sanè argumento, Ecclesiæ autoritativam in fidei dogmatibus decidendis infallibilitatem, per modum ultimæ sententiæ, sub omnimodâ, & consummatâ certitudinis prorsus indubitæ perfectione suâ, secundum nos saltem, majori cum pondere subliter ex parte Concilij Oecumenici, quàm

ex parte solius Pontificis extra Concilium scilicet sancientis.

35. Id ipsum firmatur etiam ex eo, quod Christus Dominus, ubi rogasset pro Petro, ut non deficeret fides ipsius, eidem quidem præceperit, quatenus aliquando conversus, fratres suos Apostolos, eorumque adeo Successores confirmaret. Attamen confirmatio non cadit super re quapiam, nisi quatenus ex alio etiam capite habet aliquod firmitatis pondus, videturque adeo Christus isto loquendi modo alluisse ad hoc, quod Apostolorum ac successorum in Concilio Oecumenico cum Capite suo, Summo Pontifice aggregatorum, in rebus fidei decernendis omnimoda firmitas, neque ex præciso Petri successore, neque ex Apostolico Collegio, seu hierarchico Ecclesiæ sanctæ corpore subsisteret, sed unum ex utroque, ita ut oporteret, huic utrique in unum Corpus Ecclesiæ perfectè representativum coadunato, superstrui specialis infallibilitatis pondus ac firmitas, per quam Petri fratres universi omnimodè confirmarentur. Talis igitur prærogativæ ratio videtur magis supereminere in Concilio Oecumenico, quàm Summi Pontificis autoritatem Oecumenicam, cum reliquo hierarchico Ecclesiæ Corpore coadunatam complectente, quàm in solo Papa extra Concilium spectato, hinc tamen nequaquam dicere convenit, Concilium Oecumenicum, quantumvis plenarium, obtinere jus cujuscumque supra Papam superioritatis.

36. Probatur istud subsumptum. Quantumvis enim gratia, erga animæ subitantiâ comparata, habeat singularis præminentie prærogativam, nequit tamen ex hoc fundamento ipsi attribui quædam superioritatis strictè sumptæ, nempe quasi imperativæ præminentia, eo ipſo, quod sit subordinata ipsius animæ libertati, atque ex hac tam in primâ sui infusione, quam conservatione sit quodammodo dependens, At illa Concilio repromissa infallibilitas eatenus superstruitur autoritati Pontificiæ, seu characteri, Christi nomen præferenti, atque ut sic Synodi quæ Oecumenicæ formaliter constitutivæ, ut consequenter sit dependens à Summi Pontificis, hierarchicum Ecclesiæ Corpus convocantis, & una secum coadunantis concursu libero. Nequit ergo infallibilitatis, Concilio Oecumenico propriæ, prærogativa huic impertiri alicujus super Papam superioritatis characterem.

Objectio I.

37. Dices. Videri quendam Concilij super Papam superioritatem evinci ex hoc, quod Abbas Panormitanus 2. par. *Confil. q. 1.* & Cardinalis Monilianus de *Concilio Oecumenico cap. 33.* docent. Nempe si in fidei præsertim materiâ solus Pontifex sentiret contra universos Concilij Patres, tunc debere Papam illorum accedere votis. Hoc expendens Author *Regalis Sacerdotij est. lib. 2. §. 14. n. 6.* ita ratiocinatur. Si contra omnes Concilij Patres Papa definiret, hæc definitio tanquam temeraria, nec debito examine inquisitione veritatis

tatis nixa, doctrinæ Concilij cederet. Pontifex enim extra Concilium, & ut privatus Doctor aliquid docens, errori est obnoxius, multoque magis, si temerariè procedat. Sed quando contra cunctorum Concilio præsentium Patrum sententiam pronunciaret, privatum Doctorem ageret, quia non publicam, sed privatam opinionem lætaretur, & temerariè decideret, plus sibi, quam omnibus credens. Et hoc est, quod aliqui dicunt, majorem esse auctoritatem *directivam* Concilij, quam Pontificis solius, qui tamen non tenetur illi parti accedere, quæ pluribus suffragijs juvatur, cum sententia paucorum melior esse possit. *Lege Nemo Iudex. Cod. De sens. & interpret. Cap. Sana. & passim dist. 9.*

Responso.

38. **N**Um dicere fas est, Papam extra Concilium non nisi uti privatum Doctorem docere, errorique obnoxium esse? Independenter à Concilio competit Summo Pontifici *ex cap. 16. Matthæi* non minus *indefinita & universalis* ligandi & solvendi potestas Apostolica, quam Apostolis *collectam* etiam sumptis, quæ Ecclesiam hierarchicam plenè representantibus, adeoque Concilio Oecumenico *Matthæi 18. cap.* promissa fuerit. Prærogativa equidem infallibilitatis indubitanter per Christi Domini verba impertitur Papæ, sed *quoad nos* saltem major, id est certior, sive magis notificata in Concilio Oecumenico, quam soli Papæ. Neque verò Concilium denominari potest Oecumenicum, nisi in eo interveniat ligandi ac solvendi potestas Apostolica & universalis, ipsaque etiam infallibilitatis prærogativa, quæ subliere nequit absque Summo Pontifice, per suum vicarium Christi characterem *formaliter* constituyente Concilium sub ratione Oecumenici, cui ut sic conveniunt illa tam jurisdictionis Apostolicæ, quam *consummata*, & in Ecclesia *ultima* infallibilitatis præeminentia. Quomodo igitur dicere fas est, si omnes Patres Concilij in unum fidei dogma consentiant, solo Papæ dissentiente, hunc obstringi ad accedendum ipsorum votis, cum tamen neque infallibilitatis privilegium ipsis ut sic competat, neque jurisdictione Oecumenicâ taliter potantur?

39. Concilium namque Oecumenicum optimè æquiparatur curru prophetico, ac mysterioso *Ezechielis 1. cap.* descripto, quod constaret rotis Cherubicis, nisi quod in isto curru extiterint quatuor rotæ; in Concilio autem Oecumenico sunt duæ duntaxat, veritatis Divinæ faciem præferentes rotæ Cherubicæ. Est igitur Oecumenica Synodus currus, in quo veritas triumphat adversus portas inferi, cujus rotæ quasi Cherubinæ sunt Primatus Petri, characterem Concilio, quæ Oecumenico primitus impertiens, ac reliquum Ecclesiæ Corpus hierarchicum ex Prælati Ecclesiæ coadunatum. Sicuti ergo totum corpus illius Prophetici currus in circuitu quatuor rotarum erat plenum oculis, sic totum Corpus Concilij Oecumenici consistens in Corpore hierarchico, Univer-

sam Ecclesiam plenè representante, est plenum oculis, id est, Spiritu Dei cum infallibilitatis prærogativâ omnimodâ collustratum, sed quatenus est in circuitu duarum rotarum Cherubinarum, nempe Primatus Ecclesiæ, ac reliqui Corporis Apostolici, ex membris Ecclesiæ hierarchicis, consistens. Quemadmodum porrò in illo Prophetico curru, quocumque ibat Spiritus, illuc eunte Spiritu, pariter elevabantur rotæ sequentes Dei Spiritum: sic in Concilio Oecumenico Spiritus Dei non progreditur ad ullum fidei dogma definiendum, nisi rotæ illæ Cherubicæ, Caput scilicet, ac reliquum Ecclesiæ Corpus hierarchicum pariter eleventur, sequentes Dei Spiritum, quia Spiritus vitæ est in totis illis Cherubicis, ac hierarchicis pariter progredientibus, Christo Domino *Matthæi 18.* asseverante, *si Duo*, nempe Caput, ac reliquum hierarchicum Ecclesiæ Corpus in Concilio Oecumenico, sub Christi vicario nomine coadunata, *conferant*, tunc quocumque petierint à Patre lumen, pro veritate fidei ex verbo Divino erudendâ, infallibilitate fieri, ipsis in unum fidei dogma consentientibus. Quod si ergo casus contingeret, ut omnes Concilij Oecumenici Patres consentirent in definitionem cuiuspiam fidei dogmatis, sed Papa dissentiret, nulla adhuc esset sanctio dogmatica cum infallibilitatis prærogativa, sed esset materia adhuc informis, quæ non nisi ex superveniente characterè Christi vicario, adeoque ex consensu Summi Pontificis formari valeret in infallibile, ac certum definitum fidei dogma. Hoc probè agnoscens Concilij Constituentis Patres, sub hujus finem à Martino V. petierunt confirmationem fidei dogmatum, ex tunc unanimi consensu suo comprobatorum, adjectâ clausulâ, ut, si tunc Pontifex pro tunc confirmare noller, ad futurum provocarent Concilium utique Oecumenicum, Pontificiæ auctoritatis characterè, vicarium Christi nomen præferente, insignitum, ut ex hoc postmodum per Capitis ac reliqui Ecclesiæ Corporis hierarchici consensum perficerentur suæ adhuc informes fidei dogmatum definitiones.

Objectio II.

40. **I**nstantis. Ubi dogmatica quæpiam fidei definitio per Capitis ac reliqui Ecclesiæ Corporis hierarchici concordem consensum noscitur esse consummata, ei subijci ipsum quoque Summum Pontificem. Pariter in Conciliaribus decretis morum, universos Christi fideles concernentibus, quatenus Pontificiam majestatem condecet, esse vim constringendi ipsum quoque Papam. Ex hac igitur parte rectè dici, Papam esse subiectum Concilio Oecumenico, ejusque decretis & sanctionibus seu dogmaticis, seu moralibus.

Responso.

41. **I**nstantia hæc ferè æquiparatur illi à Theologis moveri solitæ quæstioni; *Quomodo Legislator teneatur suis legibus? In Concilio tamque Oecum.*

Oecumenico tota ipsius autoritas legislativa ejusdem propria superstruitur toti hierarchico Ecclesiæ Corpori ex Capite ac membris hierarchici coadunato, adeoque decisiones seu fidei, seu morum, quæ Conciliares, respiciunt dei, seu morum, quæ Conciliares, respiciunt Pontificem cum Patribus inibi congregatis indivisibiliter concurrentem, ceu authorem ac legislatorem suum. Illius igitur quæsitæ resolutione hunc in modum fieri solet, quod nempe obligatio legum à summo Principe lata, ex efficacia legis Æternæ quoad vim *directivam*, non autem *coactivam* afficiat illum, sub ipsissimo eo virtutis motivo, quod per legem, quæ subditorum obligatoriam est intentum. Quia igitur vis sub fidei motivo contrin-gens in dogmatibus à Concilio Oecumenico definitis reducitur in auctoritatem infallibilem Divinitus impertitam Generali Synodo, ceu ultimum fidei *directivum* principium, evidenter patet, dogmaticæ ejusmodi sanctionis energiâ obstringi summum quoque Pontificem, ut hæc tamen obligatio non in Concilij, quæ ex præciso Corpore Ecclesiæ hierarchico consistens, congregationem quasi *materiale*, sed quæ Spiritu Dei, ejusque infallibilitate animata, sicque adeo in principium à Deo *immediatè* constitutum reduci debeat.

4. Quoad leges *morales* in Concilio Oecumenico sancitas, non minor in Pontifice extra, quam intrâ Synodum est auctoritas legislativa per Christum repromissa. Nequit ergo Pontifex contrungi legibus *moralibus* à semet etiâ comprobatis, nisi in vi altioris principij, quod suam tunc vim exerere, ad ipsummet etiam Legislatorem ac Pontificem Maximum peculiaritè quæpiam, ac sublimiori ratione obligandum, mox aperitur. Quemadmodum enim causæ secundæ operari nullatenus possunt, nisi sub Primæ Causæ influxu tam prævio, quam concomitante: sic quævis à Deo communicata hominibus potestas legislativa, per sui à lege Æternâ dependentiam *essentialem*, non potest imponere ullam obligationem, nisi ipsâmet lege Æternâ ad illam *actualiter* concurrente. Ex hoc autem *actuali* legis Æternæ concursu accipit lex humana vim, in *conscientiæ* etiam foro sub culpâ mortali & pœnâ æternâ obligatoriam. At verò sicuti lex humana *essentialiter* debet esse ordinativa in Bonum communitatis, sic consequenter lex Æterna legi humanæ se insinuans, eique in conscientia obligandi vim & efficaciam conferens, afficit omnes illos, quorum tanquam unius corporis Politici ac Myltici membrorum, est *executive* curare Bonum publicum vi legis intentum. At verò Principis, utpotè Reipublicæ *primarij* membri est, non tantum *gubernativè* & *archiectionicè* sed *executive*, & quoad viam executionis *exemplativè* procurare Bonum publicum. Ergo lex Æterna legi humanæ vim, & efficaciam in *conscientiâ* obligatoriam imprimens, ut sic afficit ipsum etiam Principem. At quatenus lex Æterna efficaciam, conscientiæ obligatoriam, im-pertit legi humanæ, ut sic ista habet *formaliter* vim obligatoriam conscientiæ sub illo ipso virtutis motivo, quod per legem est *per se immediatè* intentum ac definitum. Ergo sub hoc

etiam motivo, & non tantum sub generali alia cujus tum Republicâ conformabilitatis ratione, lex à Principe lata obligat ipsum in conscientiâ. Hinc autem fit manifestum, quod, si materia sub tali virtutis motivo sit gravis, illa obligatio teneat sub mortali. Sicut ergo subditi, sic princeps in materiâ secundum se gravi v. g. auditionis Missæ, jejuniij &c. obligatur sub mortali ad legis à se latæ observantiam. Eo ipso autem, quod talis obligatio sit præcisè ex legis Æternæ legi humanæ *intrinsicè* se insinuantis concursu ac efficaciâ, non autem ex lege, quæ *formaliter* emanante à Principe, oportet, ipsam tenere solummodò quoad vim *Directivam* fori *conscientiæ* propriam, non autem quoad vim *Coactivam*, foro *externo* catenus convenientem, ut respiciat legem humanam, prout est *formaliter* emanans a legislatore humano. Constat igitur, obligationem legum à Principe latarum ex vi legis æternæ in materiâ de se gravi obligare suum legislatorem in foro *duntaxat conscientiæ*, atque adeo secundum vim *Directivam*, non *Coactivam*. Et hinc Imperator *S. ult. Infit. Quibus modis Testamenta infirmantur* 3 ait; *Licet legibus soluti simus*, in foro scilicet *externo* 3 *attamen legibus vivimus*, in foro scilicet *conscientiæ*.

Objectio III.

URgebis. Papæ erga Concilium subjectionem videri evincendam sequentibus argumentis. Si namque Papa quoad suam personam fiat hæreticus, posse à Concilio judicari, ac deponi, uti patet ab exemplo Honorij I. relati in VIII. Synodo *Act. 7. Et in Cap. Audivimus. 24. q. 1. Cap. Si Papa. dist. 40. Cap. Novatianus. 7. q. 1. Cap. Dilectissimus. Cap. Achatus. 24. q. 1. Cap. Oves. 2. q. 7.* extat hoc definitum. Deinde si Papa intrusus, id est, non electus juxta formam præscriptam in Concilio Lateranensi *Can. 1. & Bullâ Gregorij XV. quæ incipit: Æterni Patris.* sive aliquis error juris Divini, seu *naturalis* electioni interveniat, vel electio fuerit *simoniaca*, uti decernitur in Bullâ Julij II. quæ incipit *Cum tam Divino.* vel etiam, si electio facta sit per metum gravem ac injustum. Ex Concilio Constantiensi *Sess. 39.* Tunc catenus nulla erit Papæ electio, ut propterea arguatur ex hoc argumento, lubesse Juris Canonici dispositionibus.

Adhæc si Pontifex aut vi, aut legibus injustè latis, aliòve modo Ecclesiam destrueretur, aut aliorum jura & bona injustè invadat, atque monitus non respiciat, posse bello & armis coerceri, omniq; ratione, ad jus naturalis defensionis spectante, compesci, probat Turrecremata *lib. 2. cap. 106.* Bellarminus *de Concilior. auctoritate lib. 2. cap. ult. ad 2. argument.* Quod equidem Author *Regalis Sacerdotij lib. 2. S. 14. n. 4.* comprobatur sequenti ratione, quod nempe in casu ejusmodi non resistatur Papæ, sed injustè ipsius invasioni, nec in illum exerceatur jurisdictionis, sed tantum jure defensionis agatur, quod jus non in jurisdictione & auctoritate fundatur, sed

in facultate naturalis juris, cui noscitur ipse quoque Pontifex subiectus esse. *Ex tota causa 25. q. 1.* Sed si hoc defensionis jus competat alicui Laico, præcipue Regi, quanto magis convenit Concilio alicui, ex totius Christiani orbis Episcopis conscripto? Hoc verò numquid, priusquam decernat, super injustis Papæ aggressionibus faciet processum *juridicum*, sicque adeo iudiciaria autoritate formabit sententiam super injusti aggressionum? Hoc namque *iudicario* procedendi modo utebatur Concilium Constantiense ad certum Ecclesiæ Caput obtinendum, super Papâ dubio instituyendo processum *iudicarium*, ut sine illo potiri valeret. An non igitur ejusmodi processus redarguit Papæ erga Concilium subjectionem aliquam?

45. Denique cum gravior, fidei præsertim causa, non nisi in Concilio Universali videatur decidi posse, Pontifex tenetur ad hoc adhibendum, uti Patres passim supponunt; rationemque hujus adfert *præcitus* Author *Regalis Sacerdotij n. 7.* quod, licet Summo Pontifici sit promissa Spiritus S. assistentia in rebus fidei decidendis, hæc tamen promissio supponit omnem diligentiam, & quantum causæ dignitas desiderat, discussionem, conformiter Synodo Hierosolymitanæ *Aâ. 15.* descriptæ. Nunquid verò hinc jam elucet aliqua Concilij supra Papam majoritas, in vi cujus iudicium super causâ ad se primitus delatâ, sed postea ad Concilium Oecumenicum relata, videatur esse quodammodo reformabile?

Responsio.

46. **EX** primo casu evincitur equidem, Concilio etiam acephalo esse aliquam non super Papâ, sed super privatâ personâ à Papatu jam remota veram *iudicariam*, & *authoritative* declaratoriam potestatem, de Papatûs amissione per ipsummet *jus Divinum* sanctitâ, ac secundum se jam præviè suum effectum sortitâ, non per aliam tamen viam, quàm per Generale Concilium cunctis fidelibus *authoritative* manifestandâ, sicque executioni publicæ demandandâ conformiter Canon: *si Papa, dist. 40.* ubi sic habetur: *Culpas Pontificis, redarguere præsumit mortalium nullus, quia cunctos ipse iudicaturus, à nemine est iudicandus, nisi deprehendatur à fide devius.* Ex hoc namque Canone evincitur, cum Papa, quamdiu est in hoc statu, à nemine sit iudicandus, pro casu autem hæreseos, seu à fide deviationis subijciatur iudicio Ecclesiæ, in Concilio Generali saltem *imperfectè*, & sub *intrinsicò* ad alium Pontificem ordine, *dispositivè* & *materialiter* Generali representata, oportere, in ipso non amplius subsistere Pastoris Oecumenici characterem, ex quo scilicet *cunctos iudicaturus à nemine est iudicandus.* Unde redditur consequens, ex tunc expoliatum tali caractere non jam iudicari tanquam Papam, sed supponi depositum à Papatu, sicque adeo non tam *formaliter* deponi à Concilio, quàm ab Ecclesiâ declarari ex *Jure Divino* depositum. Cujus ratio est. Quia ex caractere Pastoris Oecumenici Papa est

Caput Ecclesiæ. Nequit verò Caput esse Ecclesiæ, nisi sit ejusdem membrum. Hujus verò *quidditivâ* forma est per fidem. Quando igitur Papa per hæresin *formalem* excidit à fide Divinâ, ita definit esse membrum Ecclesiæ, ut ex *Jure Divino* jam non sit ipsius Caput, seu Pastor Oecumenicus. Ergo Ecclesiâ super Papâ factò hæretico, quoad suam privatam personam, exercendo *iudicariam autoritative* declaratoriam de Papatu per *Jus Divinum* amisso potestatem, non præterdit superioritatem super Pontifice, sed super homine, qui definit esse Papa.

Neque ex *secundo* casu evinci Ecclesiæ aliquam super Papa superioritatem, demonstratur sequenti fundamento. Etenim Papa non est antecedenter ad legitimam Papatûs collationem. Hæc equidem subsistit ex ipso *Jure Divino* eo ipso, quod Christus Oecumenici Pastoris officium pro perpetuo Ecclesiæ statui sanxerit, Petro promittens, & post Resurrectionem *actualiter* conferens Claves Regni cælorum, cum ordine ad talem Ecclesiæ statum, ut portæ inferi adversus eam non prævalerent. In quo diversa est ratio successions circa *ordinarium* Petri Apostolatam, & *delegatum*, Iudæ inprimis, atque in ejus locum subrogato Mathiæ commissum Apostolatam, cum ille, utpote perpetuus, ex primâ sui origine esset transferibilis in successorem: hic verò, utpote personalis, non haberet successionem, nisi quæ speciali sortis Divinæ signo fuerat designata, cum novæ delegationis Apostolicæ per fortem, quæ *Aâ. 1.* cadebat in Mathiam, Divinitus collatâ plenitudine: cujusmodi specialis delegatio, per singularem revelationem Divinam non solum Paulo, sed etiam Barnabæ erat Divinitus collata, juxta illud *Aâ. 3.* *Dixit illis Spiritus sanctus, segregate mihi Saulum & Barnabam ad opus, ad quod assumptos.* Cujusmodi proinde Apostolatûs delegatione, utpote personali, cum propriis Apostolorum personis expirante, ita pro perpetuo Ecclesiæ statu manet superstes Petri Apostolatûs, ut ejus collatio sit ipso *Jure Divino* constituta, nec adeo penes Ecclesiâ alia sit electio, quàm *designativa* personæ, adeo, ut hæc designatione post Summi Pontificis obitum peractâ, in hanc derivetur Apostolicæ potestatis plenitudo ex ipsissimo illo *Jure Divino*, quo per Christum sancta fuit Oecumenici Ecclesiæ Pastoris perpetuitas. Super Papatûs igitur collatione, cum sit *Juris Divini*, nulla potest esse Ecclesiæ superioritas: bene tamen super electione *designativâ* personæ, Petro successuræ, sicque adeo illo *Divino* collationis jure potituræ. At sicuti hæc electio *activè* sumpta, non afficit Papam, sed eligentes, *passivè* verò spectata, noscitur antecedens Papatûs collationem, est que actus ab hac distinctus: sic quatenus Ecclesiæ autoritas super eam *designativam*, seu *activè*, seu *passivè* spectatam electionem præterditur, nullatenus importat aliquam super Papâ superioritatem, sed super personas tum eligentium, tum electi pro statu, quo necdum Papa est, sed primùm pro posteriori redditur particeps illius *Juris Divini*, per quod constituitur Summus Pontifex.

42. Circa tertium casum tota difficultas est; An, si defensionis ius adversus injustum alienorum jurium aggressorem, seu etiam dubium Papam à Concilio aliquo Generali iudicè declaratur, ac processu iudiciario contra talem Pontificem procedatur, possit hinc redargui aliqua Concilij Generalis super Papam superioritas? In illo statu, quo Papa denunciatur Ecclesiæ, seu Concilio Generali, esse iurium alienorum injustus aggressor, minime oportet, iudicium ferri super Papam personam, eisque actibus, quæ intra ipsum constitentibus, sed super iuribus cuique fidelium inexistantibus, atque horum violationibus passivis, horum personam contingentibus, nec nisi quæ effectibus extra Papam suppositum, & intra alios fideles moraliter, vel physice receptis. Quorum aded iudiciaria præhabita cognitione, si Papa præmonitus, Ecclesiæ, seu Concilio Generali deferre nolit, non potest eisdem iudicialiter contra ipsum decerni, potest tamen *authoritative* declarari ius defensionis, fidelibus inique læsis per naturalem æquitatem competens ad armatam ulque resistentiam, & violentam etiam iurium taliter læsorum reparationem, seu vindicationem, quin ulla hinc coargui possit Concilij super Papam superioritas.

43. Dum insuper subest dubietas de valore electionis Pontificiæ, vel dum Ecclesiæ certificari non potest de legitimo Pontifice, exemplo Synodi Constantiensis, eatenus licet Ecclesiæ processus iudiciarius adversus Papam dubium, ut hinc minime evincatur Concilij super Papam dubium superioritas, sed super eius personam, quæ in iudicio Ecclesiæ, non Papam, authoritatis aded Pontificiæ pro ultimo eius iudicij statu, iniquum aggressorem; uti mox exponetur. Nam Pontificis Oecumenici receptio per Ecclesiam reduci debet in fidem Divinam, quæ Pastoris Oecumenici munus nescitur à Christo sancitum pro perpetuo Ecclesiæ statu. At stante illa dubietate, haud subsistit evidentia credibilitatis, per quam sub illo fidei principio credi debeat, hic in individuo esse legitimus Petri successor, atque aded verus Papa. In tali ergo casu Ecclesiæ non tenetur talem personam recipere in Summum Pontificem: sicque quoad nos (id est, quoad certitudinem pro ista personâ in Summum Pontificem recipiendâ, constringentem) in iudicio Ecclesiæ, manet Papa quasi *Negative* depositus, id est, sub tali conditione constitutus, ut non sit habendus pro certo Papâ. In quo proinde statu Ecclesiæ jus est, tum inquirendi super argumentis, per quæ vel perveniatur ad evidentiam credibilitatis, in lineâ prudentiâli certificantem de legitimo Petri successore, vel si hæc certificatio obtineri non valeat, per aliam viam sibi providendâ, quousque pertinatur ad talem certitudinē: unde si aliud, quàm ex Papæ dubij depositione, medium non inveniatur, ex illo iure fas est Ecclesiæ, eousque progredi; nec illa, quæ sanctæ Ecclesiæ Divinitus reposita est, Spiritus sancti assistentia in hoc deficit, ut iudicium illud Ecclesiæ fallum sit, sed omnia ita disponet suaviter, ut, si forte Pontifex, de cuius legitimitate

dubietas superari non potest, sit re ipsa verus Papa, per eisdem Spiritus sancti impulsam resignet, atque aded certæ in Pontificem designationi locum concedat, vel, si ad talem resolutionem disponi nequeat, ex illo de Ecclesiæ infallibilitate fidei principium legitimum formari possit iudicium super nullitate Papæ tds ab illo pertinaciter prætensi, contra suæ dictamen conscientiæ in tantum obstrictæ erga Ecclesiam, ut hinc in certo habendo Christi Vicario Capite, ex iure quasi naturali deferre merito debeat.

50. Ex quarto denique casu evincitur quidem aliqua Concilij Oecumenici, quæ ipsum Papam complectentis, eisque characterem, & authoritatem, seu vicario Christi nomine, insigniti majoritas, saltem quoad nos, sive quoad omnimodam nobis perspectam certitudinem, præeminens Summo Pontifici solitariæ extra Concilium spectato: hanc tamen majoritatem nullatenus præferre alicquem superioritatis characterem, constat ex dictis præced. concl. 2. Quibus ita constitutis, unum hic superest indagandum; Quia in Papa dubio abstractio Papæ dignitatis in tantum operatur, ut Ecclesiæ possit super tali dubio Pontifice iudiciarium processum formare, an non pariter in vero, ac certo, facinoroso & scandaloso, Ecclesiæque pernicioso Papâ, possit eatenus facere abstractionem à Papæ prerogativâ, utpote cum facinorosis eiusmodi actibus nullam habente connexionem, ut sub tali abstractione possit Concilium Generale erga ipsius personam authoritative exercere virgam correctoriam à Christo Matthæi 18. indefinitè erga quoscunque fideles sancitam?

CONCLUSIO III.

51. EO ipso, quod in iudicio Ecclesiæ, secundum credibilitatis authoritativam in fidei principia reducibilem evidentiam, habeatur quis pro vero, certo ac legitimo Papâ, nequit ex tunc Ecclesiæ, seu Concilium Generale super ipso ullum strictè, ac propriè sumptæ superioritatis jus exercere,

Explicatur & probatur expendendo *versum* 17. & 18. cap. 18. Matth. Ubi Christus imperavit: Si peccavit in te frater tuus, corripe eum &c. Numquid enim Summus Pontifex frater nominandus est, quatenus cum universis fidelibus participat in communicatione gratiæ, & beatitudinis, secundum quam homo est adoptivus filius Dei, atque coheres Christi? Numquid cum ipso, quæ hierarchici Corporis Capite, secundum Pastoralis sollicitudinis partem communicant reliqua hierarchica Ecclesiæ membra Episcopi, ac Prælati Ecclesiastici, sicque aded istos vocare solet Fratres, Anne igitur fas est, ipsū excludere ab illo correctionis fraternæ, ac Evangelicæ præcepto? Quando correctionis secreta impatiens est, num illum nefas erit, denunciare Ecclesiæ? At Ecclesiæ Corporis Christi hierarchici perfecte repræsentativa, dum Caput cum ipsâ non concurrat, minime subsistere poterit; sed Concilium acephalum duntaxat

taxat, uti tunc poterit illo salubri adversus Papam correctionis Evangelicæ remedio. Quod si ergo eventum fuerit ad virgam correctoriam, secundum quam Papa facinorosus & contumax, Ethnico & publicano, Ecclesiam audire detrectanti compar pronuntiandus sit, quid jam potestatis erit in Concilio? Quæ namque ligandi & solvendi potestas Apostolica Concilio Oecumenico per Christum fuit repromissa, ea superstruitur plenæ, ac Generali Synodo, ex hierarchicæ Ecclesiæ, & Corpore & Capite sub vicario Christi caractere aggregatæ: quæ tamen hierarchici Corporis plenitudo, ac perfectio, ob Capitis cum eo concurrentis defectum, haud intercedere poterit, ubi ageretur contra ipsum Ecclesiæ Caput Summum Pontificem. Et verò ipse Papa etiam solitariè sumptus, ex *Matthæi 16. cap.* habet æquæ plenam, ac indefinitam solvendi ligandique in Ecclesia auctoritatem. Quid ergo contra ipsum agere poterit Concilij Corpus acephalum, Synodi Oecumenicæ, per vicarium Christi nomen Summi Pontificis proprium, unice subsistentis caractere tunc destitutum? In aperto igitur est, ubi etiam per viam correctionis Evangelicæ agendum esset contra Papam facinorosum, nihil cum eo actum iri ex auctoritate, quamdiu maneret in statu certo & indubitato Papatûs, qui, ubi sub convincente prudentiâ & crederet evidentiâ semel est receptus ab Ecclesia, à nemine jam relevari poterit, præter causam consummatæ hæreseos, sub quo statu, uti desinit esse Christi membrum, sic Papatûs prærogativâ destituitur. Ex illo igitur Evangelico correctionis, virgæque censoriæ decretorio sacro textu nequaquam evinci potest Ecclesiæ, seu Concilij Generalis supra Papam auctoritas, seu superioritas.

Objectio I.

52. **D**ices. Quomodo igitur Concilij acephali, utpote Christi vicario caractere, Pontificiæ præminentie proprio, destituti, supra Papam dubium superioritas prætendi poterit? Etenim tam illa *indefinita* ad solvendum & ligandum potestatis prærogativa Apostolica, quam omnimodæ & consummatæ in dogmatibus fidei decidendis infallibilitatis supereminetia Concilij Oecumenici propria, superstitui debet Concilio, quæ Oecumenico, ceu Corpori hierarchico sub Capitis, vicarium Christi munus agentis, caractere, totam & universam Ecclesiam plenè representanti. At ubi Papa dubius est, atque contra ipsum agit Concilium jam acephalum, pro tunc evidenter deficit ille Ecclesiæ hierarchicæ status, super quo illa tum *indefinita* solvendi & ligandi potestas, tum illa consummatæ infallibilitatis auctoritas Oecumenica superstruitur. Quæ ergo tali Concilio acephalo potest esse auctoritas, contra Papam dubium procedendi, atque ad ipsius depositionem?

Responsio.

IN tali equidem Concilij acephali statu locum non habent præinsinuatæ Concilij, quæ Oecumenici propriæ prærogativæ. Nihilominus universi Episcopi, quæ possibile est, ex orbe Christiano aggregati in unum, comportant auctoritatem suam Ecclesiæ cuique designatæ gubernativam, quæ *collectim* sumptæ extendunt se *virtualiter* ad universam Ecclesiam, quatenus scilicet omnibus, & singulis Episcopis hujusmodi incumbit, eatenus prospicere suæ Diœceseos spiritali incolumitati, ut, quia singulorum Episcopatum Religio ex *intrinsecâ* suæ institutionis conditione ordinatur ad bonum Universalis Ecclesiæ, ipsi jam in uno acephalo Concilio unitis potestas, & obligatio sit, prospiciendi de certo Ecclesiæ Universalis Capite. Ex alterâ autem, Papæ scilicet dubij, parte, dum Papatûs ejusmodi ob defectum prudentialis de legitimo ad hanc dignitatem ingressu evidentie, nulla est habenda ratio, redditur inde consequens, in judicio Ecclesiæ, talem Papam perinde habendum esse, ac si vacaret Sedes Apostolica. Unde Papatûs, dum post Concilij, licet acephali in hunc finem aggregati, diligentem discussionem, non est probatu possibile, inconcussa & firma manet illa Episcoporum in unum collata *jurisdictio*, procedendi adversus Papam dubium usque ad sententiam, de Papatûs ipsius nullitate *authoritative* declaratoriam. Quæ secus se habent in Papa certo, quantumvis facinoroso, quippe cum in isto semper præmineat Papatûs ab Ecclesiæ recepti possessio & prærogativa, nullam Concilij, præsertim acephali, superioritatem *judicialiam* admittens.

Objectio II.

IN stabis. Papam habere subjectionem in foro Sacramentalis confessionis, ad cujus tamen valorem requiritur jurisdictio ab ipso etiam Summo Pontifice saltem *mediatè* derivata. Quantumvis ergo Concilium Oecumenicum non subsistat, nisi quæ informatum vicario Christi nomine, ut sic Pontificiæ auctoritati proprio, neque illa Concilio Oecumenico repromissa Apostolicæ potestatis ad solvendum plenitudo infallibilitatis, in fidei dogmatibus decidendis prærogativa subsistat, nisi quæ superstructa plenæ Synodo, ex Capite, & hierarchicis Ecclesiæ membris coadunata, ut sic Universalis Ecclesiæ representativa, nequaquam hinc evincitur, non posse Concilio Oecumenico competere aliquam super Papam superioritatem.

Responsio.

IN foro Sacramentalis confessionis ita concurrere debet jurisdictio ab ipso etiam Papa *mediatè* saltem derivata, ut hæc tamen sit *voluntaria*, in vi cujus nemo, nisi volens subiciatur illi foro. Sic proinde, si Papa propter delictum aliquod publicum, seipsum sponte velit subicere alicui Concilio, quantumvis acepha-

acephalo, respectu istius fortiretur subjectionem, sed mere voluntariam, ex seipso scilicet dependentem, non vero ex Concilij etiam, quæ Oecumenicæ naturâ, Divinæque institutione dependentem. Quod si equidem Papa seipsum volens subjecerit foro confessionali, adeoque jurisdictioni à semet erga se prorogata, tunc supervenit characteris sacerdotalis potestas, à solo Christo tam in sui infusione, quàm in sui exercitio per sacerdotem, quæ Christi instrumentum in absolute Sacramentali perficienda. Sub cuiusmodi proinde absolute Sacramentalis actû ipsemet etiam Papa perfectam erga Confessarium, quæ Christi jam ministrum, imò erga ipsum Christum habet subjectionem, debetque aded pro tali foro profiteri aliquam supra se, quæ Christiano homine, superioritatem, quæ tamen sit principaliter in Christo, instrumentaliter autem in sacerdote Sacramentaliter absolute.

Pari igitur ratione quoad fidei dogmatum in Concilio Oecumenico definitiones, Papa plenè & absolute est subiectus tali definitioni ex vi autoritatis; instrumentaliter Concilio Oecumenico, quæ suæ quoque vicariæ Christi autoritatis characterem præferenti, principaliter autem ipsimet Spiritui sancto, Synodo quæ Oecumenicæ, secundum Christi promissionem, assistenti, ineluctabiliter competentis. Nihilominus hæc Papæ erga dogmaticas Concilij Oecumenici definitiones subiectio respicit quidem perfectam Spiritûs sancti ac Christi, respectu Papæ superioritatem: at quia Concilium quæ Oecumenicum ipsamet Papæ præminentiam, seu sui characteristicam formam essentialiter constitutivam includit, idcirco non tam superioritatis strictæ, quàm majoritatis cuiuspiam præcellentiam importat, uti supra expositum fuit.

Corollarium.

57. EX dictis infertur decisio quadruplicis circa Concilium Generale difficultatis. In primis quoad Concilium quantumvis Generale, si acephalum sit, pro primo & quarto circa huius disquisitionis initium exposito statu, prorsus asseverandum est, nihil habere specialis potestatis, præcipue erga Papam, nisi in quantum singulorum Episcoporum in unum collatæ jurisdictioni accrescit quædam extentivæ plenitudo erga dubium præcipue Papam, uti proxime expositum fuit, singularem obtinens vim ac energiam.

58. Deinde quoad secundum statum dicere oportet, quod Concilium Oecumenicum, vicario Christi nomine insignitum, sicque aded Papam ipsam, seu Ecclesiæ Caput cum reliquo ejusdem hierarchico, ex orbis Christiani Episcopis confiato Corpore completens, præter hanc soli Summo Pontifici propriam autoritatem, sit à Christo Domino immediate donatum duplici prærogativâ, alterâ indefinitæ ad ligandum & solvendum potestatis, alterâ omnimodæ & consummatæ infallibilitatis.

59. Pro tertio insuper quæstionis circa Concilium Generale statu asseverandum est, du-

plitem illam prærogativam, cum non conveniat Concilio, nisi quæ Oecumenico, minime competere Generali Synodo, quantumvis ex Patrum, seu Episcoporum numerosissimo concursu quasi materialiter loquendo, plenissimæ, atque Legatorum Pontificiorum præsentia solennizata, nisi cum isthoc hierarchico Concilij Corpore in fidei dogmate aliquo sanciendo consentiat Summus Pontifex, neque hanc potestatem ex parte Papæ esse delegabilem, sed oportere, consensum personaliter præstari à Pontifice Maximo, ut robur infallibilitatis consummatæ adijciatur ejusmodi dogmaticis sanctionibus.

DISQUISITIO III.

An superioritas Papa supra Concilium acephalum demonstrari possit ex sacris Litteris?

§. I.

CONSULTO restringitur hæc disquisitio ad Concilium acephalum, etiam quando legitima Papæ autoritate congregatum præsentem ac præsentem habet Legatos, seu Nuntios Apostolicos, necdum tamen obtinuit consensum Summi Pontificis, Decretorum inibi sancitorum confirmatorum. Etenim ex præcedenti Disquisitione constat, omnimodæ infallibilitatis autoritatem, ex Christi Domini institutione non competere Concilio, nisi quatenus Duo, Caput scilicet, ac reliquum Corpus hierarchicum Ecclesiæ consenserint in fidei dogmatibus, ac morum decretis quoad formale honestatis motivum, & rationem in fidei principia reducendis. Et ideo Concilium quantumvis Generale, priusquam ipsorum sanctionibus accedat personalis Papæ consensus, necdum est in statu consummatæ Synodi, quæ formaliter Oecumenicæ, sed hanc ultimam sui perfectionem recipit ex Pontificæ autoritatis decretorum confirmatorie consensu.

Non equidem negaverim, ubi per Summum Pontificem facta est indictio Concilij Generalis, mandato ad universos Christiani orbis Episcopos, Ecclesiæque Prælatos directo, atque in vi mandati convenerint Ecclesiæ Præsules, præsentibus præcipue Legatis Apostolicis, Concilium jam in statu esse Oecumenicæ Synodi, quatenus ex tunc verificatur, Vicario Christi nomine, seu autoritatis Apostolicæ, Vicarium Christi nomen præferentis, characterè insignitum existere Antistitem tali modo coadunatorum Conventum, Ecclesiæ Universalis ex hierarchico Capitulis, ac reliquorum, in partem sollicitudinis pastoralis assumptorum Præfulum ordine consistentis representativum: nec interest, sive pauci, sive plures sub tali characterè fuerint coadunati ex orbè Christiano Præsules Christo Domino *Matthæi 18.* pronuntiante, se in medio eorum fore, ubi duo, vel tres congregati nimodam in fidei dogmatibus decidendis interfuerint. Hæc tamen assistentia Christi, omni-

fallibilitatem adferens, eatenus requirit Duorum, scilicet Capitis, ac reliqui hierarchici Corporis in unum consentientium personalem, Legatis Apostolicis haud delegabilem, concursum, ut, antequam hic utrinque fuerit personaliter praestitus, Concilium quantumvis Generale ac Oecumenicum, non sit adhuc in statu perfecto, seu ultimata consummato: tametsi haud negaverim, Apostolicam ligandi & solvendi potestatem indefinitam Concilio Oecumenico, qua Collegij Apostolici successori a Christo immediatè concessam, antecederent ad illam consummatam, ex personali Pontificij consensus concursu subsistentem, omnimoda infallibilitatis perfectionem, jam locum habere, ex quo in Christi Vicario nomine sub Sedis Apostolicæ Legatorum praesentia aggregari, & continuari cepit.

In cujusmodi proinde statu, cum Concilij Oecumenici ad ligandum & solvendum auctoritas coarctetur cum Pontificia potestate, in vi cujus Synodus ex Capite, per Legatos praesidente, & reliquo Ecclesiæ hierarchicæ Corpore coadunata, merito jam dicenda sit Oecumenica, licet ultimata, & consummatam sui perfectionem tandem receptura ex personalis Pontificij consensus ad sanctiones dogmaticas à Patribus definitas accessu. Idcirco sicuti in *precedente Disquisit.* dicebamus, Concilium Oecumenicum ex ejusmodi rationis fundamento dici haud posse Papam superius, sic vicissim neque Papa est dicendus supra Concilium plenè Oecumenicè habere strictam superioritatem. Secus est de Concilio necdum plenè, sed quasi *dispositivè* Oecumenico, in casu dubij Papæ aggregato, ad certum Ecclesiæ Caput inquirendum ac designandum. Tunc enim tali Synodo, quantumvis *materialiter* dici possit Generalis, deficit *formalis* character, quovisque veri, ac certi Pontificis auctoritas Apostolica eidem tandem accesserit: dum interea in tali Concilio acephalo non alia, quam universorum ex Christiano orbe ibi aggregatorum Ecclesiæ Antistitem in unum collata intervenit jurisdictione, cum aliquo adeo singulis accrescente *extensivo*, ut sic ad publicum Ecclesiæ Bonum efficacius referibili augmento. Cujusmodi adeo Concilio acephalo Pontificia auctoritas prorsus supereminet; veluti ex sacris Litteris pro utraque parte adducendis demonstrare conabimur.

§. II.

His taliter praesuppositis, operæpretium duximus, alios quoque Theologos super praesentis disquisitionis puncto consulere, ac singulariter audire Authorem *tractatus de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ lib. 5. cap. 10. concludentem*: In sacris Litteris clariùs exprimi Pontificis sine Concilio, quam Concilij sine Pontifice auctoritatem.

Tria igitur præcipuè citantur loca pro auctoritate Conciliorum. Primus locus est Matth. 18. *Vbi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Sed primò Launojus par. 6. epist. 1. notat, hunc locum de Conciliorum quovis genere intelligi posse, & à

nonnullis Ecclesiasticis tractatoribus subinde intelligi. Secundò quinque sanctorum Patrum interpretationes refert; qui locum illum neque de Concilij generalibus, neque de Provincialibus intellexerunt. Et sanè videtur magis ad obedientiam in causis Criminalibus praestandam, quam ad fidem declarandam, aut Canones condendos pertinere. Praemittitur enim; *Si peccaverit in te frater tuus, &c.* quæ praescribunt ordinem judicarium in ferenda excommunicatione servandum; vel ad orationis efficaciam. Cum enim dixisset Christus: *Si duo ex vobis consenserint super terram de omni re, quaecumque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in caelis est;* immediatè subiungit verba illa; *Vbi enim sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Accedit, quòd illa verba Concilium Provinciale, aut adhuc Provinciale minus, potius significant, quam universale. Nam duo, vel tres Concilium fortasse Provinciale, non autem universale constituerent.

Alter locus est Joannis 16. *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.* Sed ea promissio non solum in omnibus Apostolis collectivè, sed etiam in singulis erat implenda. Accepit enim Spiritu sancto in die Pentecostes, factum est illud, quod praedixerat Propheta Isaías cap. 45. v. 13. à Christo allegatus Joann. 6. *Et erunt omnes docibiles Dei.* In hunc sensum B. Petrus ipso Pentecostes die locum illum Prophetae Ioelis adduxit; *Et erit in novissimis diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri, & filiae vestrae.*

Tertius locus est Act. 15. ibi enim primum Concilium, quod est cæterorum norma, scripsit; *Videtur est Spiritus sancto, & nobis;* quæ verba de assistentia Spiritus sancti dubitare non sinunt. Sed illa Spiritus sancti assistentia Apostolos inspirantis Apostolorum gratiæ, non Concilij generalitati tribuenda est. Nec enim generale erat, siquidem ex Apostolis & Senioribus Ierosolymis consistentibus duntaxat constabat; uti probat Cardinalis Baronius ad annum 51. num. 9. adfuisse tunc tantum ex Apostolis Petrum, Iacobum, & Ioannem cum Paulo, & Barnaba. Erant autem in multis mundi partibus Episcopi jam constituti, quos, certum est, ab eo Concilio abfuisse, ut universale dici non possit. Adde, quòd Cæri aderat B. Petrus, ut nihil hinc ad propositum concludi, cum agamus de Concilio, à quo ablit Petri successor, possit.

Probatum etiam auctoritas Conciliorum in omnibus Scripturæ locis, quibus, Ecclesiam circa fidem errare non posse, demonstratur. Cum enim Concilium Ecclesiam representet, necesse est, ut sicut Ecclesia, ita Concilium ab omni erroris circa fidem periculo absit. Sed Summus Pontifex melius Ecclesiam representat, quam reliqui Episcopi sine ipso.

Statuitur autem evidentius ejus, quam Conciliorum auctoritas in sacris Scripturis. Etenim dum Matth. 16. Petrus fundamentum Ecclesiæ constituitur à Christo dicente; *Tu es Petrus,*

Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam, & porta inferi non prævalent adversus eam, manifestè declaratur, cum, ejusque successorem Romanum Pontificem, ita se habere ad reliquorum fidelium cœtum, sicut fundamenta ad ædificium. Atqui ratione, & experientiâ compertissimum est, firmitatem ædificij a fundamento, non autem fundamenti ab ædificio pendere. In eundem ergo modum firmitas in Fide, ac Religione, non à reliquis fidelibus in Summum Pontificem, sed à Summo Pontifice in reliquos fideles provenit.

Verùm ultra progressuri, conabimur in hac disquisitione ostendere, quòd ex sacris Litteris haud probetur Concilij supra Papam superioritas, sed e contra Papæ supra Concilium, quâ acephalum autoritas.

S. III.

Adversariorum argumenta ex sacrosanctæ Scripturæ verbis petita referuntur cum responsionibus, & aliquali super ijs reflexione.

ARGUMENTUM I.
Adversariorum.

Forma posteriorum Conciliorum Oecumenicorum petenda est ex norma Concilij Hierosolymitani *Act. 15. à versu 6.* descripti. Ubi patet ex *versu 7. & 18.* Jacobum Apostolum, postquam Prophetica, ad disquisitionis tunc de Legalibus propositæ decisionem facientia, adduxisset oracula, postmodum *versu 19. & 20.* definitivam & judicariâ protulisse sententiam: Propter quod, inquit, ego judico, non inquietari eos, qui ex Gentibus convertuntur ad Deum, sed scribere ad eos, ut abstineant se à contaminationibus simulacrorum, & fornicatione, & suffocatis, & sanguine. In quam proinde Jacobi sententiam *versu 23.* scribentes Apostoli & seniores fratres, talem efformarunt epistolam Synodalem: *Visum est Spiritui sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine & suffocato, & fornicatione. Neque igitur in definitivâ Concilij sententiâ, neque in hæc Synodali epistolâ videretur ulla fuisse habita ratio Petri præminentie, quod merito faciendum fuisset, si Petro convenisset aliqua supra Concilium superioritas.*

Responsio.

Author *Regalis Sacerdotij cit. lib. 2. §. 15. n. 3.* ad posteriorem illius argumenti partem responder; hunc esse morem & stylum, etiam quando Summus Pontifex cum suprêmâ præest potestate, ut nomine Concilij decreta expediantur, quod patere, omnia Concilia, etiam ultimum Tridentinum legenti, nec propterea excludi auctoritatem Pontificiam, quæ primas in Concilio partes agit; sicut cum dicimus: *Petrus scribit*, quamvis de Capite nihil dicatur, non tamen hujus influxus excluditur, sed semper velut necessarius & principalis subintelligitur. Imò in illo ipso Conventu Apostolico, ubi omnes à Spiritu sancto gubernabantur, nec errori patebant, multa Petri Primatus sui argumenta reliquif. se, dum primus sententiam dicit, dum, quid definiti debeat, præscribit, dum calentem prius disputationem, & vota discordantia componit: quæ omnia eum locum legenti patere.

Reflexio.

Ex illo Concilio Hierosolymitano mirificè elucet, quàm diversa sit conditio Petri, ac cœtæque

9. Petro date sunt claves Regni Cælorum, & per ipsum Apostolorum Collegio, non autem primò Apostolorum Collegio, ac per illud, seu in illo, B. Petro. Prosequitur enim Christus loco citato; *Et tibi dabo claves Regni Cælorum, & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Certum est autem, per claves potestatem significari.

10. Tertio, Episcopi etiam congregati non desinunt esse fratres successoris Petri; ergo ab eo debent confirmari; pro ipso enim Christus oravit, ne deficeret Fides ejus, ut posset deficientes, aut titubantes suffulcire: quod in Petri, & aliorum Apostolorum successoribus potius locum habet, quàm inter ipsosmet Apostolos. Nam post adventum Spiritus sancti Apostoli omnes fuerunt in gratia confirmati, ut B. Petri confirmatione non ita indigerent. Antè verò non legimus, B. Petrum tantum suos fratres juvisse, ut necessarium eis fuerit indeficientis illius fidei præsidium.

11. Quarto, dum Christus *Ioan. ult.* oves suas pascentes Petro, & in ejus personâ Romanis Pontificibus, tradidit, aperte significavit, Summum Pontificem esse Pastorem, reliquos autem fideles gregem. Quis autem gregi Pastorem præponendum dubitet? Num monstruosa foret ordinis perturbatio, si pastor à grege, non grex à pastore regeretur? Nec responderi potest, intelligenda illa esse de ovibus seorsim lumpis, non autem de toto grege. Nam nullum est in Christi verbis hujus distinctionis vestigium. Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil.

12. Ex collatione illorum Scripturæ sacre locorum perspicitur, clariùs expressam esse Petri, quàm aliorum sine ipso, auctoritatem. Sed aliqui Scriptores Gallicani Catholici contendunt, prærogativas illas B. Petro datas esse tanquam Ecclesiam representanti, atque adeò toti Ecclesiæ in ipso; ipsum quidem, ejusque successores singulis membris præminere tanquam Caput, non autem toti Ecclesiæ formaliter acceptæ, vel per Concilium representatæ. Videndum igitur est, quam personam gesserit Petrus, cum ei Christus auctoritatem contulit locis Scripturæ supra relatis expressam; & utrùm ad singulos hæc referatur, non ad omnes simul? Et adhuc an descenderit ad Romanos Pontifices? Id enim Hæretici negant omnino, & aliqui Catholici, ex parte.

eoque Summi Pontificis extra Concilium ex sua privata sententiâ procedentis, vel in Concilio autoritativam proferentis sententiam. Petrus antehac Gentilibus ad fidem conversis in favorem illorum, qui ex Judaismo Christi religionem amplexi fuerant, Veteris Testamenti Legalia aliqua obtrudebat, reprehensus proinde à Paulo; uti 2. ad Galatas cap. habetur. At in Synodo illâ Apostolicâ proferens sententiam ex Divinis Oraculis ita pronunciabat: *Viri fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire Gentes verbum Evangelij, & credere. Et qui novit Deus, testimonium perhibuit, dans illis Spiritum sanctum, sicut & nobis. Et nihil discrevit inter nos & illos, fide purificans corda eorum. Nunc ergo, quid sentatis Deum, imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus? Sed per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus salvari, quemadmodum & illi.* In quo sacro-textu occurrit notatu dignum, quod Petrus in Concilio præferre volens autoritatem uni suæ personæ propriam, dixerit in singulari: *Quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegerit, per os meum audire Gentes verbum Evangelij, & credere.* Ex quibus sanè verbis infertur, autoritatem credibilitatis specialem substituisse ex ore Petri in Concilio loquentis verbum Evangelij, ac eatenus declarantis, seu definitis, ut exinde præferretur ratio autoritativæ credibilitatis. At ex hoc jam elucet Petri in fidei dogmatibus decidendis præ cæteris Apostolis præminencia ac primatus, sub illâ ipsâ definitivâ Conciliari sententiâ, singularis autoritatis proferens characterem.

17. Unum observatione dignum est, quod, ubi Petrus protulit illam sententiam, subdatur *versu 12. Tacuisse omnem multitudinem Concilio adstantem.* Quæ taciturnitas *tomo 1. Concilior. circa tertiam Apostolorum Synodum* dicitur æquiparari consensui. Quem proinde consensum subsecuta est promulgatio Decreti Synodalis facta per Iacobum Apostolum, de quo ex verbis *supra n. 14.* adductis constat, judicasse, ut scriberetur Fratribus Antiochiæ consententibus, ne ex Legalium observantiâ inquietarentur ij, qui ex Gentibus ad Deum essent conversi. Ipsissima enim hujus à Iacobo prolati iudicij verba significant, non tam definitivum, quam executivum decretum: sicque adeo Synodalis ad Antiochenos epistola hunc in modum est formata: *Visum est Spiritui sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria &c.* Quare hinc patet, Petrum proferendo suam sententiam, fuisse quidem usum suâ propriâ autoritate, quâ sibi singulariter competeret illa prærogativa, secundum quam fuerat à Deo electus, ut *per os suum audirent Gentes verbum Evangelij, & crederent:* attamen in finali decreti Conciliari conclusionem conjunxisse consensum suum, cum reliquis Apostolis ac Senioribus Concilij ejusdem Assessoribus, ut sic servaretur forma Oecumenicæ Synodi per Christum *Matthæi 18.* constituta, secundum quam Duo, Caput scilicet cum reliquis hierarchicis Ecclesiæ membris, oportet, consentire, quò omnimoda sanctionis dogmaticæ infalli-

bilis subsistat. Et hinc sub hoc Capitis, unâ & reliqui Ecclesiæ Hierarchicæ Corporis consensu, subsistere equidem quandam infallibilitatis eminentiorem majoritatem, non verò strictam Concilij super Papa superioritatem, seu jurisdictionem, constat ex dictis *preced. Disquis.*

ARGUMENTUM II. adversariorum.

ET enim *Act. 20.* Paulus sic alloquebatur Episcopos: *Attendite vobis, & universo regi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Quibus sanè verbis Apostolus agnoscit in Episcopis jurisdictionem super universo Christi grege protensam, quod procedit de Episcopis saltem collectivè sumptis, atque adeo, quâ aggregatis in Concilio præsertim Generali. Et hinc concludit Paulus, Episcopos esse à Spiritu sancto positos ad regendam Ecclesiam indefinitè, adeoque universaliter acceptam. Quare intrâ autoritatis Episcopalis saltem ex universi Christiani orbis Hierarchis in Synodo Generali aggregatis in unum collatæ spheram continetur etiam ratio Boni publici ad Ecclesiam universalem spectantis. Sicut autem ex hoc, quod Pontificia autoritas tota quantum enunciarari debeat ex ratione Boni publici, Ecclesiæ universali proprij, atque adeo Pontificis Summi cura pastoralis obstringitur ad observandum publicum Ecclesiæ universalis Bonum, sic quatenus istud ab Episcopo in unum collectis determinatur, ejus observandi debito tenetur Summus Pontifex, itaque subjacet Episcoporum Concilio, præsertim Generali.

Responsio.

AUthor *Regalis sacerdotij cit. S. 15. n. 5.* respondet ad illum Apostoli textum, Episcopum quemlibet, dum propriam, & particularem Ecclesiam regit, hoc ipso & mediâ re gere Ecclesiæ membrum, Bono & regimine partium cedente in Bonum ac regimen totius: sicut bonum & malum unius membri est etiam bonum & malum totius corporis: & tamen omnium membrorum, ipsiusque corporis motus & directio à Capite pendet, unde & influxum & spiritus, motumque accipiunt. Ergo & Papam & Episcopos regere Ecclesiam, sed istos ut membra, illum ut Caput: istos regere particulares Ecclesias, illum totam & universalem Ecclesiam.

Reflexio.

ALia habenda est ratio Boni publici universalem Ecclesiam complectentis, sub quadam *extensivâ* in unum collatæ jurisdictionis Episcopalis universalitate, coalescente vel ex Christiani orbis Episcopis intrâ Generale Concilium aggregatis, vel ex ipsdem, quâ unius Corporis mystici, nempe Ecclesiæ sanctæ Hierarchis collectivè sumptis, vel ex eisdem sub muneri sui *intrinseco* fine, universale Ecclesiæ Bonum respiciente, ad se invicem comparatis.

Sub

Sub eujusmodi adeo consideratione, si universi ex orbe Christiano Episcopi conspirent in aliquo decreto, quod uniformiter judicant, esse de Bono necessario Universalis Ecclesiæ, teneatur ipsemet quoque Summus Pontifex illi se conformare, non equidem in vi jurisdictionis Episcopalis, ex toto Christiano orbe in unum collatæ, atque ad unum Ecclesiæ Universalis Bonum, quæ necessarium sibi visum conspiciant, sed ex altiori Divini Juris obligatione, sui muneris Oecumenici curæ pastoralis incumbente; sicque adeo potest ex hoc Papa quidem dici subiectus Juri eujusmodi Divino, non autem illi Episcoporum, quantumvis Generali Concilio. Nam ut isti esset quædam super Papam superioritas, oporteret, eidem inexistere non illam duntaxat *extensivam* jurisdictionis universalitatem, sed deberet habere *supereminentiorem intensivam* majorem auctoritatem, super ipsum etiam Ecclesiæ Caput protensam, in vi cujus ita posset obstringi Papa, ut ex eujusdem præcepto *specifico*, non ex *transcendente* duntaxat Divini Juris obligatione altiori teneretur obedire, se conformando rei præceptæ. At quia Christus Joannis 21. dixit Petro, eujusque Successori: *Pasce oves meas, pasce agnos meos*, ipsos adeo Episcopos, sequitur, non his erga Papam, sed isti erga illos esse auctoritatem præceptivam. Ex illa igitur *extensivâ* Episcoporum, ex toto Christiano orbe suas universas jurisdictiones, pro Communi Ecclesiæ Bono, in unum conferentium universalitate, nulla resultare potest majoritas superioritatis supra Papam protensæ.

CONCLUSIO.

Concilio Generali, quæ acephalo, id est, sine Papa considerato, nulla est supra Papam superioritas, sed huic e contra est auctoritas superioritatis erga tale Concilium.

Explicatur. Ad hoc perspicaciùs intelligendum, lubeat corpus humanum à suo capite præcindere non *physicâ* separatione, sed *mentali* abstractione. Sub eujusmodi igitur præcisione *mentali*, multas in humano corpore vitales seu vegetativas, seu sensitivas tum cordis, tum hepatis, aliorumve membrorum functiones deprehendimus, quæ non sunt in capite, sicque adeo cum isto collatæ, faciunt quandam *extensivam* majoritatem ultra proprias functiones, à quibus istæ quoque vel maximè, & ut plurimum necessariò dependent. Quæ tamen capitis quoad sui conservationem, & in ordine ad functiones sibi proprias, à reliquis humani corporis membris, corde præcipue ac hepate dependentia, nullam in eujusmodi humano corpore, præcisè spectato, super caput impertat superioritatis quasi gubernativæ rationem, quin potius regimen quoddam teneat super totum corpus humanum, eujusque membra, ac functiones istorum, saltem quoad *mediatum* aliquis directionis ac moderationis in eas influxum. Sic proinde, si Ecclesiæ Corpus hier-

archicum consideremus secundum quandam Capitis ac reliqui Corporis hierarchici in Concilio Generali coadunati præcisionem, & secundum aliquam inter se collationem, verificatur equidem, quod Summus Pontifex Ecclesiæ Caput indigeat membris hierarchicis, Episcopis à Spiritu sancto positus, ut regerent Ecclesiam Dei. Quæ indigentia spectat tum Episcopos *sigillatim* spectatos, quæ diversarum Dioceseon Rectores, quas impossibile foret ab uno Pastore ad sufficientiam gubernarium; tum Episcopos *collectim* in unum Generale Concilium coadunatos, quorum Episcopales jurisdictiones jam faciunt aliquam *superiùs* expostam generalitatem *extensivam*. Quæ etiam *extensivâ* Corporis hierarchici universalitas est necessaria, ut Caput ipsum, Summus Pontifex, potiri possit prærogativâ ultimæ & consummatæ infallibilitatis, per Christum repromissæ, & annexæ Capitis, unâ ac reliqui Corporis hierarchici intrâ Concilium Oecumenicum coadunati consensui. Ex qua etiam infallibilitatis prærogativâ Capiti Ecclesiæ accrescit majoritas quædam *intensivâ*, quam tamen *superiùs* demonstravimus, non importare proprie dictam superioritatem, neque Concilio, quæ acephalo, id est, sine Capite considerato, sed utriusque *collectivè* sumpto esse Divinitus repromissam. Quemadmodum igitur corpus humanum secundum abstractionem *mentalem* à Capite præcium, nihil habet super istud superioritatis, sed capitis e contra est quædam super reliquum corpus gubernativa superioritas: sic rem se habere in Capite collato ad Ecclesiæ hierarchicum Corpus, seu Concilium Generale, quæ acephalum sine Capite considerato, ostendemus in *subsequentibus*; hæc equidem per retorsionem argumentorum ex parte adversa allatorum, postea verò in *SS. subsequentibus* per *directas* ex sacris Litteris probationes.

PROBATIO I.

In qua fit retorsio *primi* Adversariorum argumenti.

Enim Concilium Hierosolymitanum, de quo fit mentio in præinsinuatō Adversariorum argumento: quantumvis non fuisset *materialiter* Generale, extitisse tamen Oecumenicum, & *formaliter* universale, ex eo evincitur, quod vicario Christi nomine, Pontificiæ auctoritatis proprio, fuerit coadunatum: Christus autem *Matthæi 18. cap.* Concilium *formaliter* Oecumenicum asseveravit, subsistere, ubi duo, vel tres in nomine suo, nempe vicariâ suâ auctoritate Apostolicâ congregarentur. In hoc igitur Concilio Oecumenico, quis Catholicorum negabit, Petrum ibi præsentem, extitisse Caput Ecclesiæ? Hoc autem supposito, quis Catholicorum negare ausit, Capiti Ecclesiæ intrâ Concilium Oecumenicum convenire officium præsidens? Hoc igitur præsidentiæ munus in eo Concilio à Petro exercitum, præter ea, quæ in *præcedentis §. n. 16.* deducta sunt, demonstratur. Etenim is ex Apostolis tanè Præsidis munus in Concilio subit, qui quæstio-

H h

nis

nis ibidem definiendæ, conquisitione magnâ à Cœto factâ, primus taliter definit, ut cæteri Apostoli in ejus sententiam uniformiter condescendant. At legenti sacrum textum *cit. cap. 15. Actor.* perspicuè constabit, magnâ prius conquisitione circa propositam controversiam factâ, Petrum surrexisse primum, & taliter definiisse quæstionem, ut cæteri Apostoli (ibi præsentibus) omnes in ejus sententiam descenderent. Et hinc, etsi Petrus, quamdiu conquisitio fiebat, non fuerit primus locutus, secus tamen, ubi deventum est ad definitionem, in qua Primæ debentur Præsidi: neque huic muneri derogatur, licet Paulus, Barnabas, & Iacobus post Petrum locuti fuerint non aliter, quàm à Petro jam definitivè pronuntiatum erat, sicquæ à Iacobo Petri sententiam ex Divinis Oraçulis comprobante, ad Antiochenam Ecclesiam scribendum, adeoque executioni demandatum fuerit.

23. Quomodo igitur Regis in Comitibus Regni sui generalibus præsentia nihil derogat, quod ubi Ordinum consilia & vota sunt collecta, decernat ex Regiæ Majestatis autoritate, indequæ verò Regni primus Cancellarius Decretum scribendum demandet, sic neque præsentia Petri officere potuit: quod Iacobus Apostolus Urbis Hierosolymitanæ, in qua celebrabatur illud Oecumenicum Concilium, Antistes *in via executionis* judicavit, non esse per Legalia (conformiter definitioni jam factæ) inquietandos, qui ex Gentibus converterentur ad Deum, sicquæ ad eos scriberetur. Quia igitur neque Corporis *physici*, neque hierarchici, à Capite seorsim spectati, potest aliqua supra Caput, in Concilio Oecumenico præsidis munus subire consuetum, esse superioritas, idcirco ex præallegatâ Concilij Hierosolymitani normâ evincitur, non Synodum præcisè sine Capite spectatam, supra Papam Petri Successorem, sed hunc erga Concilium, quâ acephalum habere superioritatem.

PROBATIO II.

In qua fit retorsio *secundi* Adversariorum argumenti.

24. SI namquæ in publico Regni alicujus, cuius Rex est Caput Monarchicum, Comitibus convenient Status universi, in certos distincti Ordines, tunc equidem in unum conferuntur universæ Regni gubernativæ, ex ipso Rege seu mediatè, seu immediatè derivatæ potestates, in ordine ad consulendum publico Regni Bono, ad quod ex *intrinseco* suo sine *transcendentali* ordinantur cunctæ particularium regiminum jurisdictiones civiles, ac politicæ. Et hinc ad Regiæ Majestatis supereminentem dignitatem fit quædam *extensiva* cuiuspiam, Bono publico perquam proficua, majoritatis accessio, quæ tamen *supereminenter*, quoad *intensivam* alicujus majoritatis superiorem excellentiam, contineatur universim in ipsâ Regiæ Majestatis præcellentia: nec adeò dicere fas est, Comitibus Regni esse supra Regem, si hic sit Monarcha, sed hunc esse supra Comitibus.

Pari proinde ratione, si universæ, cunctarum etiam totius orbis Christiani Episcoporum, jurisdictiones intra Concilium Generale aggregantur in unum, cum suo ad Universale Ecclesiæ Bonum ordine *transcendentali*, inde quidem resultaret *extensiva* quædam majoritas, publicæ Ecclesiæ utilitati, ac regimini universali accommodata, & utilis, ut propterea Pastor Oecumenicus in publicæ Ecclesiæ necessitatibus obstringatur ad talem Generalem convocationem, autoritate Christi Vicariâ indicendam. Nihilominus tota illa ex jurisdictionibus Ecclesiasticis in unum collatis resultans *extensiva* majoritas, *supereminenter* contineretur in Oecumenica Papæ autoritate, ex qua cunctæ reliquæ inter Episcopos dispersitæ jurisdictiones eatenus derivantur, ut earundem confortes, seu Agni Christi, etiam *collektivè* spectati, semper subdantur Oecumenico Summi Pontificis Pastoralis officio, atque adeò univerforum Episcoporum jurisdictiones sic in unum collatæ, secundum *intensivam* majoritatem, ac superioris ordinis, Capitis scilicet propriam præminentiam, superexcedantur à Pontificiâ autoritate, utpote cui *super quocunque in terris* ad regnum exlorum seu militans, seu triumphans ordinabili *Morali* competat *indefinita* ligandi & solvendi potestas. Et licet Concilio Generali, quâ *formaliter* Oecumenico, unâ cum Capite spectato, ex *Matthæi 18.* peculiaris adhuc promittatur ligandi & solvendi autoritas universalis, hæc tamen nequit major & universalior esse, ac illa, quæ soli Petro, ejusquæ adeò Successori Pontifici Romano Divinitus competit, nec adeò Concilium etiam quâ Oecumenicum, unâ cum Capite spectatum, potest habere majoritatem jurisdictionis, seu superioritatis erga Papam.

Objectio.

26. DICES. Autoritatem Conciliorum probari peculiariter ips omnibus Scripturæ locis, quibus Ecclesiam circa fidem errare non posse, demonstratur. Cùm enim Concilium repræsentet Ecclesiam, necessarium esse, ut, sicut Ecclesia, ita & Concilium ab omni erroris circa fidem periculo absit. In quâ adeò infallibilitatis omnimodæ & consummatæ prærogativâ Concilium supereminere Papæ solitariè spectato.

Responsio.

27. TANTO equidem honore dignatus est Christus suam Ecclesiam, atque adeò Concilium ejusdem repræsentativum, ut tali consummatæ infallibilitatis in fidei dogmatibus decidendis prærogativâ supereminere. Attamè sicuti Ecclesia *absolutè* sumpta, nequit intelligi sine Capite, sic neque Concilium, quâ Universalem Ecclesiam hierarchicè repræsentans, est intelligibile, quin informatum sit Oecumenico Christi Vicario charactere, Summi Pontificis proprio, cuius proinde per tuum personalem consensum ad Concilij dogmaticas sanctiones accessio est prorsus necessaria, ut illæ obtine-

tineant omnimodæ & consummatæ infallibilitatis prærogativam; veluti multis dictum est in antecedentibus. Et hinc Concilium, quæ ipsam Papam, ejusque ex Apostolicæ auctoritatis characterem profluentem consensum substantialiter includens, habet quidem aliquam majoritatem consummatæ & ultimæ in Ecclesia circa fidei dogmata infallibilitatis, attamen ista majoritas non est jurisdictionis, sed præminentia cujuspiam super Spiritu sancti, ac Christi infallibili assistentiæ fundatæ, nec aded exinde quædam Concilij non jam acephali, sed quæ plenè etiam Oecumenici superioritas, seu jurisdictionis majoritas est adstruenda; uti in præcedentibus ostensum fuit.

§. IV.

Nostratis sententiæ argumenta, ex Antiqui Testamenti sacris Litteris petita, cum aliquali super ijs reflexione referantur.

ARGUMENTUM I.

Ex Deut. 17. capite.

28. IN hoc namque sacro textu decernitur, ut causæ difficiles ex Veteris Testamenti legibus judicialibus decidendæ, in quibus variabant portæ seu tribunalia læcularia, deferrentur ad Sacerdotes Levitici generis, & ad Judicem, qui judicaretur judicij veritatem interpretando, & ad causæ controversiæ litam applicando jus, Divinâ judiciali lege contentum. Hi ergo sacerdotes cum Iudice, nempe Summo Pontifice in loco Sanctuarij congregati, consuebant Ecclesiasticum Veteris Testamenti Concilium, in quo præsidebat Summus Sacerdos, sive ejus vicarius. At in hoc Concilio sententiam definitivam spectasse ad Summum Sacerdotem, evincitur ex cit. Deut. 17. cap. v. 12. ubi sic habetur. *Qui autem superbiert, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat, & Iudicis decreto, morte moriatur.* Pari ergo ratione in Concilij Novæ Legis spectat ad Summum Pontificem, ejusve Legatum, proferre definitivam sententiam. Atqui in Concilij Oecumenicis hæc ipsa prærogativa in Summo Pontifice præsentia, ac potestatis in Concilio Oecumenico sententiam definitivam proferendi, importat quandam superioritatis supra Concilium majoritatem. Ergo Papa dicendus est, esse potius supra Concilium, quàm ut illud dicatur esse supra Papam.

Exceptio partis Adversæ.

29. EXcipient fortassis Adversarij. Quemadmodum, teste Abulensi q. 4. in cit. cap. 17. Deut. Veteris Testamenti Sacerdos Summus, tanquam Præses, nomine & consensu Concilij proferebat sententiam, sic in Novi Testamenti Concilij Oecumenicis seu Papam, seu Legatos Summi Pontificis nomine totius Concilij ex suffragijs Patrum definire ac decernere; uti

praxis docet, conformiter praxi Concilij Hierosolymitani Act. 15. descripti, ubi non Petri solius, sed totius Synodi Oecumenicæ nomine noscitur fuisse latum decretum sub hoc tenore: *Visum est Spiritui sancto, & nobis &c.* At quemadmodum inepta foret consequentia, quæ Dux v. g. Venetorum ex eo, quod nomine totius Senatûs proferat sententiam definitivam, inferretur, esse superior toto Senatu, quin potius hic dicendus sit illo major, sic ex illo argumento haud concludi, Papæ supra Concilium, sed hujus potius supra Papam superioritatem, seu majoritatem, cum reverà quisque minor dicendus sit illo, ex cujus nomine & auctoritate exercet judicium, seu profert sententiam judiciariam. Quamvis proinde Deut. 17. proclametur reus mortis, qui non obedierit Sacerdotis (non Concilij) imperio: hoc ipsum tamen imperium nomine ac vice totius Concilij Ecclesiastici à Summo Sacerdote latum, non reducebatur in ipsum, nisi quatenus erat representans totum Concilium, sicque aded hujus præminentia debebat in ipso fuisse representata. Pari igitur ratione Concilio Oecumenico per se, vel per Legatos suos prædens, ita nomine Concilij profert definitivam sententiam, ut illud sit representans, Divo etiam Augustino imculante, quod Papæ summa prærogativa competat ipsi, quæ representant Ecclesiam.

Responsio.

AD præaductam exceptionem confutandam, apprime conducit, explicare, quo modo Petrus, ejusve Successor dici possit representasse Ecclesiam. In hunc finem Author tract. de libertatibus Gallicanæ Ecclesie lib. 5. cap. 11. n. 4. distinguit tria representationis genera. *Primo enim unum representat aliud tanquam nudum signum, rem significatam nequaquam continens, quales sunt v. g. picturæ, aut quæ metaphoricè de alijs dicuntur. Secundo, aliquando, quod representat, cum eo, quod representatur, communicat, sed pro sua tantum ratâ portione: ut dum particulare Communitatis membrum, totius Communitatis nomine pecuniæ summam in singulos cives distribuendam, accipit, ita totam Communitatem representat, ut beneficij universitati concessi, tanquam unum ex ejus membris, particeps etiam sit. Tertio, aliquando unum aliud representat tanquam illud sub se habens, ut Princeps, Dux, Paterfamilias, Pastor, aut alterius generis superior, Regnum, exercitum, familiam, aliòve inferiores, quibus communi-cant aliquod bonum dispensationi suæ commissum; ut cum Dux totum exercitum representans, accipit à Rege in præmium reportatæ insignis victoriæ, cujus ipse pars maxima fuerit, ditissimum aliquod munus, cujus tamen participes futuri sint reliqui, tum Officiales, tum milites, prout ipse, pensatis cujusque meritis, judicaverit, aut prout Princeps ipse ordinaverit.*

Primo duntaxat modo Ecclesiam à B. Petro representatam fuisse, nemo dixerit. Quis enim ita deliriat, ut Apostolum illum nullam

H h 2

sibi,

sibi, sed Ecclesie tantum, accepisse potestatem sentiat. Secundo igitur saltem modo B. Petrum Ecclesiam representasse, fatendum est, ut patet ad minus cum ceteris dignitatem adeptus sit. Sed Catholicis necessario concedendum est, tertio etiam modo representatam à B. Petro Ecclesiam. Cum enim hæreticum sit, negare, B. Petri successores habere Primatum jurisdictionis in Episcopos, nec illum Primatum B. Petro datum legamus, nisi in illis locis, in quibus Ecclesiam representasse dicitur, necessario sequitur, B. Petrum alios representasse tanquam existens, vel exinde futurus illorum superior, illosque in sua potestate, atque, ut aliis ex S. Ioanne Chryostomo dicemus, velut in sua manu habens.

32. Et sanè convenit illi omnino, quod de Duce mox dicebamus. Illi enim promissum est, ædificandam super eo, tanquam super fundamento Ecclesiam Christi; tradendas claves Regni cælorum, & potestatem ligandi atque solvendi, in præmium confessionis, quam, interrogatis omnibus, solus ipse respondens edidit his verbis: *Tu es Christus Filius Dei vivi; cuius quidem confessionis laudem, & præmij promissionem statim audivit à Christo dicente; Beatus es Simon Barjona, &c. & ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, &c. Matth. 16. v. 18. & 19. & præmium ipsum accipit, cum ei Christus ovile suum commisit his verbis Ioannis ult. Pascite oves meas. Accedamus etiam ad sancti Augustini loca.*

33. S. Augustinus tract. 50. in Joannem. B. Petrum cum Iuda comparat, ejusque comparationis occasione, pluries repetit, B. Petrum Ecclesiam representasse. *Quia non unus est Iudas, inquit; unus malus corpus malorum significat, quomodo Petrus corpus bonorum, imò corpus Ecclesie, sed in bonis. Nam si in Petro non esset Ecclesia sacramentum, non ei diceret Dominus; Tibi dabo claves Regni cælorum, quæcumque solveris in terra, soluta erunt & in celo, & quæcumque ligaveris in terra, ligata erunt & in celo. Si hoc Petro tantum dictum est, non facit hoc Ecclesia; si autem in Ecclesia sit, ut, quæ in terra ligantur, in celo ligentur, & quæ solvantur in terra, solvantur in celo, quia, cum excommunicat Ecclesia, in celo ligatur excommunicatus: cum reconciliatur ab Ecclesia, in celo solvitur reconciliatus. Si hoc ergo in Ecclesia sit, Petrus, quando claves accepit, Ecclesiam sanctam significavit. Hæc verba; Si hoc Petro tantum dictum est, non facit hoc Ecclesia, &c. explicant, quo in sensu S. Augustinus Petrum dicat, Ecclesiam representasse, cum ei traditæ sunt claves, quia neque in sui solius favorem, neque ut ipsis solus uteretur, sed in universæ Ecclesie bonum, & ab alijs etiam Ecclesie Ministris adhibendæ, à Christo ipsi datæ sunt. Alium sensum non admittit ratio cinatio S. Doctoris. Nam ex hoc antecedente; hoc Petro tantum dictum est, non sequitur; Ergo non facit hoc Ecclesia, nisi supponatur, nullum alium Ecclesie Ministrum, potestatis clavium esse quoquo modo participem. Dummodò enim alijs eadem potestate gaudeant, quodcumque, vel à quocumque illam acce-*

perint, non potest dici; Si hoc Petro tantum dictum est, non facit hoc Ecclesia. Potuit enim hoc Petro tantum dici; & nihilominus potest hoc facere Ecclesia; si alijs Ministri potestatis Petro traditæ participes efficiantur.

34. *Tract. 118. in Ioan. unitatem, & charitatem, occasione tunice inconsutis Christi, commendans, in uno Petro duodecim Apostolos representatos affirmat. Inconsutis autem (inquit, Ecclesiam cum tunica conferens) ne aliquando dissuatur; & ad unum pervenit, quia in unum omnes colligit. Sicut in Apostolis, cum esset etiam ipse numerus duodenarius, id est, quadrupartitus inter nos, & omnes essent interrogati, solus Petrus respondit, Tu es Christus Filius Dei vivi; & ei dicitur; Tibi dabo claves Regni cælorum, tanquam ligandi, & solvendi solus accepit potestatem, cum & illud unus pro omnibus dixerit, & hoc cum omnibus, tanquam personam gerens ipsius unitatis, accepit. Ideo unus pro omnibus, quia unitas est in omnibus. Quocirca sicut B. Petrus, interrogatis omnibus, solus respondens, etiam non expectatà aliorum sententiâ, ut docet S. Ioannes Chryostomus homil. 55. in Matthæum super hæc verba capitis 16. Vos verò, quem me esse dicitis &c. pro omnibus respondere censetur, quia ipsi Pater Cælestis pro reliquis omnibus Christi Divinitatem revelavit; non quia alijs, quid respondendum esset, ipsum docuerunt. Ita ipse fundamentum Ecclesie statuitur, ut eam sustentet, non ut sustentetur ab ea, claves accipit ab ipso, cum Ecclesia communicandas, non ab ea iterum recipiendas.*

35. *Narrant, qui B. Augustinum diligenter legerunt, sanctum illum Doctorem sæpe res verè, atque historicè gestas, ad alias significandas transferre, sed ferè ubique, qui ejus erat pro Ecclesia amor, & contra hæreticos, & schismaticos zelus, Ecclesiam vidisse. Quamobrem non est exilimandum, ex positionibus illis allegoricis sensûs litteralis auctoritatem ullo pacto imminui. Itaque nihil officit propriæ B. Petri dignitati, aut potestati in Ecclesia, quod Ecclesie personam gessisse dicatur; præsertim cum Regnum nemo melius, quam Rex ipse, cui subijcitur, representet.*

ARGUMENTUM II.

36. *IN Antiquo Testamento Divina proferebantur Oracula tum ex Sanctuario, in quod Summo duntaxat Sacerdoti patebat aditus, juxta 16. cap. Levitici: tum ex Rationali Vrim & Tumim, ornamento Summi Sacerdotis, quo petus ipsius tegebatur, & cui inscripta erant ista verba: Doctrina & veritas. Quamvis proinde ultimata & consummata in rebus fidei decidendis infallibilitas subsistat ex Papæ, seu Capitis Ecclesie, & Concilij Generalis, seu Hierarchici Ecclesie Corporis consensu, eo ipso tamen, quod in solum Papam, quæ unicum Ecclesie Caput reoducatur, sub hac etiam infallibilitatis Concilio Oecumenico propriæ, prærogativæ, eatenus patet aliqua Papæ supra Concilium majoritas seu superioritas, quatenus caput est præminens reliquo corpori.*

Exceptio partis adversæ.

37. Excipient fortassis Adversarij. Illam ipsam consummatæ in Ecclesia circa res fidei decidendas infallibilitatis prærogativam non competere Papæ, nisi dependeret à Concilio. Hanc verò à Concilio dependentiam arguere hujus supra Papam superioritatem, in eo le tenentem, quòd Concilium sit repræsentans universalem Ecclesiam; veluti Concilium Constantiense adhuc acephalum, suis decretis præfixum esse voluit hunc titulum.

Responsio.

38. Quantumvis illa consummata in rebus fidei decidendis infallibilitas subsistat ex Papæ, atque Concilij concordia consensu, atque Papa quoad istam infallibilitatis omnimodæ & absolutæ consummationem, sit dependens à Concilio Generali: quemadmodum etiam anima quoad functiones sensitivas, ac vegetativas est dependens à corpore, ex ejusmodi dependentiâ æquè non infertur Concilij supra Papam majoritas, quam ex illâ anima erga corpus dependentiâ concludatur corporis supra animam præminentia. Sed neque ex eo, quòd Concilium Generale sit repræsentans universalem Ecclesiam, evinci Concilij supra Papam autoritatem, constat ex dictis supra à n. 30. firmaturque ultimus ex ijs, quæ præcitatæ Author tractatus de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ à n. 70. deducit: Aliquando, inquit, à S. Augustino verbis proprijs, ac perspicuis, singularis dignitas Petri à Christo accepta commendatur; velut serm. 29. de Sanctis: Petrus, ait, in illa caelestium discipulorum scholâ præcipuus, ac primus idoneus, qui verba vitæ ex Christi ore suscipiens, per Evangelij potestatem Iudeorum gentem perditam quaereret; & abdicatos ad hereditatem vocaret; interpres legis, assertor gratiæ, destrutor Synagogæ, Ecclesiæ reparator: & ideo solus inter Apostolos meruit audire: Amen dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Dignus certe, qui ædificandis in domo Dei populis lapis esset ad fundamentum, columna ad sustentaculum, clavis ad regnum.

39. In sermone quoque 13. de verbis Domini plurima sunt, quæ B. Petri autoritatem supra cæteros omnes Apostolos, & Ecclesiam ipsam insinuant; qualia sunt ista; Esse Petrum Ecclesiæ unicum typum. Ipse enim Petrus in Apostolorum ordine primus, in Christi amore promptissimus, sæpe unus respondit pro omnibus. Ipse denique Domino Jesu Christo requirente, quemnam homines dicerent eum esse, & opiniones varias hominum discipulis respondentibus, rursusque Domino interrogante, & dicente: Vos autem, quem me esse dicitis? Respondit Petrus; Tu es Christus Filius Dei vivi, unum pro multis dedit responsum. Unitas in multis. Tunc ei Dominus ait; Beatus es Simon Barjona, quia non revelavit tibi caro, & sanguis, sed Pater meus, qui est in caelis. Deinde addidit; Et ego dico tibi, tanquam diceret; Quia tu dixisti mihi; Tu es Christus Filius Dei vivi: & ego dico tibi; Tu es Petrus. Et inferius. In illo ergo uno Apo-

stolo, id est Petro, in ordine Apostolorum primo, & præcipuo, in quo figurabatur Ecclesia, utrumque genus significandum fuit, id est, firmi & infirmi, quia si utroque non est Ecclesia. Et serm. 49. cap. 3. dicit Petro, in quo uno format Ecclesiam: Petre amas me? Respondit, Domine amo. Pasce oves meas. Sermone autem 108. de diversis ait; Inter hos penè ubique solus Petrus totius Ecclesiæ meruit gestare personam. Propter ipsam personam, quam totius Ecclesiæ solus gestabat, audire meruit; Tibi dabo claves Regni caelorum. Has enim claves non homo unus, sed unitas accepit Ecclesiæ. Hinc ergo Petri excellentia prædicatur, Quia i; sius unitatis, & unitatis Ecclesiæ figuram gessit: quando ei dictum est. Tibi dabo, quod omnibus traditum est. Nam ut noveritis, Ecclesiam accepisse claves Regni caelorum, audite, in alio loco quid Dominus dicat omnibus Apostolis suis; Accipite Spiritum sanctum. Et continuo, si cui dimiseritis peccata, dimittentur ei, si cui tenueritis, tenebuntur. Hoc ad claves pertinet, de quibus dictum est, quæ solveritis in terra, erunt soluta & in caelo, & quæ ligaveritis in terra, erunt ligata & in caelo. Sed hoc dixit Petro, ut scias, quia Petrus universæ Ecclesiæ personam tunc gerebat. Columba ligat, columba solvit, ædificium supra Petram ligat, & solvit. Et infra. Meruit etiam post resurrectionem Dominus ipsi Petro oves suas commendavit pascendas. Non enim inter Discipulos solus meruit pascere Dominicas oves: sed quando Christus ad unum loquitur, unitas commendatur, & Petrus primitus, quia in Apostolis Petrus est primus. Attendite fratres mei. Pasce, inquit, oves meas, pasce agnos meos, pasce oves meas.

40. Si Concilium generale sine Papa Ecclesiam melius, quam Papa solus repræsentat, toti Collegio, non soli Petro tradendæ erant claves, commendandæ oves, &c. Non ergo ut simplex Procurator, sed ut Monarcha vñibilis claves Regni caelorum accepit Petrus; non ut deferendas ad Ecclesiam, & ab illa rursus accipiendas, sed in illius utilitatem uti pascendas, & ministris inferioribus communiandas. Certò si Petrus nuda fuisset Ecclesiæ figura, seu simplex Procurator, hinc Petri excellentia non prædicaretur, ut dicit S. Augustinus.

41. Si Concilium generale sine Papa Ecclesiam melius, quam Papa solus repræsentat, toti Collegio, non soli Petro tradendæ erant claves, commendandæ oves, &c. Non ergo ut simplex Procurator, sed ut Monarcha vñibilis claves Regni caelorum accepit Petrus; non ut deferendas ad Ecclesiam, & ab illa rursus accipiendas, sed in illius utilitatem uti pascendas, & ministris inferioribus communiandas. Certò si Petrus nuda fuisset Ecclesiæ figura, seu simplex Procurator, hinc Petri excellentia non prædicaretur, ut dicit S. Augustinus.

CONCLUSIO.

42. EX Veteris Testamenti præadductis sacris textibus cum Christi sancto Evangelio collatis, efficaciter ostenditur Summi Pontificis supra Concilium, quæ acephalicè spectatum, sicque materialiter duntaxat Generale, seu superioritas, seu majoritas.

Explicatur. Nam uti sæpe dictum est, duæ sunt Concilij Oecumenici prærogativæ, una absoluta jurisdictionis, seu indefinitæ ad solvendum, & ligandum potestatis, Apostolis, eorumque successoribus, quæ in nomine Christi, atque ad eò hujus vicariâ autoritate congregatis Matthæi 18 concessæ: quæ Concilio Oecumenico non aliter, quam Christi nomine, seu autoritate ejus vicariâ informato competens

Hh 3 præ-

Historia
Pontificia
CVI

præminencia, ita comparatur ad Concilium & Papam, ut hujus character se habeat uti *Formale*, reliquum verò Hierarchicum Ecclesiæ Corpus, sub isto characterè aggregatum, sit quasi *Materiale*, cui superstruatur illa Apostolica Oecumenica jurisdicctio, præterquam quòd Papæ etiam *soltariè* spectato, pariter *indefinita* gaudi & solvendi potestas conveniat. Quemadmodum igitur anima, se habens tanquam principium *formale* respectu potentiarum ex ea præmanantium in corpus, nequit inferior, sed potius superior dici debet isto, utpote quod in ordine ad illas se habet tanquam *Materiale*, subsiens rationem principij organici erga operationes animæ seu sensibiles, seu vegetativas, seu racionales, quæ ex phantasia dependentes. Sic in Concilio Oecumenico, quæ jurisdictionis illius universalis, per Christi Domini verbum susceptivo, *Formale* quasi principium ejusdem est character Papæ, præferens Christi nomen vicarium, Synodi quæ Oecumenicæ *formaliter* constitutum: *materiale* verò est reliquum Corpus Ecclesiæ hierarchicum, ex Christiano orbe convocatis Episcopis aggregatum. Num igitur fas est, dicere, istud corpus, si acephalicè spectetur, esse Papæ superius, vel potius Summus Pontifex respectu Concilij major & superior nominandus est?

43.

Altera Concilij Oecumenici prærogativa consistit ex omnimodâ & consummatâ in dogmaticis functionibus infallibilitate. Hæc verò competit Concilio non acephalo, sed pleno ac Oecumenico, ut sic composito ex Capite ac reliquo Ecclesiæ Corpore per vicarium Christi nomen aggregato, quæ ambobus in unum veritatis Divinæ sensum consentientibus. Quemadmodum verò hominis Christi sanguine redempti ad gratiam sanctificantem suscipiendam capacitas nequit convenire animæ separata, sed quæ unitæ corpori; ita tamen, ut hæc aptitudo *per se primò* conveniat homini ratione animæ, corpore per hanc informato, per modum conditionis quasi *materialis*, Divinitus ordinatæ ad statum gratiæ susceptivum se habente. Sic equidem consummata in fidei dogmatibus decidendis infallibilitas neque soli Papæ, neque Concilio acephalicè considerato, sed pleno Oecumenico Concilio competit, ita tamen, ut autoritas Pontificia sit quasi *Formale*, reliquum verò ex Episcopis aggregatum Ecclesiæ Corpus hierarchicum sit *materiale* constitutum Concilij, quæ susceptivum illius consummatæ in rebus fidei definiendis infallibilitatis. In quantum ergo anima, in ordine ad gratiam sanctificantem, homini, quæ in statu viatoris constituto, Divinitus destinata recipiendam, supereminet corpori, ejusdem gratiæ in tantum participi, in quantum est pars hominis ad hunc Divinæ amicitia statum elevati: sic Papæ autoritas, seu Concilij Oecumenici forma, prævalet reliquo Ecclesiæ intrâ Synodum Generalem aggregatæ Corpori hierarchico, etiam in ordine ad illam consummatæ in functionibus dogmaticis infallibilitatis prærogativam; uti magis elucidabitur ex sequentibus probationibus.

PROBATIO I.

Ex Deut. 17. cap. petita.

IN illo namque sacro textu consideratione præcipuâ dignum est, quòd, licet judicium causæ ad Concilium sacerdotale delatæ, spectarit & ad Iudicem, qui fuisset illo tempore, & ad totum Convantum Sacerdotum, qui cum Summo Sacerdote conjuncti, deberent judicare judicij veritatem; uti facer textus v. 9. & 10. habet. Nihilominus obedientia tali judicio, ac decreto *judiciario* debita sequenti versu 12. reductur in unum Sacerdotem Pontificem Maximum: quatenus *ibidem* dicitur: *Qui autem superbiert, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto Iudicis, morietur homo ille.* Ex quo manifestum jam redditur, in Veteri Testamento Concilium illud sacerdotale non fuisse positum supra illâ *judiciaria* autoritate, nisi quæ conjunctum cum Summo Sacerdote. Sub hac verò coadunatione consistebat suprema judicij autoritas, ut hæc equidem non spectaret ad solum Summum Sacerdotem, sed conjunctum, quæ concurrentem cum Concilio, ad ferendam sententiam. Cujus nihilominus sententiæ vis ac energia à *præcitate* sacro textu adscribitur præciso Sacerdotis imperio. Cur hoc, nisi quia sub istius tanquam Capitis ac Præsidis characterè, seu quasi formâ Concilij consistebat hujus autoritas, quæ, ubi Concilio accessisset, vim obtinebat sub mortis etiam reatu obstruendi ad decreti, seu imperij taliter lati obedientiam. Quemadmodum igitur corpus humani forma huic eatenus præminet, quatenus in se *eminenter* continet cunctas etiam corporales seu sensitivas, seu vegetativas potentias, & hinc, licet anima secundum se præcisè spectata, non habeat vim eliciendi tales functiones corporales, sed ad eas præstandas opus habeat corpore, ac membris ipsius, seu organis ad hoc à natura destinatis. Sic in Veteri Testamento ex ordinatione Divinâ, *judiciaria* suprema Ecclesiastica potestas, ipsarum etiam Dei legum Judicialium interpretativa, & ad causas seu *Civiles*, seu *Criminales* *authoritative* applicativa, non competeat quidem Summo Sacerdoti, nisi quæ concurrenti cum Concilio, eo ipso tamen, quòd hujus sententia esset quasi informis, quamdiu non informabatur Summi Sacerdotis consensu, ideo istius imperium ita quidem fuerat dependens à Concilio, ut tamen se haberet tanquam forma in tantum supereminens, in quantum anima in ordine ad functiones etiam corporales supereminet corpori, à quo, seu organo est dependens: ob ejusmodi adeo præminentiâ facer textus præciso sacerdotis imperio attribuit vim reatûs mortiferi inflicti, quatenus scilicet Concilij vota in Sacerdotis tandem consensum reduci debebant, ut ab hoc, seu formâ, reciperent vim autoritativam, sicque proinde vis imperij reducatur in sacerdotem, quæ Concilio consensu suo accedentem, atque adeo iste Concilio præminuisse sit meritò dicendus.

Pari igitur ratione intrâ Novum Testamentum

Responsio.

tum in expendendâ autoritate Oecumenicâ Concilij Generalis res ita debet tractari, ut, si Synodus, quantumvis *materialiter* Generalis, sit *realiter* acephala, id est, abque Capite Summo Pontifice, non nisi Episcopatum jurisdictionum in unum aggregatarum, & sub ista aggregatione in universale Ecclesiæ Bonum naturæ suæ conformiter co-ordinatarum, Cœtum Ecclesiasticum conficiat, sitque adeo destituta characteris Oecumenicæ. Quod si verò Concilium Generale sub vicario quidem Christi characteris sit coadunatum, sicque Oecumenicâ Papæ autoritate insignitum, nec adeo dici possit *realiter* acephalum, sed tamen quæ *abstractivè* acephalum comparatur cum Summo Pontifice, tunc iste se habet ad illud tanquam forma, nec in sui primâ duntaxat coadunatione, quæ fieri debet in nomine Christi, seu vicariâ hujus autoritate, sed sub ipsâ etiam dogmaticâ definitione, eatenus debet Concilio accedere Summi Pontificis cum illius sensu conionans consensus, ut antecedenter ad istum, sanctio Conciliaris sit adhuc informis, indigens autorizativo Papæ accessu, seu forma decreti, quæ dogmatici perfectivâ & consummativâ. Quantumvis ergo pro isthac Oecumenicâ Synodali decreti vi autoritativâ Papa sit dependens à Concilio, tanquam ipsius etiam Spiritus sancti organo; quemadmodum etiam anima in ordine ad corporales functiones est dependens à corpore, seu organo per sui informationem actuato, eo ipso tamen, quod Papæ Oecumenicæ autoritas ad Concilium *abstractivè* acephalum comparata, se habeat tanquam forma, reliquum verò hierarchicum in Synodo generali aggregatum Ecclesiæ Corpus se habeat per modum organi quasi *materialis*, à quo per Christi institutionem pro ultimâ dogmaticâ sanctione dependere debeat Summus Pontifex, idcirco hic merito dicens est præminere Concilio *abstractivè* acephalo.

Objectio.

46. **D**ices. Quod Concilium sit Papâ superius, probari ab Abulensi in *defensorij sui par. 2. cap. 72. & 73.* ex his Christi ad Petrum etiam prolatis verbis: *Si peccaverit in te frater tuus, &c. dic Ecclesiæ.* Etenim Christus hoc dicebat Petro, dum quidem non erat adhuc Papa, illa ipsa tamen verba referebantur ad tempus, quo Petrus erat futurus Papa. At verò ex ipsius Christi Domini verbis constat, Petrum etiam remitti ad peccatorem alias incorrigibilem denunciandum Ecclesiæ. Sub hac verò Ecclesiâ intelligi Concilium Generale, constat ex *præcatori* Abulensis *cap. 70.* Ea autem est natura judiciorum, ut de inferiore iudice fiat recursus ad superiorem. Quod si ergo Petrus, quæ Papa, esset major, quàm Ecclesiâ, vel saltem ei æqualis, non remitteretur ad eam, quæ in Concilio generali repræsentatam, sed sufficeret, quod sibi tanquam Papæ de delicto fieret denunciatio, sicque id puniret: cum iudex superior numquam litiget coram, inferiore, nec appelletur à superiore ad inferiorem, sed è contrario.

Demus, illa Christi Domini verba: *Dic Ecclesiæ,* referri ad Petrum pro eo tempore, quo erat futurus Papa, attamen, si sacer ille textus conferatur cum suo contextu, evincitur, Ecclesiæ nomine ibi venire Concilium Generale, quæ in nomine Christi, adeoque vicariâ hujus autoritate, Papæ inexistente coadunatum. Ut sic autem, si peccator publicum Ecclesiæ sanctæ Bonum, sanctamque unitatem & pacem perturber, in Papam, cui, seu Oecumenico Pastori, incumbit Ecclesiæ Universalis cura, peccatur. Dum Papa igitur tanto malo nequit se solo efficaciter remedi, ipsius utique officio incumbit, ut dicat, seu denuntiet Ecclesiæ, seu Concilio Ecclesiæ Universalis repræsentanti, minimè tamen subsistenti absque characteris sui, vicarium Christi nomen importantis, concursu. Quæ nihilominus denuntiatio tunc minimè fit à Papa, quæ inferiore, quemadmodum etiam in processu capitalis sententiæ juxta Imperij Romani normam fit accusatio nomine Principis territorialis, qui tamen minimè dicens est inferior suis subditis iudicij *criminalis* Assessoris, quæ *collectim* etiam spectatis, seu in commune concilium ad *criminale* iudicium perficiendum coadunatis. Ea igitur denuntiatio Concilio generali faciendâ per Papam, huic competit, quæ supremo Ecclesiæ Principi. Et licet in ultimâ dogmatis sancientiâ sententiâ Papa non procedat, nisi unâ cum Concilio, ita ut *Duos*, nempe Caput, ac reliquum Ecclesiæ hierarchicū Corpus, oporteat iuxta sacrum contextum, consentiendo, in unum concurrere, ut omnimoda & consummata fieri Dogmatis universam Ecclesiâ constringens infallibilitas, sicque adeo Oecumenicum, quæ ex Capite simul, ac reliquo Ecclesiæ Corpore hierarchico indivisim subsistens Concilium, quoad illam infallibilitatis consummatæ prærogativam obtineat aliquam majoritatis excellentiam, de qua non æquè certum ac definitum fidei dogma est, consistere in solo Papa, nihilominus ista majoritas ipsam etiam Papæ autoritatem, seu *formale* Concilij, quæ Oecumenicæ constitutum complectens, non importat *strictum* Concilij super Papâ superioritatem; velut in *antedentibus* ostensum fuit.

PROBATIO II.

Desumpta ex comparatione Veteris ac Novi Testamenti.

IN Veteri equidem Testamento ea erat Summi Sacerdotis prærogativa, ut Divina oracula referre posset tum ex Sanctuario, tum ex Rationali *Vrim & Thummim*, etiam independentè à Concilio. Cujusmodi in fidei dogmatibus definiendis oraculum Divinum præstò esse Novi Testamenti Summo Pontifici, constat ex eo, quod sit Petra, super quam fundata est Ecclesiâ, cui portæ inferi non prævalebunt, quodque Christus pro Petro, ejusque Successore rogâ-

rogarit, ne fides ipsius deficeret, sed in fidei veritatibus confratres suos confirmandi auctoritatem obtineret. Nihilominus hæc consummata fidei saltem *quoad nos*, omnino irrefragabilis infallibilitatis indefectibilitas subsistit in Papa, quâ consentiente cum Generali Oecumenico Concilio. Unde sicut Sacerdotis Summi in Antiquo Testamento de consulendis Divinis Oraculis prærogativa non habebat in ipso locum, nisi quâ ingresso Sanctuarium, vel quâ consulente Deum per Rationale *Vrim & Thummim*: sic ea consummata circa fidei dogmaticas sanctiones infallibilitatis omnimodæ prærogativa competit Papæ intrâ Sanctuarium Concilij Oecumenici, quatenus scilicet cum isto consentit. Qui consensus, seu Papæ ad Concilium sub vicariâ Christi auctoritate suâ aggregatum accessus, est mysticum Rationale *Vrim & Thummim*, ex quo Deus ipse loquitur, faciens, quodcumque petierint Duo, Caput scilicet, ac reliquum Ecclesiæ hierarchicum Corpus taliter consentientia, adeoque infallibiliter inspirans ipsis, ac edocens veritatem dogmatis, pro quâ firmandâ in unum sunt coadunati.

49. Quamvis proinde Papæ intrâ Concilium sit infallibilitatis consummatæ præ eminentia major, quàm *secundam nos* saltem, sit in solo Papa extra Concilium constituto: quia tamen hæc ipsa prærogativa eatenus competit Concilio Oecumenico, quatenus in hoc quasi *formale* est Papæ auctoritas, reliquum verò hierarchicum Ecclesiæ Corpus est quasi *materiale*. Idcirco sicuti anima non nisi, quâ unita humano corpori, est capax gratiæ sanctificantis, ex meritis Christi suscipiendæ, nequit tamen dici, quod anima, utpote *formale* hominis constitutum, in ordine ad istam gratiæ sanctificantis capacitatem sit corpore inferior, vel quod corpori, seu toti homini competat aliqua super animam superioritas: sic licet Papa non nisi quâ conjunctus cum Concilio obtineat consummatam omnimodæ saltem *quoad nos* infallibilitatis prærogativam, quia tamen Papæ suprema auctoritas est quasi *formale* Concilij, quâ Oecumenici constitutum, nequit Concilium dici, habere *strictam* respectu Papæ superioritatem.

Objeçtio.

50. R. Replicabis ex Abulensi *cit. cap. 72*. Ipsomet Petrum actibus suis ostendisse, quod Concilium Generale ipso esset majus, quia subibat mandata Generalis Concilij, dum scilicet Apostoli & Seniores, qui erant congregati in Jerusalem, & faciebant Generale Concilium, audientes, quod Samaria recipiebat verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Ioannem. Unde manifestè patet, Concilium putasse, quod sibi liceret, mandare Apostolis illis, neque hi resistebant, sed suscepto mandato Congregationis, mox iverunt illuc; veluti patet ex *Act. 15*.

51. Deinde, quando Petrus se subtrahebat à Gentibus, & cum ipsis non manducabat de cibis communibus, sed cæperat observare Legalia propter quosdam, qui erant de cir-

cumcisione, Gentilesque propter hanc dissimulationem scandalizabantur, putantes, quod etiam tenerentur, observare Legalia; Paulus increpuit Petrum, tunc hic tacendo, non se opposuit tali increpationi: sed ubi per Concilium Generale fuit factum decretum de conversis Gentilibus non adstringendis ad Legalium observantiam, prorsus acquievit Petrus, credens, se subditum Concilij determinationi ac statuto.

Responsio.

NUM ex eo, quod Pater in mundum miserit Filium suum Unigenitum, coarguere præsumes, Patrem esse Filio majorem ac superiorem? Hæc missio importat æternam Filij à Patre processionem, unâ cum connotato temporaneæ ad extra transeuntis actionis, personæ Filij *hypostaticè* unitivæ cum humanâ naturâ. Respectu cujus eequidem in missione illâ *connotativè* ac *terminativè* importatæ actionis temporalis, nempe Incarnationis, est aliqua *effectivè* principij majoritas, attamen indivisibiliter una, & communis Patri ac Filio. Quia proinde illa Filij missio non respicit præcisam Christi humanitatem, sed eusdem personam in æternitate genitam à Patre, & in tempore vi causalitatis effectricis à Patre & Filio ac Spiritu sancto indivisibiliter prodeuntis incarnatam, humanitati personaliter unitam, nequit ullo modo ex illa missione coargui aliqua personæ mittentis supra personam missam superioritas. Quare nec ex eo, quod *Act. 15*. Petrus sit à Concilio Hierosolymitano missus Samaritiam, inferre licet hujus supra Petrum superioritatem, seu majoritatem. Numquid enim inter ipsos etiam homines, quâ in unum seu politicum, seu hierarchicum Corpus adunatos datur *alia* missio *authoritativa* & *præceptiva*: *alia* verò *excitativa* duntaxat vel officij in majore etiam existentis, vel charitatis inter superiores & subditos, nec non in communicatione præcipue supernaturali coæquales vigentis? Utrovis igitur isto modo Petrus mitti potuit à Concilio, quin hujus supra ipsum majoritas, seu superioritas evinci valeat.

Quoad Petrum ratione Legalium à Paulo increpatum, prorsus negandum est, egisse quidquam adversus Concilij Hierosolymitani Decretum, ut propterea reducendus esset à Paulo ad hujus observantiam, ex sui erga Concilium Oecumenicum subjectione; sed illud Petri factum, & Pauli increpatio erat antecedens Synodum Hierosolymitanam. Imò ipsissimum illud Decretum ex Oecumenicâ Petri auctoritate Apostolicâ ordinariâ, seu sui formâ, habebat firmitatem, cui ipsemet etiam Apostolorum Princeps merito se conformaret ob Divinæ comprobationis ex Concilij, unâ & Oecumenicæ Petri auctoritatis consensione subsistentis, ab omnibus Christi fidelibus, ipsomet etiam Ecclesiæ Capite religiosè observandæ reverentiam; unis hæc universa patent *ex antecedentibus*. Ejus porrò à Paulo erga Petrum factæ increpationis causam nec quidquam fieret ad rem

præsentem, videre licet etiam in *Vindicijs* no-
stris Baronij ad annum Christi 59. n. 2. & 3.

S. V.

Nostratis sententiæ argumenta
expeduntur:

ARGUMENTUM I.

Petium ex *Matthæi* 16. cap. à v. 18.
usque ad 20.

44. **E**T enim Concilij non acephali, etiam non
realiter separati a Capite, sed abstractivè
spectati absque Capite, sed plenè Oecumenici
per characterem Christi vicarium Papæ pro-
prium aggregari, atque Summi Pontificis con-
sensu roborati, duæ sunt prærogativæ *Matthæi*
18. traditæ, quarum una est omnimoda & con-
summata in rebus fidei decidendis infallibilitas:
altera est indefinita ligandi & solvendi potestas.
Atque ex *Matthæi* 16. v. 18. constat, Petro cum
ordine ad perpetuum Ecclesiæ statum, atque
ad eum ejus Successori esse promissam perfectam
indecretis fidei infallibilitatem, Christo com-
pellente Petrum: Tu es Petrus, & super hanc Pe-
tram ædificabo Ecclesiam meam; & portæ inferi
non prævalent adversus eam. Quomodo enim
Ecclesia, cujus forma essentialiter constitutiva
est fides, esset fundata supra Petram cui por-
tæ inferi prævalere haud possent, si ipsa Petra,
super quam est ædificata, non omnimodâ in fi-
dei dogmatibus decidendis infallibilitate pot-
retur? Altera deinde Concilij, quæ Oecume-
nici, ex Capite simul ac reliquo Ecclesiæ hie-
rarchico Corpore consistentis prærogativa
est. *Matthæi* 18. traditur sub hujus verbis: Amen
dico vobis, quidquid alligaveritis super terram, erit
ligatum & in cælis, & quidquid solveritis super ter-
ram, erit solutum & in cælis. At *Matthæi* 16. v.
18. Petro determinatè, ac individualiter, seu per-
sonaliter, atque ad eum, quæ dicitur à reliquis
Apostolis, dictum est à Christo: Tibi dabo cla-
ves Regni cælorum: & quodcumque ligaveris super
terram, erit ligatum & in cælis, & quodcumque
solveris super terram, erit solutum & in cælis. Quo-
modo igitur hæc Petri, ejusque Successoris
propriâ ligandi & solvendi potestate omnino
indefinitâ dici possit superior seu major Con-
cilij, etiam quæ Oecumenici, æquè licet indefi-
nita ligandi & solvendi autoritas?

Obiectio.

55. **E**Xcipiant fortassis Adversarij. Esto, in vi
præadductorum textuum inter se collato-
rum non probari Concilij Oecumenici super
Papâ superioritatem: at ex iisdem Divinis
Oraculis neque Papæ super Concilio superio-
ritatem evinci. Ad hæc Divo Augustino teste
lib. 1. Retract. cap. 21. Petram, super quâ Chri-
stus dixit ædificatum iri suam Ecclesiam, esse
fidem & confessionem Petri profitentis, Tu es
Christus Filius Dei vivi. Super quâ proinde fi-
de, ejusque confessione catenas est fundata

Ecclesia, ut adversus istam prævalere haud pos-
sint portæ inferi. At in vi istorum verborum
infallibilitatem fidei, super quâ, ceu Petra est
fundata Ecclesia, non tam Petro secundum se
præcisè spectato, quàm Ecclesiæ Divinitus
repromissam evinci. Et hinc S. Augustinum
asseverare: Petro (non in sua præcisâ persona)
sed quâ totius Ecclesiæ figuram gerenti Dominum
dixisse: super hanc Petram ædificabo Ecclesiam me-
am.

Responsio.

Si Concilium spectetur quâ plenè Oecumeni-
cum, in quo Papa seu quæ Formale quasi con-
stitutivum, seu quæ hierarchici Ecclesiæ Cor-
poris Caput, essentialiter importatur, nulla equi-
dem aditruî potest Papæ super illud seu majoi-
ritas, seu superioritas. At eo ipso, quod præ-
insinuatæ Concilij Oecumenici prærogativæ
huic non competant, nisi quâ Papam cum suo
Christi vicario characterè complectenti, ideo
neutrâ earum attribui potest acephalo, quan-
tumvis Generali Concilio, sed huic realiter ace-
phalo nulla inest, nisi Episcoporum juridic-
tionum in unum Cœtum pro publico Ecclesiæ
Bono collatarum autoritas, cui ex præadduc-
tis sacris Litteris clarè constat, supereminere
Papæ potestatem Oecumenicæ Concilio, quâ vicariû Chri-
sti characterem Papæ proprium importante,
per abstractivam quandam separationem fiat
quædam inter Papam & Concilium abstractivè
acephalum collatio, tunc in ordine ad illam
duplicem Concilij Oecumenici prærogativam,
ita debent Papa & Concilium consentire in
unum; ut Papa tamen sit quasi anima, Con-
cilium verò acephalicè consideratum sit quasi cor-
pus respectu totius Ecclesiæ Universalis per-
fectè repræsentativi Concilij, quæ Oecumenici.
Cum igitur Papæ etiam solitariè spectato, sit
Divinitus repromissa Petra in fide firmitas, unâ
cum indefinitâ solvendi ac ligandi potestate,
quarum neutrâ tamen, juxta fundamentum ex
præallegatis sacris textibus deductum, compe-
tit Concilio acephalicè spectato, sed quâ plenè
Oecumenico, ideo secundum hanc considera-
tionem rectè dicitur Papa Concilio major ac
superior.

Neque relevant, quæ in contrarium ad-
ducta fuerunt, quasi illa Petra firmitas, sic-
quæ fidei infallibilitas, unâ cum Regni cælo-
rum clavibus non Petro solitariè spectato, sed
Ecclesiæ, sive etiam Petro, quæ Ecclesiæ fi-
guram gerenti, fuisset à Christo repromissa.

Nam sub hoc ipso effato venit conside-
ratu dignissimum, quid importetur per istum
loquendi modum, quo illa Divina repromis-
sio dicitur facta Petro, quæ totius Ecclesiæ fi-
guram gerenti? Numquid enim Capitis, seu
Principis est proprium, ita gerere figuram Reg-
ni, ut istud sit in ipso repræsentativè? Quia igitur
illa Christi verba: Super hanc Petram ædi-
ficabo Ecclesiam meam, &, Tibi dabo claves Regni
cælorum: sunt dicta Petro, quæ Ecclesiæ figu-
ram gerenti, profectò hinc evincitur, Petro
isdem



ijdem verbis fuisse à Christo promissum Ecclesiae Principatum, vi cuius in ipso esset *representativè* tota Ecclesia; Divo Augustino *tract. 124. in Ioannem circa medium* ita differente: *Ecclesiae Petrus Apostolus, propter Apostolatus sui Primatum, gerebat figuratâ generalitate personam.* Quantumvis ergo S. Augustinus sub Petrà illâ, super quam ædificata est Ecclesia, intelligat Petri de Christo, seu Ecclesiae fundamento editam fidei confessionem, nullatenus tamen intelligi hoc potest de isthac fidei confessione in *abstracto* sumptâ, sed quâ spectatâ in *concreto*, seu quâ per Divinam promissionem fundatâ in Petro, ejusque adeo Successore, quod proinde fidei fundamentum, cum sit adeo firmatum in Petro, ut portæ inferi adversus fidei à Petro editæ, & quâ in Petro firmatæ, Petram prævalere haud possint, manifestè hinc evincitur, ex præadductâ S. Augustini *lib. 2. Retract. cap. 21.* factâ expositione non minùs firmam stare in Petro, ejusque Successore circa fidei dogmata infallibilitatis prærogativam, ac si dixisset, ea Christi verba: *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, respicere Petrum, ejusque Successorem.* Quia igitur Concilio quantumvis Generali *acephalicè* spectato, non competit talis infallibilitatis prærogativa, sed hæc reposita est Concilio, quâ Oecumenico, seu quâ per auctoritatis Pontificiæ accessum animato, & firmato, consequens est, hæc etiam in parte Papam Concilio *acephalicè* sumpto quantumvis cæteroqui Generali, esse majorem ac superiorem.

ARGUMENTUM II.

Ex *Ioannis 21.* desumptum.

59.

Ubi Christus Oecumenicum pastorale officium erga suam Ecclesiam *actualiter* contulit Petro hisce verbis: *Pasce oves meas, pasce agnos meos.* Sub hisce namque verbis *Tò Pascere* perinde sonare, ac *Tò regere*, ostensum est in *antecedentibus.* Quare Oecumenicum Pastorale munus Petro commissum, importat auctoritatem gubernativam, protensam super universis Christi ovibus, & agnis. At in Concilio quantumvis Generali, sed *acephalicè* spectato, qui, nisi oves, seu agni Christi conveniunt, nempe Episcopi ex universo Christiano orbe convocati? Hi verò secundum *mentalem* à Capite suo Petri Successore quandam præcisionem, sub quâ intelliguntur conficere Conciliū *abstractivè* acephalum, nullâ potiuntur auctoritate, nisi Episcopali in unum collatâ, ad curandum publicum Ecclesiae Bonum. Atqui Episcopalis jurisdicção ab ipso met Summo Pontifice in Episcopos, ad suæ Pastoralis sollicitudinis partem vocatos, derivata, non potest non semper manere subiecta Pontificiæ Oecumenicæ auctoritati, sicut ipsi etiam Episcopi, quâ Christi oves, seu agni extrahi haudquam possunt à sphaera Oecumenici Petro, ejusque Successori commissi Pastoralis officij. Quia igitur in ejusmodi quantumvis Generali Episcoporum Concilio *acephalicè* spectato, sive in Episcopaliibus ex toto Christiano orbe in unum collatis jurisdiccionibus, etiam *collectim* sumptis,

per factas Scripturas nulla est assignabilis præminentia alicujus supra Papam majoritatis: è contrario autem præadductus sacer textus confert Papæ prærogativam supereminentem omnimodæ jurisdiccioni Episcopali, atque suâ gubernativâ auctoritate Oecumenicâ completentem cunctos totius orbis Episcopos, manifesta hinc redditur Papæ supra Generale *acephalicè* spectatum Concilium superioritas.

Objectio.

60.
Dissent Adversarij. Ex Concilij Tridentini Actis per nos *superius* descriptis elucere, non esse adhuc definitum dogma; An sub illis Christi verbis: *Pasce oves, seu agnos meos*, isti *collectim* etiam sumpti, non verò in sensu duntaxat *distributivo* sint contenti sub Oecumenici Papæ officij Pastoralis sphaerâ gubernativâ: nec adeo ex illo sacro textu evinci, quod Episcopi ex Christiano orbe in unum collecti, ut sic Concilium Generale saltem *abstractivè* acephalum conficientes, subdantur Papæ auctoritati Oecumenicæ, ut propterea adstruenda sit papæ supra Concilium ejusmodi superioritas.

Responsio.

61.
Etenim Christus sub illis ad Petrum prolati verbis: *Pasce agnos meos*, nullam fecit exceptionem *sensû collectivè*. Quomodo igitur nobis fas erit, hujus *collectivi* sensûs ab illis verbis exceptionem facere, absque aliqua in sacris Litteris fundatâ solidâ ratione? Hæc fortassis exceptio fundabitur in hoc, quod Concilium Generale sit *representans* Universam Ecclesiam, quæ est columna & firmamentum veritatis. At quia Ecclesia quoad statum perfectè hierarchicum non potest representari in Corpore avulso à Capite, sed quâ integrato ex Capite, ac reliquo Ecclesiae Corpore hierarchico, nequit ad Concilium Generale, quâ *acephalum* spectare illa prærogativa, secundum quam sit columna & firmamentum veritatis, ex quâ præminentia prætendi posset illa agnorum Christi *collectivè* sumptorum, ab Oecumenicâ Papæ auctoritate exceptio. Est autem ipso lumine naturæ notum, si Comititia Generalia coalescant ex subditis, neque huic Cœtui, ex Regni Ordinibus coadunato, altior quæpiam præminentia, in comparatione cujus potestas Regia non esset jam suprema, convenire dignosceretur, nefas fore, talibus Comitibus alicujus supra Regem superioritatis præminentiam asserere. At res ita se habet cum Episcoporum, quantumvis Generali Concilio *acephalicè* sumpto, ut, quæ Concilio Oecumenico sunt Divinitus promissæ prærogativæ, eidem non competant, nisi quâ consentienti cum Capite ejusdem quasi informativo, & *formaliter* perfectivo. Cum igitur omnes ac singuli Episcopi inter Christi agnos computati, secundum se, & omnimodam jurisdiccionem subjaceant Pastoralis Papæ officio, ejusque auctoritati Oecumenicæ, neque verò tali Cœtui *acephalicè* spectato, ex sacris Litteris noscatur concessa alicujus

altioris prærogativæ supereminetia, nequit jam Episcoporum Generalis coadunatio, sive jurisdictionem Episcopalem collatio *collectiva*, vi talis collectionis extrahi & sphaera Oecumenicæ Pastoralis, seu gubernativæ, Papæ propriæ autoritatis, atque adeo hujus per Christum ascripta universalitas, nullatenus admittit illam ovium seu agnorum Christi *collectum* sumptorum à Papæ superioritate exceptionem.

CONCLUSIO.

63. EX præadductis textibus Evangelicis efficaciter demonstratur Papæ supra Concilium, quæ *acephalicè* spectatum, superioritas.

Explicatur. Hujus conclusionis centrum ad hoc punctum videtur reduci, quod Papæ Oecumenicæ autoritas habeat jus superioritatis erga omnimodam Episcopalem non *divisim* tantummodò, sed etiam *collectim* sumptam jurisdictionem: quod tamen principium videtur non esse certum, cum ne Tridentinum quidè Concilium sustinuerit definire quæstionem multoties in eo motam; An Episcoporum, reliquis, præter Petrum, Apostolis in Episcopali munere succedentium jurisdictione sit immediatè à Christo, sitque adeo juris Divini immediati? Quæ proinde quæstio, cum ab illo sacrosancto Concilio non fuerit definita, num vitio vertendum esset, si quispiam pro ejus parte affirmativè stare vellet? Hoc autem posito, foret consequens, quod in Episcopis ex orbe Christiano *collectis*, Capite licet non interveniente, jam in unum conferretur Apostolorum, quibus Episcopi succedunt, jurisdictione: sub qua proinde collectione Apostolico charactere insignitâ jam locus esset prærogativæ illis, quæ Matthæi 18. Apostolis in unum Concilium Christi nomine, id est, Apostolicâ autoritate condecoratum, aggregatis sunt promissæ. Sub cuiusmodi etiam prærogativæ nequit jam Concilium, licet *acephalicè* spectatum, lubesse Papæ superioritati. Quare ut conclusionis prædictæ centrum firmum maneat, oportet, per Theologicam demonstrationem ostendere, præmotæ quæstionis statum nequidquam habere momenti ac ponderis, ad Papæ super Episcopos totius orbis Christiani, etiam *collectim* sumptos, superioritatem enervandam; velut ex præsentis conclusionis decursu patebit.

PROBATIO I.

Quæ ex Matthæi 16. firmatur Petri, atque adeo Papæ supra Concilium Generale *acephalicè* sumptum supereminetia quoad infallibilitatis in fidei rebus prærogativam.

64. ET enim sub istis Christi Domini verbis: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalent adversus eam, manifestè comprehenditur Ecclesiæ in fide indefectibilitas, atque adeo in rebus fi-

dei decidendis aliqua intrâ Ecclesiam consistens infallibilitas. Atqui ea verba esse accipienda de Petro cum ordine ad perpetuum Ecclesiæ statum, atque adeo cum ordine successione, probat unanims consensus Patrum. Tertullianus namque de præscrip. cap. 22. sic ait: Latuit aliquid Petrum ædificandæ Ecclesiæ petram dictum, claves regni cælorum consecutum? Origenes in Matth. de canone novi Testamenti: Petrus, inquit, super quem Dominus fundavit Ecclesiam, &c. Cyprianus de Unit. Ecclesiæ sic ait: Probatio est ad fidem facilis compendio Veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum. Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, &c. Et tibi dabo claves regni cælorum. Et infra: Eidem post resurrectionem suam dicit: Pasce oves meas. Super illum unum ædificat Ecclesiam suam, & illi pascendas mandat oves suas. Basilius Magnus ad cap. 2. Ista. Unus ex his montibus fuit Petrus, quem Petram appellavit propter maximam fidei firmitatem. Et infra: Super quam petram promissit ædificare Ecclesiam. Ambrosius Serm. 47. Petrus pro soliditate durationis Ecclesiarum petra dicitur, sicut ait Dominus: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo &c. Epiaphanius in Ancorato: Ipse Dominus constituit Petrum principem Apostolorum, petram firmam, super quam Ecclesia Dei ædificata est, &c. Hieronymus Epist. 54. ad Marcellum: Apostolus Petrus, super quem Dominus fundavit Ecclesiam. Et in cap. 16. Matth. Prudens lector inquirit, quomodo post tantam Beatitudinem, Beatus es Simon Barjona, nec audiat: Vade retrò sathana &c. Sed si consideret, qui hoc querit, Petro illam beatitudinem ac potestatem, & ædificationem super eum Ecclesiæ in futuro promissam, non in presenti datam intelligit. Ædificabo, inquit Christus, super te Ecclesiam meam, & dabo tibi claves regni cælorum. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Ioan. cap. 12. Christus, cum se esse, qui cuncta, antequam fiant, novit, nec Simon fore sibi nomen, sed Petrus prædixit, vocabulo illo commode significans, quod in eo tanquam petra, lapideque firmissimo suam esset ædificaturus Ecclesiam. Augustinus Serm. 5. in Festo Petri & Pauli: Solus inter Apostolos meruit audire, tu es Petrus, & super hanc petram &c. Ex quibus tale formatur argumentum. Petro, eique soli dictum est: Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. At Petrus dictus est petra propter soliditatem durationis ex sancto Ambrosio citato. Ergo super Petrum tanquam petram cum soliditate durationis ædificata est Ecclesia, quatenus Christus ipsi dixit: Pasce oves meas. Ex Cypriano supra.

Objeçtio I.

64. Dices. Si Petrus, ejusque Successor est Petra, super quam ædificata, seu fundata est Ecclesia, quomodo verificari jam potest illud Apostoli 1. Corinth. 3. v. 2. dicentis: Non posse aliud statui fundamentum, præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus?

Ii 2

Re-

Responsio.

65. **C**ongruentissimè ac solidissimè responde-
ri solet ad eam objectionem, Petrum, e-
jusque Successorem, quà Ecclesiæ clavibus,
ac in definiendis rebus fidei infallibilitatis
prærogativâ Divinitus dotatum, esse *secundari-
um* duntaxat, seu Vicarium, ac Christo sub-
ordinatum Ecclesiæ fundamentum, Divo Au-
gustino *serm. 5. in festo Petri & Pauli* ita disse-
rente de Petro: *Solus inter Apostolos meruit
audire: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædifi-
cabo Ecclesiam meam, dignus certè, qui ædificandis
populis in domo Dei lapis esset ad fundamentum,
columna ad sustentaculum, clavis ad regnum.*
Quare sacræ Scripturæ autoritatem eatenus
solum Christum statuere fundamentum ac
lapidem Ecclesiæ, ut tamen super hoc funda-
mento detur aliud seu fundamentum, seu
lapis fundamenti superstruatur, cui conveniat,
esse Petram seu fundamentum Ecclesiæ non
primarium, & absolutè instar Christi, sed *vicariè*
duntaxat, ac *secundariò*, seu *participativè*. In vi-
cujus adeò Divinitus participatæ præeminen-
tiæ subsistere Papæ supra Concilio quâ *acephali-
cè* spectato majoritatem, seu superioritatem.

Obiectio II.

66. **I**nstabis. Ut ex hujusmodi prærogativâ e-
vincatur Papæ supra Concilium Generale,
acephalicè licet spectatum seu majoritas, seu
superioritas, oportere, tali Concilio non esse
Divinitus concessam parem præminentiam.
At Synodum ejusmodi Generalem nihil aliud
esse, quàm Universalem Cætum Episcopo-
rum, qui sunt Apostolorum Successores, eo-
rumque adeò potestas est *immediatè* à Deo. Ad
quos proinde in unum congregatos pertinet
etiam illa Christi Domini promissio *Matthæi*
18. facta sub hisce verbis: *Amen dico vobis,
quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata
in cælis, & quæcumque solveritis super terram,
erunt soluta & in cælis.* Et iterum: *Si duo con-
senserint in quacunque re super terram, fiet eis.*
Quamvis enim hæc Christi verba sint con-
exa cum facto contextu, quo Synodi Apostoli-
cæ, cui ea promissio facta est, character in
hoc statuitur à Christo, ut nempe fiat aggre-
gatio in nomine suo: eo ipso tamen, quod E-
piscopi sint Apostolorum Successores, jam
portant nomen Christi. Unde quia Episco-
porum Apostolis succedentium in Concilio
etiam *acephalo* aggregatorum coadunatio ha-
bet verum Synodi Oecumenicæ ex Christi
nomine vicario subsistentem characterem,
consequens est, ei ut sic competere illam *in-
definitè* ad solvendum & ligandum potestatis
autoritatem, unâ cum infallibilitatis in re-
bus fidei definiendis repromissæ prærogati-
vâ.

Responsio.

67. **I**n Apostolis *figillatim* spectatis duplex erat
potestas, nempe Ordinis Episcopalis, &
jurisdictionis à Christo sibi delegatæ erga uni-
versum orbem. Num verò dicere fas est,

Episcopos hujus Apostolicæ ad universum or-
bem potestatis ac *indefinitè*, licet delegatæ, au-
thoritatis hæredes esse, & quoad plenam e-
jusdem participationem à Christo, præter Pe-
trum, Apostolis per modum duntaxat dele-
gationis personalis concessam, esse horum suc-
cessores? In Episcopis igitur est talis successio
quoad Ordinis duntaxat Episcopalis chara-
cterem, ac potestatem, adeoque *radicalem* so-
lummodò pastoralis officij propriam jurisdic-
tionem, non verò quoad *actualis* jurisdictionis
potestatem *proximam*: sed hanc accipiunt
à Summo Pontifice in partem pastoralis soli-
citudinis eos vocante: quemadmodum in Sa-
cerdotibus etiam simplicibus est quidem po-
testas absolvendi à peccatis quoad characte-
rem Ordinis Sacerdotalis, & *radicalem* in hoc
importatam super peccatis, ac peccatoribus
suum confessionis sacræ tribunal accedenti-
bus jurisdictionem, quæ non aliter subire va-
let *proximè, & actualis* à peccatis absolvendi po-
testatis denominationem, nisi *actualiter* per
facultatem Episcopi, seu ex concessione Papæ
promanantem.

Quemadmodum igitur Sacerdotes quoad
istam à peccatis absolvendi potestatem, quâ
in charactere Sacerdotali radicatum, sunt
quidem ipsorum etiam Apostolorum, quâ
Sacerdotum Successores non *absolutè*, sed *li-
mitatè* ac *restrictivè*, sic Episcopi quoad illam
regendæ Ecclesiæ potestatem *radicalem*, quâ
scilicet radicatum in Episcopali charactere,
non *absolutè*, sed cum isthac limitatione dici
queunt Apostolorum Successores, nec adeò
præferunt characterem Oecumenicæ Aposto-
licæ jurisdictionis erga universam Ecclesiam
potestatis, qui ut sic character Concilij Ge-
neralis quâ Oecumenicæ *formaliter* est constitui-
tus. Qui proinde character, cum deficiat in
Concilio quâ *acephalicè*, ex meris jurisdic-
tionibus Episcopalibus coærcato, ideo ad
tale Concilium haud pertinent Christi promis-
siones factæ de *indefinitè* solvendi ac ligandi su-
per terram potestate, eique connexâ in rebus
fidei infallibilitate. Cum igitur e contra tales
præminentie sint in Papa, cujus Oecumeni-
ca proinde autoritas protenditur super uni-
versas Episcoporum in pastoralis sollicitudinis
partem vocatorum jurisdictiones, manifestè
hinc evincitur Papæ supra Concilium *acephali-
cum*, nullâ altiori, præter jurisdictionum E-
piscopaliū pro universali Ecclesiæ Bono in
unum coalescentium coærcationem, præ-
minentiam dotatum, majoritas ac superioritas.

PROBATIO II.

Desumpta ex Oecumenicâ *indefinitè*
Matthæi 16. repromissâ ligandi
ac solvendi autoritate.

Et enim hæc autoritas protenditur *super*
quocunque in terris subsistente *Morali*, ad
regnum cælorum, Ecclesiam scilicet militan-
tem, & triumphantem ordinabili. At sub isto
quocunque continetur utique omnimodâ Epi-
scopalis jurisdictionis tum quoad *actualitè* huius
lexio.

lationem, & proximè ad regendam certam Diocesis potestatis actuacionem, tum quoad sui morale omnimodum exercitium. Nequit ergo in Concilio acephalo, præter characteres Episcopales immediatè à Christo promanentes, & in hisce radicatas, adeoque radicales duntaxat, ad regendum Dei populum jurisdictiones, non nisi per Summum Pontificem in statum actualis & proximè potentie reducibiles, quidquam reperiri, quod sub illo quocunque ad regnum cælorum ordinabili Morali non sit contentum; super quo adeo emineat Papæ Oecumenica autoritas & superioritas.

Objectio I.

70. **D**ices. Ista verba: *Tibi dabo claves regni cælorum*, non ad solum Petrum, sed ad Apostolos universos dicta esse, sive respicere Petrum non in se solo spectatum, sed quæ totius Ecclesiæ figuram gerentem; uti passim tradit S. Augustinus. Ergo illam potestatem attribuendam esse toti potius Ecclesiæ, quam Petro solitariè sumpto. Unde in Decreto Gratiani causâ 24. q. 1. cap. 6. sic haberi: *Quando Petrus accepit claves, Ecclesiam sanctam significavit.*

Responsio.

71. **Q**uæ sanctus Augustinus tract. 124. in 10. ann. m. circa medium. hanc in rem eleganter disseruit, ad hanc reduci possunt formam syllogisticam. Nempe id, quod per proprietatem in Christo est Ecclesia, hoc per significationem est Petrus in Petra; atque adeo sub istâ significatione intelligitur Christus ita esse Petra Ecclesiæ, ut hæc sit in Christo per proprietatem Capitis absoluti, ac primarij, Petrus autem sit Ecclesia per significationem, seu figuratam duntaxat Capitis Vicarij representationem. At illis ad Petrum prolatis Christi verbis: *Tibi dabo claves Regni cælorum*: Ecclesia in Christo fundata, ab hoc claves Regni eatenus accepit in Petro, quatenus per hunc significatur, sive repræsentatur Ecclesia propter Apostolatûs sui primatum; uti præcitatus S. Augustinus loquitur. Quia igitur Ecclesia accepit claves regni cælorum in Petro, propter Apostolatûs sui primatum, manifestè sequitur, claves Regni cælorum in Petro ita esse datas Ecclesiæ, ut in Petro esset talis potestas tanquam in Principe, seu Capite, sive Præposito universæ Ecclesiæ; uti apertis verbis loquitur is S. Doctor lib. quest. Veteris & Novi Testamenti, item lib. 3. de Baptismo contra Donatistas cap. 1. Quandoquidem ergo Concilium acephalum, quantumvis Generale, sit destitutum tali Capitali præminentia, cui annexæ sunt claves Regni cælorum, Ecclesiæ in Petro, seu Principe suo concessæ, harum verò indefinita autoritas protendatur super quocunque ad Regnum cælorum in terris ordinabili Morali, neque verò Episcopi in Concilium acephalum quidquam, præter characterem Episcopalem congerant, quod non sit contentum sub illo

quocunque, manifestum hinc redditur, Papæ & seu Capiti & Principi Ecclesiæ, competere Oecumenicæ autoritatis super tali Concilio superioritatem.

Objectio II.

72. **I**nstabis. Nullibi haberi in sacris Litteris expressum, quod illa indefinita super quocunque in terris Morali Ecclesiæ in Petro concessa clavium potestas transierit in Petri Successores, Romanos Pontifices, nec adeo horum super Concilij, acephalis etiam, superioritatem evinci posse ex illo sacro textu.

Responsio.

73. **E**sto namque, sub ijs formalibus verbis non habeatur expressa Romanorum Pontificum in ea clavium potestate successio, sub ijs tamen eatenus continetur virtualiter, ut per Theologicam demonstrationem efficaciter, ac ineluctabiliter inde eruatur. Etenim illa Christi verba: *Tibi dabo claves Regni cælorum*, determinatè ac demonstratè diriguntur ad Petrum. Illa ipsa autem verba secundum clarum sacri contextûs tenorem sunt à Christo prolata sub connexionione ad præcedentia: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Unde planum est, illam potestatem Petro promissam, esse connexam cum Ecclesiâ per Christum fundatâ. At potestas connexa cum statu Ecclesiæ per Christum fundatæ durare debet, quamdiu talis Ecclesiæ status subsistit. Eo ipso autem, quod Christus Dominus promiserit, adversus Ecclesiam a se fundandam portas inferi non fore prævalituras, sequitur, Ecclesiæ hujusmodi statum fore perpetuum, adeoque duraturum usque ad extremi judicij diem. Oportet igitur, secundum Christi Domini verba, illam indefinitam & universalem ligandi ac solvendi potestatem non exspirâsse in Petro per Martyrium in cælos sublato, sed perpetuò duraturam esse usque ad diem judicij. At potestas cum Ecclesiæ statu perpetuo connexa, atque adeo perpetua, secundum ipsam rei naturam, ita transit in successores, ut isti cum suo Antecessore reputentur una persona, non quidem materialiter, sed formaliter quoad potestatem officij Pastoralis. Oportet igitur, secundum Christi Domini promissionem, in Ecclesiâ talem esse successiorem, v. cuius perpetuò persistat illa Divinitus promissa, indefinita & universalis ligandi ac solvendi potestas, omnimodam adeo respectu Ecclesiæ, omnes Christi fideles complectentis, judicariam & legislativam auctoritatem importans.

Objectio III.

74. **R**eplicabis. Saltem non consistere ex jure Divino, seu fidei principijs, quod Romanus Pontifex sit Petri Successor, nec adeo Papæ super Concilio acephalo superioritatem esse omnino certam.

h. 3.

Re.

Responſio.

76. **E**tenim discernere, oportet, tum inter illum de autoritate *indefinita* ſolvendi ac ligandi, cum Eccleſiæ ſtatu perpetuo connexâ poteſtate articulum, ipſius Chriſti Domini promiſſione firmatum, atque adeo fidei dogma complectentem; tum inter prudentiale credibilitatis iudicium, quo ſtatuitur, quis in illâ per Chriſti Domini promiſſionem firmatâ autoritate ſit legitimus Petri ſucceſſor. Atqui ex conſenſu Eccleſiæ, ſucceſſionem à Petro in Romanis Pontificibus enumerantis, deſumunt ſancti Patres argumentum prudentialis credibilitatis, ex quo legitimum in principatu Petri ſucceſſorem ſtatuant Romanum Pontificem: Ea verò natura eſt argumenti, prudentialem in dogmatibus fidei credibilitatem fundantis, ut illud non ſit quidem ex ſui naturâ ſufficiens ad ſpecificandum, ſeu movendum, ac terminandum actum fidei, ſit tamen inducens ad Veritatem Divinam taliter applicandam, ut ex reverentia erga hanc Veritatem voluntas ſe inclinet, intellectumque imperio ſuo captivet in fidei obſequium. In quo exemplo ſuo ita prævit ſanctus Auguſtinus *cap. 4. contra epiſt. fundam.* ut ex illâ Romanorum Pontificum à Petro numeratâ ſucceſſione, tanquam prudentiali credibilitatis argumento, dixerit, *ſe juſtiſſimè teneri in Eccleſiâ, per fidem nimirum Divinam.*

76. Hoc igitur ſancti Auguſtini exemplum ſequi, oportet, cunctos fideles, ac exinde taliter argumentari. Patres antiqui ex Romanorum Pontificum à Petro numeratâ ſucceſſione deſumplerunt prudentiale credibilitatis fundamentum, ex quo concludebant, in illâ ipſâ Eccleſiâ ſtare Veritatem Dei, in quâ ſubiſteteret iſta ſucceſſio. At iſta Veritas Dei pronuntiavit *indefinitam* ligandi ac ſolvendi poteſtatem Petro taliter promiſſam, ut deberet eſſe connexa cum Eccleſiâ per Chriſtum fundatâ, deberetque adeo cum huius ſtatu perpetua eſſe. Unde cum iſta Veritas Divina perpetuetur in Eccleſiâ, Romanorum Pontificum à Petro ſucceſſionem enumerante, oportet, illam *indefinitam* ligandi ac ſolvendi poteſtatem perpetuari in Romano Pontifice, eum Petri ſecundum ſanctos Patres ſucceſſore, ſuper quocunque *Morali* in terris, adeoque ſuper Episcoporum quoque in Concilio acephalo aggregatorum *actualibus* iurisdictionibus, earumque exercitijs, & actibus univerſis ſuperioritatem obtinente.

Objeſtio IV.

77. **U**rgebis. Chriſtum Dominum *Matthæi 18.* univerſis Apoſtoliſ promiſſiſſe: *Quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in calis, & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta, & in celo.* Hiſce namque verbis æque cæteris Apoſtoli� videtur promiſſa fuiſſe *indefinita* ligandi & ſolvendi poteſtas. Atqui hanc ipſam promiſſam poteſtatem Deus actu contulit Apoſtoli� *Ioan. 20.* dicens: *Sicut me miſit vivens Pater, & ego mitto vos.* Hanc ipſam verò po-

teſtatem fuiſſe reſpectu totius orbis, patet ex illo *Matthæi ult.* *Euntes ergo, docete omnes gentes &c.* Quomodo ergo plus autoritatis convenire potuit Petro, quam cæteris Apoſtoli�? Et quia iſta autoritas non tranſiit in ſucceſſores Apoſtolorum, cur ſoli Petri ſucceſſori competeret illa univerſalis autoritatis prærogativa?

Reſponſio.

77. **E**x antecedenter dictis multoties jam conſtabat, illam ſolvendi ac ligandi univerſalem à Chriſto promiſſam poteſtatem fuiſſe Apoſtoli� univerſis collatam per modum legationis, ſeu miſſionis, juxta præadducta verba, *Mitto vos.* Unde & *Paulus 2. Corinth. 5. v. 20.* ait: *Pro Chriſto ergo legatione fungimur.* Et ſpecialiter de ſe ipſo *Paulus ad Ephes. 6. v. 20.* ait: *Pro quo (ſcilicet Evangelij myſterio) legatione fungor.* Atqui ex ipſâ naturâ legationis conſtat, ipſam non eſſe perpetuam, ſeu ad ſucceſſores tranſferibilem, ſed indiſtinctam perſonæ, cum qua cohæreat, atque adeo ex ipſi et, eſſe in ea electam.

Contra verò Chriſtus Dominus *Matth. 16. 79.* ita promiſit Petro claves regni cælorum, cum *indefinita* & univerſali poteſtate ligandi ac ſolvendi, ut apertis verbis ſuis ſtatuere huius cum Eccleſiâ ſua ſuper petram inviſibilitatis, ac perpetuæ fundandæ connexionem. At verò autoritas cum perpetuo Eccleſiæ ſtatu connexa non poteſt non perpetua, atque adeo in ſucceſſores tranſferibilis eſſe. Hanc ipſam verò *indefinitam* autoritatem Chriſtus poſt reſurrectionem *actualiter* contulit Petro dicens *Ioan. 21. v. 15. 16. & 17. Paſce agnos meos, Paſce oves meas.* At hiſce verbis ſignificatur Paſtoralis officij poteſtas, *indefinitè* complectens omnes Chriſti fideles, atque adeo ipſos etiam Apoſtoli� eum Chriſti agnos.

In quo iterum elucet diſcrimen poteſtatis Petro, ac cæteris Apoſtoli� commiſſæ, cum iſtis nullibi dictum ſit, ut eſſent Chriſti ovium & agnorum *indefinitè* Paſtores, ſed ut per modum miſſionis ſeu legationis euntes docerent omnes gentes. Unde concluditur, ſoli Petro eſſe commiſſum paſtorale in omnes Chriſti fideles officium, quâ connexum cum perpetuo Eccleſiæ ſtatu. Cum igitur officium paſtorale cum tali perpetuo Eccleſiæ ſtatu connexum, Petro commiſſum, oporteat, eſſe perpetuum, e contra verò poteſtas ligandi ac ſolvendi cæteris Apoſtoli� per modum legationis conceſſa, de ſua natura ſit reſtriſta ad perſonam, facile elucet, cur Petri, non autem cæterorum Apoſtolorum iurisdictionis autoritas tranſierit in ſucceſſores.

Quandoquidem igitur Petri, ejuſque ſucceſſoris Oecumenica paſtoralis officij ſuper cunctos Chriſti agnos, atque adeo Episcopos etiam protenta poteſtas, ſit ipſiſſima clavium Eccleſiæ prorsus *indefinita* ad quæcunque ſuper terris *Morale*, adeoque ſuper Episcopales iurisdictiones, earumque intrâ Concilium acephalum exercitia, & actus poteſtativos ſe ſe extendens autoritas, nequit Concilium, quan-

quantumvis Generale *acephalicè* spectatum, quoad universa in eo agitata, non subesse superioritati Romani Pontificis.

Corollarium.

31. **EX** dictis inferitur. In ea questione; *An Papa sit Concilio superior* & semper esse circum spectuè distinguendum inter Concilium quò *formaliter* etiam Oecumenicum, & *abstractivè* saltem acephalum, atque solum *materialiter* universale, ac generale. Sub priori namque consideratione duæ sunt Concilii *formaliter* etiam Oecumenici prærogativæ, quarum una est consummata in fidei dogmatibus decidendis infallibilitas, quam Papæ extra Concilium definitis infallibilitate *secundum nos* (id est, in quantum ex Ecclesiæ definitione nobis constat) esse majorem, sæpe jam dicebamus, quamquam nullam involvat superioritatem respectu Papæ, utpote Capitis tali Concilio præsentis, à cujus etiam caractere & concursu dependet illa omnimodæ ac consummatæ infallibilitatis præminentia.

32. Et si porro tali Concilio, quò Oecumenico, competat illa *Matthæi 18.* promissa *indefinita* ligandi & solvendi potestas, omnimodaque adeò legislativa & judiciaria autoritas, per hanc tamen nihil unquam statui potest, quod sub *indefinito* illo in Regnum cælorum ordinabili *quocunque Morali* non comprehendatur, atque adeò per autoritatem Papæ semper sit solubile, nisi quatenus altioris principij ratio talem solutionem, seu variationem vetat, quemadmodum fit in decretis fidei, ex quorum sanctionibus supra candelabrum Ecclesiæ sanctæ ita ponitur Primæ Veritatis revelantis autoritas, ut ex hujus respectu neque Papa, neque Concilium ullum Oecumenicum possit in eis aliquam facere mutationem. Quare ad fidei decreta obligatur quidem Papa, non tamen in vi superioritatis Concilio super se competentis, sed in vi illius altioris principij, nempe Primæ Veritatis, mediante tali per Concilium, unà & Papam firmato decreto, sub omnimodæ infallibilitatis certitudine applicata. At verò in ordine ad motum decreta à Concilio Oecumenico firmata semper integra manet *indefinita* & Oecumenica super *quocunque Morali* protensa Summi Pontificis propria, ligandi & solvendi autoritas, quamquam in vi hujus nequeat Papa dici superior Concilio Oecumenico, utpote quod parem secum ad Concilium tale concurrente, jurisdictionem obtinet. Secus autem est de Concilio *acephalicè* spectato, cui ut sic, quò secundum præcisionem vel *realem*, vel *mentalem* avulso à Capite, neutra illarum Concilii quò *formaliter*, ac *perfectè* etiam *integraliter* Oecumenico, solummodo promissarum præminentiarum convenit, manetque adeò in statu subjectionis erga Oecumenicam Papæ autoritatem.



DISQUISITIO IV.

An Papæ supra Concilium acephalicè spectatum superioritas ex ipsismet Oecumenicis Synodis Generalibus, historisque Ecclesiasticis demonstrari valeat?

S. I.

10. **E**GREGIA in hanc rem argumenta producere licet ac lubet ex Authore *tract. de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ. lib. 5. cap. 13.* Consentunt, inquit, Catholici, Summum Pontificem esse visibile Caput Ecclesiæ. Visibile, inquam; nam invisibile, ac primum, ac præcipuum solus Christus est. Caput autem non solum pars corporis præcipua est; sed & in eo solo vigent omnes sensus, ut, si discindi sine interitu corpus posset, Caput cæteris omnibus membris, etiam simul sumptis, præstantius foret. Frequentissimum est in tota vita civili, præsertim apud Jurisconsultos, ut caput pro persona ipsa accipiatur, quod de reliquo corpore vix aliquod reperias exemplum.

33. Cùm nunquam contingerit (neque futurum sit unquam) ut Summus Pontifex legitimus, & indubitatus magnum, vel majorem Episcoporum numerum, à sua parte stantem non habeat: nonne Ecclesiæ Corpus per Caput cum multis alijs membris præcipuis melius præsentabitur, quam per alia membra sine capite? Quid igitur aliud efficiunt, qui Concilium sine Pontifice cum Pontifice solo comparant, eique præferunt, quam ut periculo schismatis viam aperiant?

34. Ipsi etiam Episcopi non solum seorsim, sed etiam in Concilio congregati, Romanum Pontificem Caput, ac Patrem habent. Hoc inter alia proficitur Concilio Chalcedonense in *Epistola, seu relatione ad S. Leonem sub finem: Rogamus igitur, & tuis Decretis nostrum honorari judicium, sicut nos Capiti in bonis adjecimus consonantiam, sic & Summis Tuis filiis, quod decet, adimpleat.* Caput autem Concilij dicitur Pontifex, non tantum, quod primo, ac præcipuo loco sit, sed quia, ut ait idem S. Leo alibi *citatus; Christus ab ipso quasi quodam Capite dona sua velut in corpus omne diffundit.* Sicut ergo quilibet Episcopus, quia est Ecclesiæ particularis Caput, ipsamet Ecclesia particularis censetur, ejusque Pastor, & Doctor, quem audire, ac sequi tenentur non solum singuli, sed etiam omnes illius Diocesis homines; nec ad eos de illius doctrinâ & regimine spectat judicare, sed ad superiorem extra Diocesim, ita Summus Pontifex, Ecclesiæ universæ Caput, ipsam solus melius, quam cætera membra sine ipso, videtur exhibere; ejusque Pastor, & Doctor est, cui tenentur obedire tum Laici, tum Clerici, tum seorsim, tum conjunctim, quotquot intra Ecclesiam sunt.

41. Adeò difficilis, ac ferè impossibilis est Conciliorum generalium congregatio, ut verisimile non sit, Christum principalem eis Ecclesiæ

cleriæ regendæ potestatem contulisse. Etenim per tria prima sæcula, cum Imperatores, alijque Principes, Infideles essent, & ad Ecclesiam persequendam, quam juvandam paratioris; nullum haberi potuit hujusmodi Concilium: omnesque tum temporis hæreses studio, & auctoritate Romanorum Pontificum potissimum extinctæ sunt. Posset autem contingere, quod tamen, disponente Divinâ providentiâ, nunquam futurum sperandum est, ut per totidem sæcula, vel plura idem impedimentum obstar.

5. Incommodorum in convocandis Concilijs occurrere solitorum partem recenset S. Ambrosius Epist. 9. lib. 1. his verbis; *Vexabuntur Sacerdotes Senes, transfretabunt maria, iterum invalidi corpore patriam peregrino mutabunt solo, iterum sacrosancta Altaria deserentur, ut in longinqua proficiantur, iterum pauperum turbæ Episcoporum, quibus ante onerosa paupertas non erat, externe opis egentes, compellentur inopiam generare, aut certe vitium inopam itineris usurpare.* Præterea tam diversa sunt Principum Christianorum studia; tam frequentes bellorum perturbaciones; tot circa præcedentiam, & alia capita contentiones; ut ob varias illas difficultates, quarum aliqua posteriora Concilia tandem produxerunt, scriptores dixerint, esse ferè impossibilem Conciliorum generalium congregationem.

6. Præstantia hinc præcipue propter certitudinem attenditur. At infallibilitatem sententiæ Concilij Oecumenici auctoritati Summi Pontificis potius, quam aliorum Episcoporum numero, adscribendam, ipsa experientia constat. Nam aliqua Concilia valde numerosa erraverunt, ac per Summos Pontifices, & per alia Concilia emendata sunt; ut patet de Concilio II. Ephesino, & de Concilio Arminensi. Anno 754. habitum est Constantinopoli Concilium, quod sanctæ, magnæ, & universalis Synodi titulo se insigniuit, 338. Episcopis constans, quorum omnium suffragio definitum est, cultum imaginum esse idololatriam: hunc errorem correxit, seu damnavit Stephanus IV. Papa in Concilio Romano anno 769. deinde Hadrianus primus, & juxta ejus definitionem, septima Synodus generalis.

7. Declarat autem, quæ sit in convocandis, ac dirigendis Concilijs sanctæ Sedis auctoritas, Epistola Hadriani ad Tarasium Constantinopolitanum, lecta in 7. Synod. act. 2. *Quod si autem non perspecta mihi esset, & probè cognita erga sacras Synodicas sex constitutiones, & venerandas imagines, vestra sinceritas, & Orthodoxa fides, nequaquam ad Synodum convocandam assentiremus..... In primis autem vestra Sanctitas piissimis, & triumphatoribus nostris Imperatoribus sine trepidatione inducat in animum, ut falsam congregationem illam sine consensu, ac presentia Apostolicæ Sedis, contra omnem Patrum venerabilium traditionem, contra venerandas imagines, sine ordine, & debita convocazione, factam excipietur, & anathematizata presentibus apocryphis nostris, cognoscat; quod omne xranium ab Ecclesia eraducatur, & Iesu Christi Domini nostri verbum impleatur, cum ait: Et portæ inferorum non prævalent adversus eam & alibi; Tu es Petrus, &c.*

Eandem auctoritatem exponunt Gelasius Epist. 13. & Nicolaus I. Epist. 8. *Sanctæ memoria Flavianum, inquit Gelasius, Pontificum congregatione damnatum, pari tenore, quoniam sola Sedes Apostolica non consensit, absolvit, potiusque, qui illic receptus fuerat, Dioscorum secundæ Sedis Præsulem suâ auctoritate damnavit, & impiam Synodum, non consentiendo submovit, ac pro veritate, ut Synodus Chalcedonenfis fieret, sola decrevit &c.* Et Nicolaus primus; *Non ergo dicatis, non eguisset vos in causa pietatis Romana Ecclesia, que coelestia Concilia suâ auctoritate firmat, suâ moderatione custodit.* Unde quædam eorum, quia contentum Romani Pontificis non habuerunt, valetudinem perdidit. *Quomodo non egeat qualibet Synodus Romana Sedes, quando in Ephesino latrocinio, canonicis Præsulibus, & ipsis quoque Patriarchis probantibus, nisi Magnus Leo, imitator scilicet illius Leonis, de quo scriptum est; vicit Leo de Tribu Juda, Divinitus excitatus, os aperiens, totum orbem, & ipsos quoque Augustos concuteret, & ad pietatem commoveret, Religio Catholica penitus corrumpisset.*

Nec cogites, Concilia illa duntaxat, quæ sine ullâ Summi Pontificis auctoritate congregata fuerant, vel in proferendâ sententiâ libera non fuerunt, per eos, quibus dictum in persona Petri; *Confirma fratres tuos, fuisse confirmanda.* Etenim in Concilio Chalcedonenfi Act. 5. propositâ ab Asclepiade fidei definitioni vel periculosa, vel imperfecta confenserant omnes Episcopi, eamque cum applausu exceperant, præter aliquos Orientales, & sanctæ Sedis Legatos, qui recessuros se à Concilio, protestati sunt, nisi epistola S. Leonis integrè susciperetur, suppressâ illâ definitione, in qua sub verbis ambiguis, & æquivocationi obnoxius, Dioscori vitus latere suspicabantur; quæque adeo recte fidei nocere potuissent.

Concilia Oecumenica, nisi Summi Pontificis auctoritatem superiorem esse, cognovissent, quomodo ejus, non suo nomine, Decreta communi consensu constituta, edi passa essent, ut auctoritatem à Pontifice mutuari, approbationem tantum à Concilio habere intelligerentur? Quod in ijs duntaxat Concilijs observatum legimus, quibus inter fuit ipsemet Papa, quod expressius significaretur, personæ ipsi Summi Pontificis, quatenus Petri successoris, hanc competere prærogativam. Unde in Concilijs tantum Occidentalibus ea forma servata est, eò quod in Orientalibus nunquam adesse voluerint Summi Pontifices, licet rogati, & aliquando facili, vel sine magno incommodo adesse potuissent.

Quamquam extant etiam illius prærogativæ vestigia in Concilijs Orientalibus. Nam condemnatio Dioscori in Concilio Chalcedonenfi sub nomine S. Leonis, quamvis absentis, cum approbatione, & subscriptione Episcoporum à Paschalino Legato edita est; Sanctissimus, & Beatissimus Archiepiscopus Magnæ, & senioris Romæ Leo, per nos, & per præsentem S. Synodum, unâ cum ter Beatissimo, & omni laude digno Beato Petro Apostolo, qui est petra, & crepido Catholica Ecclesiæ, & restis fidei fundamen-

mentem, nudavit eum (Dioscorum) tam Episcopatus dignitate, quàm etiam & ab omni sacerdotali alienavit ministerio. Magna est energia verborum illorum; Leo per nos, & per præsentem sacram Synodum, quibus denotatur Papæ autoritas; & sequentium, non tam ter Beatissimo, & omni laude digno B. Petro, quibus significatur autoritatis origo, scilicet privilegium Romanis Pontificibus in persona Beati Petri à Christo collatum. Nec illam sibi auctoritatem vindicaverunt Apostolica Sedis Legati, nisi postquam eis dictum fuit; Petimus vestram Sanctitatem, qui habes, magis autem, qui habetis locum sanctissimi Papæ Leonis, promulgare in eum, & regulis instam contra eum præferre sententiam. Omnis enim & tota universalis Synodus concors efficitur vestre Sanctitatis sententia. Concilium Chalcedonense Act. 3. In qua lecti sunt etiam, nemine reclamante, plurimi libelli, in quorum titulo distinguebatur sanctus Leo à Concilio, ei que anteponebatur, nec non Patriarcha, vel Archiepiscopus universalis appellabatur.

Quamvis Reges, alijque Principes à populo plerumque suam auctoritatem acceperint, non à Deo, nisi mediâte, tamen Regem Gallie Comitibus generalibus superiorem esse, qui revocaret in dubium, puto tanquam lætæ Majestatis reum habendum; eamque superioritatem omnes intelligant in eo significatam, quod, quæ in Comitibus deliberata sunt, Regis nomine inscribuntur, & auctoritate promulgantur. Cùm in Comitibus generalibus Gallie sub Henrico III. conscripti fuissent quidam articuli, quibus exigebatur, ut Rex Comitiorum sententiam sequi teneretur, repudiati sunt tanquam Regiæ Majestati injuriosi: & jure merito, inquit Duplex ista recitans, nam Rex non esset, si ei à Comitiorum sententiâ recedere non liceret. Porro quomodo Summus Pontifex Ecclesiæ subiacet, à qua suam non est mutuatus potestatem, & cui potius jure Divino, tanquam Christi Vicarius, ex Constantiensis Concilii Sess. 8. tanquam Caput corpori, juxta Concilium Chalcedonense Act. 3. & in Epistola ad S. Leonem; tanquam Pater gregi, ut canit Ecclesiâ, præpositus est.

§. II.

Referuntur ac expenduntur partibus advertæ argumenta per Costarum, Abulensem Episcopum 2. par. Defensorij cap. 77. & 76. deducta ex illa auctoritate: Si peccaverit in te frater tuus, &c. dic Ecclesiâ.

ARGUMENTUM I.

EX hac namque auctoritate Author ille argumentatur 1. Inde elici, quod non solum in pertinentibus ad fidem Concilium judicet de statu Papæ, sed etiam in pertinentibus ad mores & crimina. Nam quando dicitur Papa esse subiectus Ecclesiæ universali matri suæ, cujus vicem plenè tenet sacrum Generale Concilium, aliqui non secundum Deum, sed secundum

dum hominem favere volentes Pontificibus, quasi constituentes eos Deos impeccabiles, dicunt, verum esse, quod Papa in his, quæ sunt fidei, sit Concilio subiectus, quia de hoc expressè continetur in Cap. Si Papa. 10. dist. ubi habetur, quod pro causa fidei Papa accusari, & deponi posset. Verùm pro alijs delictis asserunt, Papam soli Divino relicto esse arbitrio, neminemque mortalium, ne quidem Concilium Generale posse judicare Papam; juxta cit. Cap. Si Papa. & alia lura. Hi tamen minimè advertunt ad præinsinuatam Christi Domini auctoritatem, quæ major est quibuscumque epistolis Summorum Pontificum, ex qua necessum est, accipi, Papam subiectum fore judicio Generalis Concilij non solum in pertinentibus ad fidem, sed etiam in tangentibus actiones morales: quia in ea lege de correctione fraternâ Christus subiecit beatum Petrum Concilio, quæ est Concilium Generale, & tamen lex de correctione non solum habet locum in peccato hæresis, sed etiam in omnibus alijs, sicut tota Ecclesiâ observat.

Responsio.

Cur, si Papa deficiat à fide, subiciatur Concilio, ex solis etiam Episcopalis jurisdictionibus aggregato, in promptu est ratio, quod utpote ab Ecclesiâ avulsus, jam nequeat hujus esse Caput, nec adeo processui adversus ipsum faciendo obistere possit character Pontificius, ex quo est ejusdem supra Concilium præminentia. Imò si vel Papa dubius sit, dum talis character Episcopalis jurisdictionibus supereminens, secundum prudentiam credibilitatis evidentiam non patet, atque adeo constare non potest, esse exemptus a jurisdictionibus Episcopalis in unum acephalium Concilium collatis, jam præsumendus est, hinc iussisse, atque adeo contra ipsum procedi potest in tantum, ut pro Ecclesiæ Bono de ipso decerni queat, ac si nulla præterea Patris in ipso habenda esset ratio. Verùm si certa sit Pontificia dignitas, quomodo adversus ipsam ratione cujuscunque sceleris procedere fas erit eoque, ut, dum Caput est Ecclesiæ, perinde tamen ac Ethnicus, id est, ab Ecclesiâ avulsus, habendus ex correctionis fraternæ censurâ auctoritative decernatur? Quomodo enim inter se coherere possunt, esse verum adhuc Ecclesiæ Caput, & tamen reputandum esse ad instar membri à corpore Ecclesiæ abscissi?

ARGUMENTUM II.

Abulensis præcitatus, postquam multis ibidem ostendisset, illum de correctione fraternâ textum Evangelicum non de peccatis fidei duntaxat, sed vel maximè de alijs peccatorum generibus intelligendum esse, sic argumentatur 2. Secundum hanc correctionis fraternæ regulam, remittitur Papa ad Concilium, denunciando peccata cujuslibet alterius. Sed & quislibet alius mittitur ad Concilium, de-

K k

qua-

nunciando peccata Papæ, cum ipse sit frater omnium. Ergo etiam peccata actionum moralium Papæ possunt iudicari per Generale Concilium. Et sic factum est sæpe antiquitus, ut patet in B. Damaso Papa, qui accusatus fuit de adulterio, & coram Concilio Generali se purgavit cum quadraginta quinque Episcopis. Sic etiam Symmachus Papa tempore Regis Theodorici regnantis in Italia, coram sancta Synodo purgatus est: & ita de multis alijs Summis Pontificibus, uti legitur in gestis Summorum Pontificum, & in historia B. Damasi, & sæpe in Decretis 2. q. 5. Ad quod facit etiam *Cap. 11. octava Synodi Oecumenicæ*: ubi sic habetur: *Universalis Synodus cum convenienti reverentiâ quamlibet quæstionem de Romana Sede exortam audire tenetur, & in ea proficere: non tamen audacter sententiam in Romanum Pontificem dicere.*

Responsio.

16. Consideratu dignissimum est, quomodo ex Christi circa correctionem fraternam præscripto, Papa remittatur ad contumacem Ecclesiæ, id est, Concilio Generali denunciandum? An hæc remissio fiat in vi *indefinitæ* Concilio Generali, quæ Oecumenico, sicque per Papæ characterem informato, competentis *Matthæi 18.* descriptæ ad ligandum & solvendum potestatis? At non minus universalis, ac incircumscripita noscitur ex *Matthæi 16. capite* ligandi & solvendi potestas Papæ convenire. Quid ergo ex hac parte specialis inesset utilitatis illi ad Concilium Generale contumacis denuntiationi, dum solitaria etiam Papæ autoritas, æquæ ac Concilij Generalis autoritas illa prævalere potest ad contumacem avellendum ab Ecclesiæ communione, ut instar Ethnicæ ac publicani sit propterea habendus? An rursus ea contumacis ad Concilium Generale remissio per Papam faciendâ, est tanquam ad tribunal superius in causa facti, ut scilicet delicti veritas per processum judicarium indagetur, sicque pænæ condignæ subijcienda, ulterius devolvi non valeat? At quid utilitatis in hac quoque remissione interveniret, dum quæ Concilio Generali, quæ Oecumenico, sicque ipsummet Papam seu Ecclesiæ Caput involventi, est concessa judiciaria suprema potestas, unice fundatur in illâ *indefinitâ* ligandi & solvendi autoritate, cui ex paritate verborum noscitur compar Papæ etiam solitarie spectato, competens æquæ universalis ligandi ac solvendi potestas? An ergo, ubi peccator Papæ correctioni, ejusque decreto contumaciter resistendo, vel aperte, vel plusquam probabilis hæreseos, ne in Ecclesiæ, ac Religionis sanctæ publicum detrimentum cedat, censurâ condignâ reprimendæ dignoscitur reus, hoc delictum non tam *quoad processum facti*, quam *quoad decisionem Juris*, fidem ipsam contingens, sicque dogmaticam ex fide definitionem publicam & autoritativam efflagitantis, per Papam est referendû ad Generale Oecumenicum Concilium, non ideo, quod ipse Papa, seu

Petra, super quam ædificata est Ecclesiâ, non habeat etiam dogmatis ex fidei principijs *authoritative* decisivam potestatem, sed quod certior adhuc *secundum nos* sit fidei regula ex definitione Generalis, quæ per Papam informati, ejusque consensum firmati Concilij, consummatam in fidei dogmatibus decidendis infallibilitatis autoritatem omnimodam obtinentis? Ex qua proinde Concilij, quæ Oecumenici, sicque Papam seu *formale* suum constitutum, & principium suo consensu cooperans, seu confirmans includentis, *secundum nos* certiori infallibilitatis prorsus consummatæ prærogativâ subsistit equidem Synodi Generalis, quæ Oecumenica, & quæ per Papam confirmatæ majoritas quædam, nulla verò supra Papam proprie dicta superioritas, velut in antecedentibus habetur declaratur.

Quando porrò Abulensis in suo præfenti argumento ex Christi de correctione fraternâ verbis præterdit: *Papam eatenus remitti ad Concilium Generale, quatenus ipse, ut pote fratris peccata, hæresin licet non redolentia, possint deferri ad ejusmodi Synodum.*

Ad hoc responsio in promptu est. Dum enim nullum Papæ peccatum est intelligibile, quod sub peccati reatu sit profluens ex Papali autoritate per Christum institutâ, sed ex persona hujus potestatis per Christi ordinationem particeps, ut sic communicante cum fidelibus universis tam in gratiæ & charitatis sanctæ, quam in Religionis ac Ecclesiæ sanctæ, Boni etiam publici communione, quis neget, Papam ut sic esse fratrem Christi fidelium, adeoque non jam ut Papam, sed quæ Christianum hominem subesse correctioni fraternæ per Christum *Matthæi 18.* institutæ? Quid ergo? Si Papa, quæ peccator, sicque adeo quæ homo privatus secretè, vel etiam coram testibus privatim à viro ad hoc idoneo secundum præceptum Evangelicum correctus, se non emendet, sed Ecclesiam suam publicis peccatis suis scandalizare protrevit; an nefas erit, ipsum deferri ad Concilium etiam acephalum, ut ab eo acriori verborum reprehensione castigatus, ad melioris vitæ frugem reeducatur? Sed ubi nec ista reprehensio & correctio verbalis profecerit, dum in fide non defectit, adeoque Ecclesiæ membrum & Caput permanet, *indefinitâ* adeo ligandi & solvendi, super *quocunque* ad regnum cælorum ordinabili *moralis* protensâ, præfulgens potestate, quomodo jam Concilium Generale (cui equidem non nisi quæ Oecumenico, adeoque Papam ipsum involventi pariter *indefinitâ* solvendi seu ligandi autoritas competit) adversus ipsum stringere poterit virgam coercitivam? Hoc ipsissimum est, quod ex *Cap. 11. Octavae Oecumenicæ Synodi superius* adducto habetur, quod scilicet Generalis Synodus audacter (qualis audacia prorsus interveniret, si virga coercitiva stringeretur adversus potestatem æquæ *indefinitâ* ligandi & solvendi autoritate dotatam) sententiam in Romanum Pontificem proferre haudquaquam possit.

Si equidem Pontifex sponte sua & voluntarie se uti peccatorem, atque adeo quæ hominem privatum, uti fit etiam in foro Confessionali, se subijciat Concilio, merito istud procederet ad quævis salubria, ac emendationi procurandæ congrua remedia, absque ullâ tamen judiciariâ coercitivâ fori externi propriâ autoritate, utpote haud potente constringere illum, cui, quamdiu hæreticus non est, inamissibiliter inest absoluta & indefinita ligandi potestas. Et hinc à fortiori potest Papæ uti subsidio Concilij Generalis ad famam iniquæ sibi ereptam, Ecclesiæ Bono, ac regimini perquam necessariam reparandam: in quo tamen actu nulla erga Papam, sed hoc ipsomet etiam concurrente, suamque autoritatem Synodo pariter impertiente, erga ejus iniquos distamatores exercetur jurisdictio.

CONCLUSIO.

EX regulâ fraternæ correctionis per Christum *Matthæi 18.* institutâ nequit ulla Concilij Generalis supra Papam superioritas evinci.

EXplicatur. Ipso namque naturæ lumine conspicuum est, superioritatem prætendi haud posse erga alterum, nisi ex autoritate, hunc suis seu mandatis, seu sententijs judiciarijs constringere prævalente: quorum neutrum in Concilio, quantumvis Generali quæ acephalo, posse locum habere, multis jam habetur ostensum in *præcedentibus*, & aliquantò magis firmabitur *ex subsequensibus*.

PROBATIO I.

Refutatoria *primi & secundi* per Abulensem *suprà* allati argumenti.

1. Ingamus enim, Concilium aliquod Generale, quod eo ipso, dum est acephalum, nequit formaliter Oecumenicum esse, adversus Papam non hæreticum, adeoque iure *Divino* non depositum, vel etiam non dubium, nec Episcopalis exorbe Christiano ob Ecclesiæ Bonum publicum in unum congestis jurisdictionibus subditum, eodumque procedere, ut in ipsum, ab Ecclesia agniti verum Papam, stringat excommunicationis censuram, Ethnicis adeo & publicani statu condignum eum decondens: quid efficaciam, seu vis constringentis poterit in tali sententiâ reperiri, dum ipsemet Papa talis sententiæ vim evacuare, imò omni prorsus efficaciam constringente destitutam, adeoque nullam ex sua Oecumenicâ autoritate declarare, ac *juridicè* procurare valerit? At eo ipso, quod de fide fit, Papæ ab Ecclesia recepto competere claves Regni cælorum tam *indefinitâ*, super quocumque in Regnum cælorum ordinabili *Morali* protensâ, solvendi & ligandi potestate, evidenter redditur manifestum, quamcunque Concilij adversus Papam quomodocunque latam sententiam, posse ex vi illius Oecumenicæ autoritatis enervari à Papâ, imò omni prorsus

constringente efficaciam destitutam, seu nullam *juridicè* ac *judicialiter* pronuntiari. Sicuti ergo ex fidei principijs evincitur, nullam esse Concilio Generali vim & autoritatem, suis sententijs constringendi Papam, sic ex eisdem principijs confutatur Concilij Generalis erga Papam autoritas. In quo proinde principio & Concilia, & Summos Pontifices, & sanctos Patres ac Theologos conspirare, constat ex ijs, quæ Author *Regalis Sacerdotij lib. 2. §. 11.* singulari industria sua congestit: Patres, inquit, Concilij Romani sub Sylvestro Pontifice, & Constantino Imperatore n. 244. docent: *Romanam sedem à nemine, ne quidem toto Clero judicari posse; ab ipsa vero judicari omnes.* Tomo 1. Concil. post Concilium Nicænum. Et ipsum Concilium Romanum *Can. ult.*

Patres Concilij Nicæni I. numero 318. *Papam esse vicarium Christi super omnes populos, & universam Ecclesiam Christianam.* Habetur in *Act. Concilij Can. 39. Tom. 1. Concilior.*

Patres Concilij Sinuesani, numero 180. *Non posse alterius ore, sed suo tantum Papam judicari: illum reum, illum judicem sui esse.* Acta Concilij Sinuesani *Tom. 1. Concilior.* & Nicolaus I. in *Epist. ad Michaelem Imperatorem.*

Patres Concilij Romani sub Symmacho Papa, & Theoderico Italiæ Rege, num. 115. *Papam esse summum Pastorem, nullius, extra casum hæretici, judicio subiectum.* Tomo 1. Concilior. & Anastasius in *Symmacho.*

Patres Synodi Romanæ sub Leone III. & Carolo M. ex Alemannia, Gallia, Italiæque quam plurimi. *Rem inauditam esse, Romanum Pontificem Concilio reum sibi, qui nunquam alium, quam se judicem habuerit.* Anastasius in *Leone III.* *Æmilius de rebus Francor. in Carolo M. Baronius ad Annum DCCC.*

Patres octavæ Oecumenicæ Synodi sub Hadriano II. Pontifice, numero 202. *Ne quidem à Concilio Generali posse in Romanum Episcopum sententiam dici.* *Can. 21. & habetur 10. 4. Concilior.*

Patres Concilij Lateranensis sub Leone X. numero 114. *Papæ auctoritatem Concilio præcellere.* *Sess. 11. Et Rex Christianissimus per suos Oratores Lateranensi Concilio se adherere professus est.* *Sess. 8.*

S. Anacletus Papa & Martyr: *Depositionem Summi Pontificis soli Deo reservatam esse.* *Epist. 1. Anaclet. quæ habetur Tom. 1. Concil.*

Iulius Papa: *Papam à nullo posse judicari: majores causas ad eundem referendas esse, & extra ejus sententiam, nihil posse deserviri.* *Epist. 1. ad Episcopos Orientales; & habetur Tom. 1. Concilior.*

S. Bonifacius Martyr. *Papæ judicio omnes subiacere, ipsum nullius, exceptâ hæresi.* *Cap. Si Papa. dist. 50.*

S. Gelasius Papa: *Ex præscripto Canonum ab omnibus posse Romanam Sedem appellari, sed ab ista nullam esse provocationem: ejusque sententias nullius examini, aut judicio submitti.* *Tom. 1. Concilior. & cap. Nemo. cap. Cuncta. 9. q. 3.*

S. Symmachus apud Ennodium: *Successores B. Petri cælo tantum suam debere innocentiam, & præter Deum sine judice esse.* *Tom. 1. Concilior. in Symmacho.*

Kk 2

S. Ni.

S. Nicolaus Papa ad Michaellem Imperatorem: *Papa iudicium ultimum & peremptorium esse; nec maiorem Pontificiâ auctoritate in mundo dari.* Tom. 3. Concilior. & cap. Patet. 9. q. 3. Palchalis 11. Romanum Pontificem nullis Conciliorum legibus constringi posse. In Epist. ad Archiepisc. Panormit. & cap. Significâti. 4. De elect.

S. Cyrillus: *Sicut Christo à Patre omnis potestas & nulli alteri data est: sic Petro, ejusque successoribus supremam Ecclesiæ curam, nullique alteri commissam.* 1. Thesaurorum tom. 2.

S. Cyprianus: *Hereses & schismata ex eo nasci, quod non uni sacerdotio, qui vice Christi iudicem agit, universa fraternitas obtemperet.* lib. 1. Epist. 3. sub init.

Stephanus Archiepiscopus, omnesque Africa Episcopi: *Ad Romanam Sedem omnia, & longinquis etiam, remotissimisque locis negotia majoris momenti deferenda esse, ejusque arbitrio finire oportere.* In Epist. ad Damianum Papam. & habetur Tom. 1. Concilior.

S. Damasus Papa: *Nulli Episcoporum numero decreta firmari, quibus Romanus Pontifex assensum non præbuit, & hujus ante omnia expectandam sententiam esse: nec ulla unquam rata Concilia legi, quæ non sunt iusta Apostolica auctoritate.* Epist. ad Episcop. Illyriæ apud Theodoret. lib. 2. cap. 22. & Epist. 2. ad Stephanum, & Concilia Afric.

S. Athanasius: *Majores suos dogmata & ordinationes à Sede Romana accepisse, ad eamque quasi ad Matrem recurrisse, ejus uberibus nutriendos: Canonibus quippe sancitum esse, ut absque Romano Pontifice in majoribus causis decerni nihil debeat.* Epist. ad Felicem II. Papam.

Patres Concilij Oecumenici Sardicensis sub Iulio Papa, numero 300. *A Synodo condemnatos posse Romanam Sedem appellare, hujusque arbitrio sedere, an velit ipsa causam cognoscere, an iudices in partibus delegare.* Ex actis Concilij c. 4. & 7.

Patres Concilij Chalcedonensis Oecumenici sub Leone Papa, numero 630. *Imperari sibi à Pontifice Romano, leges dari, & fidei formam præscribi patrantur, & parent.* Ex actis Concilij Act. 1. 3. 16.

Anastasis Patriarcha Hierosolymitanus: *Antiquis regulis sancitum esse, ut quicquid, quamvis in remotis Provinciis ageretur, non prius tractandum esse, quam ad notitiam Almiæ Sedis esset deductum: ut iuxta ejus auctoritatem aut firmaretur, aut infirmaretur.* Epist. ad Felicem Papam.

Patres Concilij Nicæni II. numero 150. sub Adriano I. Papa. *Execrabilem, profanam, & adulerinam esse septimam Synodum Constantinopolitanam, quia non habuit cooperarium Romanum Pontificem, neque illius sacerdotes, neque per Vicarium, neque per Provinciales litteras, quemadmodum fieri in Synodis debet.* Ex actis Concilij Act. 6.

S. Ilidorus Hispalensis: *Epistolas Romanorum Pontificum, eorumque decreta pro culmine Sedis Apostolicæ, nec imparis esse cum Concilij auctoritatis, nec ullam Synodum legi ratam fuisse, quæ non fuerit auctoritate apostolicæ Sedis congregata, vel iusta.* Præfat. in opus Conciliorum.

Ivo Carnotensis: *Iudicia Romana Ecclesiæ à nemine retrahi posse: & si quis aliquando hujus*

Ecclesiæ auctoritate gravatum se sentiat, non debere in Ægyptum descendere propter auxilium, sed ab ipsa ad ipsam confugere, & inde expectare levamen, unde se conqueritur accepisse gravamen. Epist. 67. Ioannes Sarisberienis: *Quis præsumat Summum iudicare Pontificem, cuius causa Dei solus reservatur examini utique quisquis hoc attentaverit, laborare quidem, sed proficere nequaquam potest.* In Polycr. lib. 8. c. 21.

B. Augustinus Triumphus: *Sententia Papæ, & sententia Dei, est una sententia; sicut una sententia Papa & sententia Auditoris ejus. Cum igitur appellatio semper fiat à minori ad maiorem, si quis nullus est maior seipso, in terra nulla appellatio tenet facta à Papa ad Deum. De potest. eod. q. 6. a. 1.*

B. Ioannes Capistranus: *Auctoritas Papæ protenditur ad omne bonum, & nullum malum, est enim quasi Deus in terra major homine, & minor Deo, plenitudinem obtineus potestatis.* Lib. de auctoritate Papæ & Concilior.

S. Bernardus: *Quis mihi faciet iustitiam de vobis? Extat quidem tribunal Christi, sed absit, ut ad illud appellem: itaque recuro ad eum, cui datum est iudicare de universis, hoc est, ad vos: vos appello ad vos, iudicate inter me & vos.* Epist. 113. & lib. 3. de Considerat. cap. 2.

S. Thomas Aquinas jam supra cit. *quæst. de Pont. 10. a. 4. in solut. ad 13. & in 4. dist. 19. & 2. 2. q. 2. a. 3. & Tract. contra impugnantes Religionem.*

S. Antoninus T. 22. p. 3. c. 6. §. 19. S. Bonaventura in 4. dist. 19. & expressè de celest. Hierarch. p. 2. c. 1. Alexander Aletis p. 3. q. 40. membro 2.

S. Bernardinus Senensis in Mariali p. 3. serm. 3. *Cum Papa, inquit, sit Christi Vicarius, & gerat vicem Dei in terris, ex quo sequitur, quod habet plenitudinem potestatis, & illud, quod facit, præsumitur facere auctoritate Dei: ideo ipso approbante aliquid, & nos approbare debemus. Imò ipsius sententia est magis standum, quam sententia totius mundi.*

Denique Ecclesia & Natio Gallicana hanc ipsam veritatem de Pontificis auctoritate Concilij superiore, aliquoties, totoque audiente orbe Christiano, amplexa palam & professæ est, ut infra dicitur. Videatur interim Raynaldus ad Annum 1441. n. 10. & Acta Concilij Lateranensis ultimi Sess. 8.

PROBATIO II.

Prioris continuativa.

Videri equidem posset, Concilij super Papa superioritatem evinci ex Cap. *Confidimus.* Cap. *Contra.* Cap. *Prima salus.* Cap. *Idem.* 25. q. 1. quatenus hiæ Canonibus habetur sancitum: *Summum Pontificem Universalium Synodorum decretis & sanctionibus Canonibus alligari, de cetero que apprimè sanctam Sedem, ut constitutiones ejusmodi curet observari.* Quod faciunt etiam, quod Gregorius Magnus in Cap. *Sicut.* dist. 15. relatus dixerat: *Ne quidem à Summo Pontifice solvi posse, quos quique Concilia Oecumenica ligarunt, aut ligari, quos illa solverunt.* Et quod S. Antoninus 3. p. 11. 23. cap.

cap. 2. §. 6. asseruit: In ijs, que ad fidem perti-
nent, majorem esse Concilij auctoritatem, quam
Summi Pontificis. Item. In ijs, que Universalis
Ecclesiæ statum concernunt, non posse Papam contra
Concilium aliquid statuere.

23. Verùm ad solidam super hisce reflexionem
faciendam, lubeat ex Adversarijs sciscitari,
cujusnam auctoritatis jure ac efficaciâ constri-
ngantur Summi Pontifices ad Synodorum Uni-
versalium decreta, seu Canonicas sanctiones,
in rebus fidei præcipuè, vel Universalis Eccle-
siæ concernentibus statum, observanda? In
fidei equidem sanctionibus à Concilio Oecu-
menico latis, & per Papam firmatis, ex hoc
Capitis unâ & Hierarchici Ecclesiæ Corporis
consensu eatenus stat omnimoda & consum-
mata veritatis infallibilitas, ut Papa eti-
am debeat ei se subiectum profiteri, tum ex
fidei virtute propter Primæ Veritatis superim-
pensionem auctoritatem, tum ex virtute prud-
entiæ infusæ, propter credibilitatis prudenti-
alem evidentiam supernaturalem dogmaticæ
veritatis, non tantum sufficenter, sed convin-
center, sub omnimodâ scilicet infallibilitatis
moralitate applicatoriam.

24. In ijs porrò, quæ statum Ecclesiæ concer-
nunt, Summus Pontifex se conformare & ac-
commodare tenetur Oecumenicorum Con-
ciliorum decretis, ex ipsa iustitiæ Legalis, à Reli-
gionis supernaturali haud distinctæ obligatio-
ne, Papam eò impensius constringente, quòd
tanquam Oecumenicus Ecclesiæ Pastor hujus
universale Bonum magis, quam cæteri pro-
movere teneatur. In his statutis Synodali-
bus autem fideles quosque, etiam singulariter spe-
ctatos, concernentibus, quoad materias, quæ
Papalem dignitatem non dedecent, eorum se-
cundum vim directivam obligatio stringit eti-
am Papam, ut quæ Ecclesiæ sanctæ membrum,
reliquo myltico, cujus est Caput, Corpori se
conformet, idque in vi Æternæ legis, atque ex
hac derivatæ naturalis etiam supernaturaliza-
tæ legis, omni mandato humano sese insinuan-
tis, suamque transcendentalem obligationem
in id transfundentis. Quia tamen ejusmodi à
Concilio, quantumvis etiam Oecumenico, sanc-
titi decreti vis & efficacia non potest non
computari in censu moralis ad Regnum cælo-
rum in terris ordinabilis vinculi, quomodò
extrahi valeret ab indefinitâ, super quamcun-
que in terris ad Regnum cælorum ordinabi-
lem moralitatem protensâ, ligandi & solvendi
Papæ, etiam solitariè spectati, potestate? Quare
tantum abest, ut hæc sit illi subiecta, sed to-
ta potius decreti Synodalis secundum se speci-
ficè spectati, obligatio subjacet Summi Ponti-
ficis auctoritati. Quam ob rationem nulla
enam est excogitabilis in terris judiciariæ po-
testatis sententia, cui non supereminet Papæ
suprema potestas Oecumenica.

25. Hoc totum dilucidis verbis profitebantur
sacra Concilia, asseverando, Summum Ponti-
ficem à nemine, præter solum Deum, judicari
posse; veluti industriâ præcipuis laudibus dig-
nâ Author Regalis Sacerdotij lib. 2. §. 6. à n. 2.
nostros ob oculos ponit exempla sequentia,
quorum primum est Anni 303. de Marcellino

Pontifice, Imperatorum Diocletiani, & Ma-
ximiani seu minis, seu blanditijs ad thus Ve-
stæ adolendum permoto, sed mox pœnitente
ad Synodum Sinuessæ in Crypta Cleopatrensi
celebratam revertente, ex quâ hanc retulit
sententiam: Synodus universa dixit: cunctorum
judicio tu eris iudex, ex te damnaberis & iustifica-
beris, tu enim iudex, tu reus; veluti fusiùs ha-
betur to. 1. Concilior. & in epist. Nicolai 1. ad
Michaelem Imperatorem, relatâ in Synodo Oe-
cumenicâ VIII. Act. 6.

26. Secundum anni 324. exemplum est desump-
tum ex Concilio post baptizatum Constanti-
num Imperatorem in Thermis Trajani per B.
Sylvestrum cum ducentis octoginta quatuor
Episcopis celebrato, in quo Valentiniana &
Sabelliana hæresis damnata est, ubi juxta 1. m.
1. Concil. 20. cap. ita habetur: Nemo dijudicet pri-
mam Sedem, quoniam omnes Sedes à Prima Sede ju-
sticiam desiderant temperari, neque ab Augusto, ne-
que ab omni Clero, neque à Regibus, neque à popu-
lo iudex judicabitur.

27. Tertium anni 431. exemplum est Concilij
celebrati in Atrio Sessoriano ob Sixtum III.
Pontificem de stupro accusatum; ubi præsen-
te Imperatore Valentiniano, cum dictum esset:
Non licere adversus Pontificem dare sententiam,
surrexit protinus Imperator, & in arbitrio
præfati Pontificis tribuit judicare iudicium su-
um; uti habetur in dictâ Nicolai Papæ ad Mi-
chaelem Imperatorem Epistolâ, relatâ tom. 3. Con-
cil.

28. Quartum anni 502. exemplum est ex Syno-
do Romanâ, celebratâ sub Symmacho Papa,
ubi in Apologiâ ex mandato Concilij adver-
sus schismaticorum erga Symmachum crimina-
tiones scriptâ ab Ennodio sic habetur: Aliorum
fortè hominum causas Deus voluit homines termina-
re, sed Sedes istius (scilicet Romanæ) Præsulis suo
sine questione reservavit arbitrio. Voluit B. Petri A-
postoli Successores cælo tantum debere innocentiam,
subtilissimi discussoris indigni involatam exhibere
conscientiam. Cujus asserti mox subijcitur ratio,
quòd uni dictum sit: Tu es Petrus, & super hanc
Petram ædificabo Ecclesiam meam; & quæcunque
solveris super terram, erunt soluta & in cælis. Ex
Ennodio to. 2. Concil. libello Ennodij.

29. Quintum anni 800. exemplum est ex Syno-
do Romanâ sub Leone III. & Carolo Magno
celebratâ, ubi cum Carolus infensissimorum
Leonis hostium audacias sacrilegas vindica-
turus jussisset, ut Synodus in Leonem, ejus-
que objecta inquireret, Patres unanimi voce
exclamârunt: Nos sedem apostolicam, quæ est
Caput omnium Dei Ecclesiarum, judicare non aude-
mus, nam ab ipsa nos, & Vicario suo judicamur,
ipsa autem à nemine judicatur, quemadmodum an-
tiquitus mos fuit. Ex Anastasio in vita Leonis, &
Emilio de gestis Francorum sub Carolo Magno.

30. Sextum anni 968. exemplum est iterum ex
Romanâ Synodo sub Hadriano II. habitâ in
casu Photij, ubi Pontifex sic fuit præfatus, Ro-
manum Pontificem de omnium Ecclesiarum Præsuli-
bus judicasse legimus, de eo verò quemquam judicasse
non legimus, licet enim Honorio ab Orientalibus
post mortem anathema sit dictum, sciendum tamen
est, quia fuerat super hæresi accusatus &c. Quæ ver-

ba lecta & approbata sunt in VII. Synodo Oecumenicâ *Act. 7.*

§. III.

Noftratis de Papæ suprâ Concilium superioritate sententiæ argumenta referuntur ac expenduntur.

ARGUMENTUM I.

Desumptum ex Papæ per se, vel Legatos suos in Concilijs Oecumenicis præfidentia.

31. **F**ingunt equidem hæretici moderni, in nullo Universalis Concilio ante Synodum Constantinopolitanam, pro *Olivâ* Oecumenicâ habitam, vel per se, vel per Legatos suos præfuisse Romanum Pontificem.
32. Verum hujus manifesti commenti manifesta fit confutatio ab inductione Conciliorum Oecumenicorum. Nam 1. ex *Actis Nicæni Concilij* constat, huic Synodo, unâ cum Vito & Vincentio, Ecclesiæ Romanæ Presbyteris, præfuisse Hosium Cordubensem, quem fuisse Romani Pontificis Legatum, asseritur etiam in Præfatione Concilij Sardicensis.
33. Insuper sanctus Athanasius in *Epist. ad vitam solitariam agentes* scribit, Hosium in illo Concilio principem egisse: testanturque acta Concilij, Hosium præfactum unâ cum Presbyteris Romanis Vito & Vincentio primo loco subscripsisse. At quis eredit, Hosio simplici Episcopo Cordubensi præ Patriarchis illi Concilio præsentibus permillum fuisse, ut primo loco subscriberet, nisi Romani omnibus Patriarchis superioris Pontificis Legatum egisset? Unde Cedrenus in *Compendio historiarum*, & Photius *lib. 1. de septem Synodis* scribunt, *Sylvestrum per suos Legatos Nicæno Concilio auctoritatem intulisse.*
34. 2. Verum quidem est, Concilio Constantinopolitano I. Oecumenico II. neque per se, neque per suos Legatos interfuisse Damalum Papam, eò quod Episcopos Orientis Constantinopolim convocatos, volebat Romam ad plenissimam Episcoporum Occidentalium ibi congregatam Synodum vocare, nisi illi justas ob causas se excusando, contra Macedonianos ac Eunomianos sententijs & animis se conjunctos probassent cum Episcopis Occidentalibus. Nihilominus illa Constantinopolitana Synodus in tantum cæpit esse Oecumenica, in quantum, teste Photio in *libello de septem Synodis* à Damaso Papâ confirmata fuit, in ijs nimirum, quæ ad Macedonianæ ac Eunomianæ hæreseos condemnationem, fideique Nicæne confirmationem spectant, ex sancto Gregorio *lib. 6. epist. 125.*
35. 3. Quod sanctus Cyrillus in Ephesino Oecumenico III. Concilio habuerit auctoritatem Legati à Cælestino Papâ constituti, expressè evincitur ex epistola Cælestini ad Cyrillum relata *tomo 1. Concil. edit. Colonienf. pag. 737. & ali-*

bi, testanturque Evagrius lib. 1. cap. 4. Photius in lib. de septem Synodis. Prosper in Chronico, Nicephorus lib. 14. cap. 34. Liberatus Abbas in Breviario. Justinianus in Edicto, & Nicolaus I. in Epist. ad Michaellem.

4. Ex Leonis ad Concilium Chalcedonen. *se epist. 47.* apertè constat, Legatos ipsius fuisse ad istam quartam Oecumenicam Synodum taliter directos, ut ipsemet Papa in ijs præficeret. Quam Romani Pontificis intentionem fuisse ratam habitam à Concilio, constat ex hujus ad Leonem *Act. 3. in quibusdam exemplaribus*, in alijs verò circa finem Concilij relata epistola; ubi habentur sequentia: *Quibus (Episcopis nimirum Concilij) tu sicut membris caput præter as in his, qui tuum tenebant ordinem.* Unde apertè falsum est, quod, uti Neoterici ajunt, illi legati Pontificij non egerint munus Iudicis, sed accusatoris. Nam oppositum evincitur tum ex eo, quod in omnibus actionibus primi nominentur, primi sedeant, primi subscribant, sententiamque definitivam nomine Papæ, & totius Concilij proferant in Dioscorum his verbis: *sanctissimus ac beatissimus Papa, Caput universalis Ecclesiæ Leo, per nos, Legatos suos, sancti Synodo consentiente, Petri Apostoli præditus dignitate, qui Ecclesiæ fundamentum, & petra fidei, & celestis regni lamina nuncupatur, Episcopali dignitate Dioscorum nudavit, & ab omni opere sacerdotali fecit extorrem.* Nec est, cor Neoterici officium Iudicis ac Directoris in præfacto Concilio referant ad viros Consulares ab Imperatore Martiano constitutos. Hi enim erant destinati duntaxat ad reprimentam violentiam, si quæ, ut Dioscorus in Concilio Ephesino II. moliebatur, esset inferenda; ipse enim in *Orat. ad Synodum* fallus erat, se non alio sine venisse, nisi ad confirmationem, seu defensionem fidei, non verò ad jurisdictionis Ecclesiæ usurpationem.

5. Circa Concilium Constantinopolitanum II. Oecumenicum IV. nimis planum est, Eutychium, Patriarcham Constantinopolitanum, agnovisse, quod præfidentia sit debita Romano Pontifici; sic enim in *Epist. ad Vigilium in fine 1. collat. 8. Synodi* relata scripsit: *Petimus, præfidente nobis vestra Beatitudine, de tribus capitulis quaeri & conserrri.* Unde Zonaras in *vita Iustiniani. Sub hoc, ait, quantum Concilium est coactum centum sexaginta quinque Episcoporum, quorum Princeps fuit Vigilus, Papa Romanus.*

6. In Concilio Constantinopolitano III. Oecumenico VI. Præfides fuisse Legatos Agathonis Romani Pontificis, Petrum & Georgium Presbyteros, ac Ioannem Diaconum, testatur Zonaras in *vita Constantini IV. patetque ex ipsâ Synodo*, ubi in omnibus actionibus isti primi omnium nominantur, loquuntur, ac subscribunt. Neque Imperatorem, licet primo loco sederit, egisse munus Iudicis, vel Præfidis, constat ex eo, quod ultimo loco subscripserit, nec adeo definierit, sed decretis ac subscriptionibus Episcoporum consenserit.

7. Concilium Nicænum II. non pseudo-oecumenicum (à Genio Calvinistico sic vocatum, quod damnarit eos, qui sacras Christi, & Sanctorum Imagines omni honore spoliabant)

bant) sed legitimum Præsides habuisse Adriani I. Legatos Petrum Archipresbyterum, & Petrum Abbatem sancti Sabæ, constat ex actis Concilij, in quibus isti primi nominantur & primi subscribunt.

40. Denique Synodus Constantinopolitana II. inter Oecumenicas octava, celebrata sub Adriano Papâ, præsidentes habuisse hujus Legatos Donatum & Stephanum Episcopos, & Marinum Diaconum, probatur ex eo, tum quod primi nominantur & subscribant, tum quod in primâ ejus actione rogati à Concilio, ut ostenderent litteras Papæ, præsidentiam eis concedentes, exhibuerint; tum denique quod ad finem Concilij primus ex illis ita subscripserit: *Ego Donatus, Dei gratiâ Episcopus Hostiensis, locum obtinens Domini mei Adriani universalis Papæ, huic sanctæ & universali Synodo præsidentis, omnia, quæ superius leguntur, promulgavi, & manu propriâ subscripsi.* Quandoquidem ergo tam aperte extet probatum Summi Pontificis in Concilijs Oecumenicis jus præsidentis, hoc verò præsidentiam jus importet superioritatem, profus dicendum videtur, quod *Papæ sit super Concilium.*

Exceptio.

41. Excipient fortassis Adversarij, præsidentiam in Concilio non tam arguere jus superioritatis erga totum Concilium, quam erga singulos reliquos in Synodum aggregatos Antistites: exemplo Comitiorum imperialium, quibus Cæsar quidem præsideret, ceu superior singulorum Statuum, ac Principum, nullatenus tamen obtinere superioritatem supra Comitiam, constare potest ex his, quæ Hermannus Hermes in suo publici Juris fasciculo cap. 40. à n. 79. adfert. Quinimò in Senatu Venetæ Republicæ Dux, seu Senatorum singulorum superior, obtinet quidem præminentiam, cum tamen totus Senatus super ipsum habeat jus superioritatis. Quidni ergo dicatur, ex Papæ in Concilijs Oecumenicis præsidentia, rectè concludi ejus super cunctos sigillatim spectatos Antistites superioritatem, hinc tamen minime evinci superioritatis jus erga totum Concilium, imò ne hujus quidem supra Papam superioritatis jus efficaciter excludi ex illo jure præsidentis.

Responsio.

42. Verùm quidquid sit de jure præsidentis in Comitijs Imperialibus competente Cæsari, vel de præsidentia Ducis Veneti in suâ Republicæ Senatu, oportet, Summi Pontificis in Concilijs Oecumenicis præsidentis jus expendere ex ipsissimo illo Divinitus constitutæ authoritatis fundamento, cujus intuitu ipsæ quoque Generales Synodi manifesta superioritatis testimonia Papæ detulerunt, quæ in unum fasciculum præcipuâ quâdam diligentia collegit Author Regalis Sacerdotij lib. 2. §. 5. Nam I. Nicenam Synodum à Sylvestro Summo Pontifice in altero Romæ coacto Concilio fuisse

confirmatam, anathemate in eos, qui aliter crederent, prolato, constat ex to. 1. Concilior. & epist. Synodali 4. Felicis Papæ III. ubi sic habetur, *Domino ad B. Petrum dicente: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & super eam sequentes trecenti, decem, & octo SS. Patres apud Nicæam congregati, confirmationem rerum, atque auctoritatem sacra Romanæ Ecclesiæ detulerunt.*

43. Secundò. In fine Concilij I. Constantinopolitani, sed Oecumenici II. ita habetur: *Damasus ad examinanda Synodi Constantinopolitanæ acta, pro Ecclesiæ Romanæ more, & auctoritate Romanæ Concilium indixerat, ad quod & Orientales vocati, Legatos cum purgatione miserunt. Id sequenti anno frequentissimum celebratum est, Concilium Constantinopolitanum confirmatum, & omnes hæreses condemnatæ.*

44. Tertiò. In Concilio Ephesino Oecumenico III. præter alia argumenta, notat indignissimum occurrit, quod Romanus Pontifex Caput sit Concilij, Patres autem in ea Generali Synodo congregati Ecclesiæ membra acclamarentur: dum Legatus Pontificius Patribus in hæc verba egerat gratias: *Quod sanctis suis vocibus, pijsq; præconijs sancta Ecclesiæ membra sancto suo Capiti se exhibuerim.*

45. Quartò. In Concilio Chalcedonensi quarto Oecumenicâ Synodo III. Leo Pontifex passim vocatur *Ecclesiæ Universalis Pontifex, Caput Universalis Ecclesiæ, Univerſe vineæ custos &c.*

46. Quintò. Ex secundo Constantinopolitano Concilio notatu dignum occurrit, quod Act. 4. habetur: *Nos Apostolicam Sedem sequimur, & obedimus, & ipsius communicatores habemus, & condemnatos ab ipsa, & nos condemnamus.*

47. Sextò. In tertiâ Constantinopolitanâ VI. Oecumenicâ Synodo habetur 18. Act. & Synodali Epist. quod primæ Sedis Antistes dicatur *Universalis Ecclesiæ, stans supra firmam fidei petram, qui proinde auctoritate suâ etiam Apostolicâ confirmavit istam Synodum; uti constat ex Epistola Leonis II. relatâ post Acta Concilij.*

48. Septimò. In Oecumenicâ Septimâ Synodo Constantinopoli celebratâ Act. 2. Legatis Apostolicis interrogantibus; num sacra Synodus recipiat sanctissimi Papæ Veteris Romæ litteras, sacrarum scilicet imaginum cultum sancientes? Respondit sacra Synodus: *Ita sequimur, recipimus, & probamus; manifesto sanè argumento subjectionis erga auctoritatem Apostolicam.*

49. Octavò. In octavâ Oecumenicâ Synodo itidem Constantinopoli celebratâ habetur præter alia Act. 4. 10. & ultimâ, nec non Canone 21. quod Concilio non liceat *audacter sententiam dicere contra Summos Senioris Romæ Pontifices.*

Nonò. In Concilio Lateranensi sub Alexandro III. prout refertur in Cap. *De elect.* extat sancitum: *In Romana Ecclesia debere aliquid speciale quoad electionem constitui, cum non possit recursus ad Seniores haberi.*

50. Decimò. In Concilio Lugdunensi sub Gregorio X. contra Græcorum errores celebrato ita habetur inter alia: *Ipsa quoque sancta Romana Ecclesia summum & plenum primatum, & principatum super Universam Ecclesiam Catholicam ob-*

timet: quem se ab ipso Domino in Beato Petro Apostolorum Principe, sive Vertice, cuius Romanus Pontifex est Successor, cum potestatis plenitudine recepisse, veraciter & humiliter recognoscit.

52. Undecimò. Concilium Florentinum in litteris Vnionis circa finem ita habet: Definimus, sanctam Apostolicam Sedem in universum terrarum orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum Successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesie Caput, & omnium Christianorum Patrem & Magistrum existere, & ipsi in Beato Petro pascendi, regendi, & gubernandi Vniversalem Ecclesiam à Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse.

53. Duodecimò. Ex Concilio Lateranensi celebrato sub Leone X. relatu dignissima, ac æternæ memoriæ commendanda sunt, quæ ceu universorum Conciliorum intento præsentis defervientia Summaria quæpiam Sess. 10. habentur sub hisce verbis exarata: Nec illud nos movere debet, quòd sanctio ipsa, & in ea contenta in Basileensi Concilio edita, & ipso Concilio instante, à Bituricensi congregatione recepta fuerunt, cum ea omnia post translationem ejusdem Basileensis Concilij per Eugenium IV. factam, à Basileensi conciliabulo (quod post talem translationem Concilium amplius appellari non merebatur) facta extiterint, ac propterea nullum robur habere potuerint: cum etiam solum Romanum Pontificem pro tempore existentem, tanquam auctoritatem super omnia Concilia habentem, Conciliorum inducendorum, transferendorum, ac dissolvendorum, plenum jus & potestatem habere, necdum ex sacre Scripturæ testimonio, diis SS. Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum, etiam Prædecessorum nostrorum, sacrorum Canonum decretis, sed propria etiam eorundem Conciliorum confessione manifestè constet: quorum aliqua referre placuit, reliqua verò, utpote notoria præterire. In Alexandrina enim Synodo, Athanasio ibidem existente, Felici Romano Pontifici ab eadem Synodo scriptum fuisse legimus, Nicenam Synodum statuisse, non debere absque Romani Pontificis auctoritate Concilia celebrari. Neque nos latet, etiam Leonem Pontificem Ephesinam II. Synodum ad Chalcedonem transfuisse. Marinum etiam Papam V. Præsidentibus suis in Concilio Senensi potestatem transferendi Concilium, nullâ consensus ipsius Concilij mentione habitâ, dedisse. Ephesinam quoque primam Synodum Calestino, ac Chalcedonensem eidem Leoni, sextam Agathonis, septimam Hadriano, octavam Nicolao, octavam etiam Constantinopolitanam Hadriano Romano Pontifici, Prædecessoribus nostris maximam reverenti exhibuisse, eorundemque Pontificum institutionibus, & mandatis in sacris codicillis per eos editis & factis reverenter, & humiliter obtemperasse. Unde Damasus Papa. & ceteri Episcopi Romæ congregati, scribentes de Concilio Ariminensi in Ilyrico constituto, præjudicium aliquod per numerum Episcoporum Arimini congregatorum fieri non posse testantur, quandoquidem constet, Romanum Pontificem, cuius ante omnia decebat spectari decretum, talibus non præbuisse consensum: eundemque Leonem Pontificem, universis Siciliæ Episcopis scribentem, idem voluisse, apparet. Consueveruntque Conciliorum Patres, pro eorum, quæ in suis Concilijs gesta fuerunt, corroboratione à Romano Pontifice subscriptionem, approbationemque humiliter petere, & obri-

tere, prout ex Nicenâ, & Ephesinâ ac Chalcedonenf hujusmodi, & sextâ Constantinopolitanâ, & septimâ eadem Nicenâ, & Romanâ sub Symmacho habitâ Synodis, eorundemque gestis, nec non in Aimari libro de Synodis manifestè colligitur, quod etiam maximè Patres Constantinenses fecisse, constat: quam laudabilem consuetudinem, si Bituricensis, & Basileensis secuti fuissent, hujusmodi molestiâ proculdubio careremus. Ex quibus proinde universis liquidò constat, Papæ in Concilijs Oecumenicis jus præsidendi, ac ultimâ definiendi non fundari super superioritate erga Antistes sigillatim duntaxat spectatos, sed niti auctoritate erga universam Ecclesiam, totumque Concilium, atque adeò importare litisam super Synodo, quantumvis Generali, superioritatem.

ARGUMENTUM II.

Peritum ex hoc, quòd Concilio nulla sit infallibilitatis auctoritas, nisi accedat eidem Papæ consensus & confirmatio.

AUthor Regalis Sacerdotij cit. lib. 2. S. 10. egregie argumentatur hunc in modum. Qui primas Concilio tribuunt, hoc ipso, & necessariò quidem inferre debent, ultimâ ac preemtoriam sententiam penes Concilium esse, quæ nec censuram, nec correctionem admittat, & consequenter ab omni errore sit libera: si enim errori & correctioni subiaceat, jam non erit ultima, sed superior em aliquam, tutamque regulam, & erroris immunem habebit, ad quâ exigatur: quemadmodum linea recta est regula, & iudex omnis obliqui, quia sola, & necessariò non exorbitat, & proximo tramite in centrum pergit.

Si ergo probatum fuerit, Concilium errasse, eadem operâ probatum erit, alteri subiectum esse, qui errores emendet, omni ipse errandi periculo liber, nisi velimus, in Ecclesia esse omnia incerta, & ludibrijs opinionum exposita. Age jam ergo, & ostendamus, nihil fixum ratumque in Concilij esse, quando Romanam Cynosuram præ oculis non habent.

Anno Domini CCCLIX. sub Liberio Pontifice erravit Synodus Ariminensis, cui & Legati Apostolici (quorum unus Vincentius fuit Capuanus Episcopus) & Episcopi supra 400. interfuerunt; quando specioso componendæ pacis obtentu, sic enim blandiebantur Ariani, expunctâ voce consubstantiali, Filium Patri similem dixerunt; tunc enim, teste Divo Hieronymo, dedita velut arce fidei & Religionis Catholicæ, Nicenæ Synodi damnatio est conclamata, totusque ingemiscens orbis se Arianum esse, miratus est. Negavit Libertus Papa Ariminensi formulæ & symbolo suffragium, & ideo in exilium deportatus est. Audi epistolam Damasi, & Synodi Romanæ apud Theodoretum lib. 2. cap. 22.

Numerum Episcoporum, qui erant Arimini congregati, præjudicij vim habere non debere, præsertim cum formula illa composita sit, neque Episcopo Romano, cuius sententia præ ceteris omnibus erat

exspectanda, neque Vincentio, neque alijs, ei consentientibus, cumque illi ipsi, qui in fraudem illi, à veritate deflexisse visi essent, post ad meliorem mentem demò traducti, planè testarentur, hanc formulam sibi magnopere displicere. Idem narrat Sozomenus lib. 4. cap. 18. Si dicas, non esse in hoc Concilio legitime progressum, nec liberarum Episcoporum voces fuisse, partim videlicet Arianorum fraudibus, partim metu, tædiòque expressas. Id equidem haud negamus, sed vel ex hoc ipso apparet, Concilium aut metu, aut ignorantia, aut odio, aut quolibet aliâ ratione, nec enim interest quali, corrumpti posse, à vero deflectere, & de legitimo illegitimum fieri, nisi approbatione & testimonio Romani Pontificis, sine quo affectibus & perturbationibus agi potest, nec à Spiritu sancto certo tutoque ducitur; & quod Ariminense metu, dolòque fecit; aliud ambitione, aliud cupiditate, aliud amore, aliud ignorantia faciet; verbo errare potest, nec interest, quo diverticulo, si viâ excedat. Quæ pro alijs etiam Concilij advertenda sunt.

66. Anno CCCLXXXI. erravit secunda Synodus Oecumenica Constantinopolitana 150. Patrum, quando contra præscriptum Nicæni Concilij, & jura Ecclesiæ Alexandrinæ, Patriarchæ Constantinopolitano primas à Romano Pontifici ce detulit, absente, nec audito Timotheo Alexandrino, quem canonem Romana Sedes nunquam ratum habuit, utpote & cum Nicæno Concilio pugnantem, (cujus decreta à Pontifice probata, sine hujus assensu solvi non poterant) & cum alterius injuriâ conjunctum, cui nolenti auferri sua non poterant. Vide SS. Leonem *epist. 51. ad Anatol. Gregorium M. l. 16. ind. 15. epist. 51. & Maymb. lib. 1. de schism. Græcorum.* Et quamvis hic error non fuerit in materia & puncto fidei, fuit tamen in materia justitiæ, graviq; reprehensione dignus, & à Summis Pontificibus emendatus, quod satis eorum ostendit supremam judicandi potestatem, cum in nullâ seu fidei, seu justitiæ causâ inferior superiori jus dicat.

57. Anno CCCCLI. erravit Synodus quarta Oecumenica, Chalcedone habita sub Leone 1. Pontifice M. & Marciano Imperatore, quando *Ad. 15. Can. 28.* Archiepiscopo Constantinopolitano Primatum in Oriente detulit, qui canon à Sedis Apostolicæ Legatis continuo expungi iustus, ut habetur *Adione 16. & in epist. D. Leonis 59. & epist. ad Anatol. 51. & B. Gregorij M. l. 6. ind. 15. ep. 51.* Vide P. Maymb. *l. 1. de schism. Græcorum.* In eadem Synodo Chalcedonenſi *sess. 6.* cum à Patribus formula & Symbolum fidei conceptum esset, quod propter omittas quasdam voces hæreticorum instinctu, non satis contra Eutychem sententiam Catholicam exprimere videbatur, simili ferè cum Ariminensi Concilio errore, Legati Pontificij nunquam passi sunt eam formulam actis Concilij inscribi, & quamvis importunè Patres exclamarent, aliam conscribi fecerunt, ut habetur *Act. 5. Tomo 2. Conciliorum.*

58. Anno DCXCII. Constantinopoli cele-

brata est Synodus Quinisexta sub Sergio Pontifice, & Iustiniano Juniore Augusto, cui, testis est Balsamon in *Nomocanone*, Legatos Apostolicos interfuisse, seque ipsam, in Actis Concilij, universalem appellat; ejuſque Canones, præsertim 82. Adrianus Papa in *Epist. ad Tharastium* valde commendat. Erravit tamen hæc Synodus, & graviter quidem quoad cælibatum Sacerdotum, & Sabbathi jejunium, ut patet *ex can. 13. & 55.* & propterea à Patribus *Erratica* nomen tulit, nec unquam Sergius, alijque Pontifices, ut eam reciperent, adduci potuerunt, teste Anastasio in *Sergio*, & Bedâ Venerab. *de 6. etatibus in Iustiniano Minore.*

69. Anno CDXLIX. sub Leone Pontifice Maximo, & Theodosio juniore erravit Synodus 2. Ephesina Episcoporum 128. cui & Legati Apostolici interfuerunt. In ea Eutyches absolutus, damnati verò sanctissimus Flavianus, alijque Catholici Episcopi; ut proinde optimo jure fuerit à majoribus latrocinialis & prædatoria appellata, ejuſque memoriam Leo Papa abolitam, damnatamque voluerit.

60. Anno MCDXXXI. erravit Concilium Basileense à Martino V. & Eugenio IV. indictum, & postea ab eodem Eugenio, & Leone X. in Concilio Lateranensi damnatum assensu Ludovici Regis Christianissimi, qui Basileensi Concilio renuntiavit, promisitque Regio diplomate per suos Oratores in publico Conventu recitata, le Lateranensi Concilio ad hæsurum.

61. En tibi, in quos errores Concilia incidèrint, ubi à Romani Pontificis directione flexerunt: quæ causa, ut sacris Canonibus sancitum sæpe fuerit, nullam esse Conciliorum auctoritatem, quæ à Romano Pontifice non fuerint confirmata, hæc enim confirmatio necessaria non esset, si Concilia falli non possent; cur enim ab alio tam necessariò ducantur; reganturque ipsa erroris tuta, & falli nescia? Quod necessariò calidum est, alio non eget, à quo calorem accipiat; ita quod necessariò certum, & verum est, aliâ confirmatione, pècquam certum fiat, opus non habet.

Exceptio:

62. Excipient fortassis Adversarij, priusquam ad dogmaticas Concilij sanctiones accedat Papæ consensus, se haud diffiteri, errori obnoxiam esse Synodum, quem tamen Papæ cum Concilio consentientis accessum decreti Synodalis approbatorium, non fieri in vi auctoritative supra Synodum Generalem superioritatis, sed in vi quasi contractus, quomodò Hermannus Hermes in *Juris publici fasciculo præcitato 40. capite à n. 80.* scribit: Jurisperitorum quorundam esse sententiam, quòd in Comitij Imperialibus quidquid agitur, & concluditur, contractus & transactionis instar esse inter Imperatorem ex unâ, & Status Imperij ex alterâ partibus, ita ut in tali contractu una pars transgens sit Imperator, & altera ipsi Imperij Ordines *conjunctim.* Unde infert is Author, qualis in contractibus duarum partium paciscentium, vel transigentium requiritur consensus, talem etiam in Comitij

L 1

mitijs

mitijs requiri, ideoque sicut in alijs contractibus alter alterum non obligat invitum, cum omnis contractus ab initio voluntatis sit, & mutuum Synnallagma ab utraque parte intervenire debeat. *Leg. Labeo. 14. ff. De V. S.* Sic in Coniunctis Imperij nec uni, nempe Cæsari, majorem, nec alteri, nempe Statibus collectam sumptis, minorem in decernendo competere auctoritatem, sed sicut invitum obligari, ita etiam obligare alterum invitum require. Quid ni ergo pari ratione discurre liceat de Concilio Oecumenico, ita ut in hoc sit una pars Summus Pontifex, altera verò pars sit reliquum Ecclesiæ hierarchicum Corpus ex Præsulibus Ecclesiasticis coalescens, maxime, cum Christus *cit. cap. 18. Matthæi* infallibilitatem Concilij Oecumenici visus sit ex hoc determinasse, quod, ubi Duo, nempe Papa & Concilium consenserint, adeoque quasi transigendo convenerint in unum fidei dogma definiendum, Pater Æternus sit eis quamcumque rem, adeoque veritatem in Synodo quaesitam, ex Christi Domini promisso infallibili imperiturus. An non igitur hi Duo, nempe Papa & Concilium, consentiendo in unum fidei dogma, sicque inter se de veritate dogmatis quasi transigendo, atque in hujus consensionis infallibilitatem à Christo promissam, & à Patre Æterno adimplendam certissime obtinendo, eatenus inter se comparari debent, quatenus neuter sit major, seu superior, quemadmodum de Imperij Statibus ac de Cæsare inter Comitibus in unum aliquod statutum consentientibus *superius* dicebatur?

Responsio.

63. **H**unc Papæ ad Concilium in definiendo fidei dogmate accessum auctoritativum non esse in vi quasi contractus, seu transactionis duntaxat, sequentis conclusionis probationibus demonstrabimus. Interea lubet audire, quæ præcitatus Author *Regalis Sacerdotij ubi supra post n. 8.* ad præsens institutum adfert. S. Julius Pontifex Maximus *epist. 1. to. 1. Concilior.* relatâ ita disserit: Ipsa verò primæ Sedis Ecclesiæ convocandarum Generalium Synodorum jura, & Episcoporum judicia, singulari privilegio Evangelicis & Apostolicis, atque Canonicis concessa sunt institutis, quia semper majores cause ad Sedem Apostolicam multis auctoritatibus referri præcepta sunt. Nec ullo modo potest major à minori judicari. Ipsa namque omnibus major, & prælata est Ecclesijs, quæ non solummodo Canonum, & sanctorum Patrum decretis, sed Domini Salvatoris nostri voce singularem obtinuit principatum: Tu es, inquit, Petrus &c. Porro dudum à sanctis Apostolis, successoribusque eorum, in privatis antiquis decretum fuerat statutis, quæ hæc tenet sancta & universalis tenet Ecclesia, non oportere, præter sententiam Romani Pontificis, Concilia celebrari, nec Episcopum damnari, quoniam sanctam Romanam Ecclesiam primatem omnium Ecclesiarum esse voluerunt: & sicut Beatus Petrus primus fuit omnium Apostolorum, ita & hæc Ecclesia ipsius nomine consecrata, Domino instituta, primæ & caput sit cæterarum, & ad eam quasi ad matrem atque apicem, omnes majores Ecclesiæ cause, & judicia Episcoporum recurrant, ejusque iussu sententiâ terminum sumant, nec extra Romanam quidquam ex his debere decerni Pontificem.

S. Nicolaus Papa I. *epist. ad Mediolanenses,* quæ habetur, in *Cap. Omnes. dist. 22.* Qui autem Romana Ecclesia privilegium ab ipso summo omnium Ecclesiarum Capite traditum auferre conatur, hic proculdubio in hæresim labitur; & cum ille vocetur injustus, hic est proculdubio vocandus hereticus. Fidem quippe violat, qui adversus illam agit, quæ est mater fidei: & illi contumax invenitur, qui eam cunctis Ecclesijs prætulisse cognoscitur. Vnde & ipse sanctus Ambrosius se in omnibus sequi magistræ sanctam Romanam proficitur Ecclesiam.

CONCLUSIO.

PRæadducta historiarum Ecclesiasticarum, & Conciliorum sacrorum fundamenta, cum fidei sacris Litteris traditæ principijs, quibus nituntur, collata, Theologicè demonstrant Papæ supra Concilium, quantumvis Generale, quæ abstractivè saltem acephalum auctoritativam superioritatem.

Explicatur & probatur. Si ipsam namque primævam Concilij Oecumenici aggregationem expendis, ex *Matthæi 18.* pernoctes, oportere, fieri in nomine Christi, nempe vicariâ hujus auctoritate Apostolicâ, præferente Christi nomen, non enim, nisi sub hoc nomine aggregatis promissit Christus, se fore in medio eorum *ex versu 20.* Ubi in Concilio sic aggregato perventum fuerit ad sententiam definitivam, oportet, hanc consistere ex consensu duorum, nempe Capitis, nomen Christi vicarium præferentis, & reliqui Ecclesiæ Corporis hierarchici, ut sic hisce duobus (quorum ambo Apostolorum, Caput equidem Petri, reliquum vero hierarchicum Corpus Apostolicum in unum aggregati Collegij sunt successores) in unum consentientibus, de re, quam petierint, dogmatis nempe definiendi veritate, ex Christi promisso, adeoque infallibiliter fiat eis à Patre, qui in cælis est. Ex *versu 19.* Cum quo illorum duorum consensu sacer contextus connectitur verba præcedentibus *versus 18.* de indefinitâ ligandi, & solvendi potestate, Apostolis, quæ Ecclesiam, de qua in præcedenti *versu 17.* fit sermo, repræsentantibus, sicque in Christi nomine aggregatis promissa, nec adeo hæc præminentia competere potest Concilio, quæ etiam abstractivè acephalo, sed quæ per vicarium Christi characterem formaliter Oecumenico. Quare in Concilio acephalicè spectato nihil est auctoritatis, nisi quam Episcopi ex orbe Christiano convocati pro Ecclesiæ Universalis Bono (ad quod jurisdictio Ecclesiastica ex intrinsecâ naturâ suâ transcendentem habet ordinem) in unum conterunt. Nequit autem jurisdictio Episcopalis, tum quæ derivata ex Papalis potestatis plenitudine, tum quoad sui morale exercitium omnimodum, non esse de illo quocumque ad regnum cælorum ordinabili, super quo Christus Petro, ejusque Successori contulit clavium potestatem cum indefinitâ ligandi & solvendi potestate. Consistat igitur, in Concilio acephalicè spectato, præter Episcopalem

palem characterem, & radicalem in hoc contentam jurisdictionem Ecclesiæ gubernativam, non nisi Papæ autoritate actuabilem, nihil moralitatis esse intelligibile, super quo Papa non habeat superioritatem à Christo sibi concessam, sed universæ præminentie Concilio per Christum promissæ respiciunt Synodum quæ junctam cum Capite Christi vicario, veluti ex sacrorum Conciliorum sententijs à n. 42. adductis mox demonstrabitur.

PROBATIO I.

In qua ad Theologicæ argumentationis formam reducantur præallegatæ Oecumenicarum Synodorum sententiæ.

64. **E**T enim prima Nicæna Synodus Oecumenica confirmationem dogmatum Concilij suffragio sancientium, proficitur, subjectam esse confirmationi atque authoritati sacræ Romanæ Ecclesiæ, non alio ex principio, quam quod B. Petro, ejusque adeo Successori dictum sit: *Tu es Petrus, & super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam.* Ex dictis n. 42. Ex quo fundamento constat in super, Aëta Synodi Constantinopolitane esse à Damaso Papa revocata ad Concilium Romæ indictum, ut post eorundem examinationem, suâ autoritate firmaret decreta ac sententijs hæ resum condemnatorias, sancitas in præfatâ Synodo Constantinopoli prius celebratâ, cujus Patres non attempto, quod Conciliariter aggregati eas tulissent sententijs, obedienter se submiserunt Romano Pontifici, suos Legatos cum purgatione ad hunc mittendo. Ex dictis n. 43. Et hinc quando Ephesini Concilij Patres se tanquam Ecclesiæ membra sancto suo Capiti Romano Pontifici devotos acclamârunt, oportet, hanc acclamationem intelligere de Ecclesiæ membris hierarchicis, quæ collectim sumptis, nempe in Concilio Oecumenico aggregatis, atque ut sic Capiti, Nestoriana hæresis condemnationem præsentanti, sese coadunantibus; uti patet ex actis ejusdem Concilij cap. 15. & nostrate n. 44. Quod clarioribus verbis professa est I V. Oecumenica Synodus Chalcedonensis, Papam Romanum vocitans Ecclesiæ Universalis Pontificem, nec non Caput Universalis Ecclesiæ. Ex n. 45. Ex quo adeo principio, in præadductis Christi ad Petrum *Matthæi 18.* prolatis verbis fundato, Concilium V. Oecumenicum, II. Constantinopolitanum profitebatur, quod sequeretur Apostolicam Sedem, cujus etiam essent communicatores, ei obediendo, & ab ipsa condemnatos condemnando. Ex n. 46. Cui principio inhærens sexta quoque Oecumenica Synodus, Constantinopolitana *tertia*, Romanum Pontificem appellavit Primæ Sedis Antistitem Universalis Ecclesiæ, stantem super fidei petram, cujus etiam authoritati Apostolicæ submisit decretorum suorum confirmationem. Ex n. 47.

65. Unde liquidum prorsus evadit, & clarè demonstratum, præsentiam Romani Pontificis unâ cum authoritate Concilij confirmatoriâ, fundari in ejus præminentia non erga

singulos dumtaxat Synodi Patres, sed erga Universam Ecclesiam, atque adeo erga Universale quoque Ecclesiæ Universalis repræsentans Concilium. Illa ipsa verò definitiva, & Conciliarium sanctionum confirmatoria autoritas, secundum præadductas Synodos Oecumenicas, fundatur in verbis Christi: *Tu es Petrus, & super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam.* At ex facti contextûs connexionem noscuntur verba etiam posteriora: *Tibi dabo claves Regni cælorum. Et quodcumque solveris &c.* æquè ac priora verba habere respectum ad Universalem Ecclesiam, illa verò clavium potestas, & indefinita ligandi & solvendi autoritas per intrinsecam naturæ suæ conditionem noscitur importare superioritatis præminentiam. Quia igitur clavium ejusmodi potestas, unâ cum Petræ, super quam edificanda esset Ecclesia, prærogativâ per Christi verba, secundum præallegatorum Conciliorum Oecumenicorum intelligentiam, noscitur protendi super Universam Ecclesiam, in Concilio Generali repræsentatam, imò juxta vocum à præactis Concilijs adhibitum claritatem, super Universale Concilium, Ecclesiæque sanctæ in Synodo Generali cum Capite coadunata membra, in aperto jam extat probata Papæ super Generali, quæ ex membris Ecclesiæ hierarchicis in unum aggregatis consistente Concilio, superioritas.

Atque hæc est ratio, cur septima Generalis Synodus tam promptè receperit Papæ super sacrarum imaginum cultu litteras Apostolicas. Ex n. 48. Cur etiam octavum Generale Concilium pronunciarit, sibi non licere contra Summum Pontificem sententiam dicere. Ex n. 49. Cur Concilium Lateranense sub Alexandro III. edixerit, à Papa non posse recursum haberi ad superiorem. Ex n. 50. Cur in Concilio Lugdunensi sub Gregorio X. plenus primatus & principatus super Universam Ecclesiam fuerit agnitus in Petri Successore Romano Pontifice. Ex n. 51. Cur Concilium Florentinum definierit, Romanum Pontificem in universum terrarum orbem tenere primatum, ac Pontificem Romanum Petri Successorem esse totius Ecclesiæ Caput. Ex n. 52. Cur denique Concilium Lateranense sub Leone X. à Rege Galliarum comprobatum ac receptum, rejecerit, & nullitatis damnârit aëta Synodi Basileensis superioritatem Concilij supra Papam adstruentis, adstruendo e contra per inductionem prærogativas Papæ supra Concilium in antiquioribus Oecumenicis Synodis agnitas & approbatas.

PROBATIO II.

In qua Papæ supra Concilium abstractivè acephalum præminentia vindicatur ex sanctionum dogmaticarum illius suffragio edictarum confirmatoriâ autoritate.

66. **E**xplicatur. Quantumvis enim Papa per suos Legatos, vel etiam per seipsum sit præsidens in Concilio Generali, in hoc tamen claritatis gratiâ discernere oportet, tum quæ Concilij quali *acephalicè* spectati, quæque Capitibus,

pitis, nempe Summi Pontificis, sunt munera, tum pro isto discrimine melius dignoscendo expedit, signum temporis antecedens Papæ consensum, suffragij à Concilio Univerſo lati approbatorum, distinguere à signo, in quo *actualiter* fit accessus Papæ, autoritate suâ ultimâ definitivâ confirmantis dogma per majora saltem Concilij suffragia sancitum. In signo igitur Papæ consensum, seu ultimâ definitionis accessum autoritativum antecedente, noscitur equidem Concilium legitime congregatum in Christi vicario nomine, cui tamen pro tunc deficit adhuc infallibilitas in definiendis fidei dogmatibus. Nam licet Christus promiserit, se in medio eorum fore, qui in nomine Christi, sub autoritate ad eum Christi vicariæ, uni Romano Pontifici competentis, caractere sunt congregati: hujus tamen assistentiæ, Christi infallibilitatem adferentis effectus, secundum sacrum Evangelij contextum, alligatur duorum, nempe Corporis hierarchici, & Capitis Ecclesiæ consensui. Quantumvis ergo Concilij Patres in ferendis suis suffragijs legitime procedant, quantumvis etiam suffragiorum majoritas in unum collata, jam præferat Concilij Oecumenici consensum, pro signo tamen antecedente Summi Pontificis consensum ultimâ definitivum, atque Conciliaris dogmaticæ sanctionis *authoritative* confirmatorium, nondum subsistit infallibilitas per Christi assistentiam tunc sortitura effectum, quando Duobus illis, Ecclesiæ scilicet Capite, & Corpore hierarchico per Concilium Oecumenicum representato, inter se consentientibus, quamcunque petierint dogmaticæ sanctionis veritatem, certissimè impertiturus est Pater cælestis. Quandoquidem igitur antecederet ad hoc signum Papalis ultimâ definitivæ, & *authoritative* confirmatorij consensûs, in decretis Concilij, quantumvis Generalis, necdum subsistat illa omnimodæ infallibilitatis prærogativa, sed absque accessu talis consensûs Pontificij Concilium subjaceat errabilitati; veluti demonstrant exempla in argumento *secundo* latius exposita: idcirco ex hoc etiam fundamento manifestè extat demonstrata Papæ super Concilium quasi *acephalicè* spectatum præminentia.

§. IV.

Corollarium.

69. EX dictis jam facile inferitur; quantum momenti sit in rationibus, quibus Theologi nonnulli nituntur Papæ supra Concilium superioritatem ostendere. Ejusmodi namque rationum vis & energia tota quanta est petenda ex earundem collatione cum fidei principijs, sub Conciliorum Oecumenicorum sanctionibus conformiter applicatis ad Theologicam aliquam ratiocinationem. *Prima* igitur ratio ejusmodi desumitur ex hoc, quòd, cum Christus Ecclesiam suam maximè dilexerit, sicque ipsi præcipuè voluerit, esse consultum, optimam utique gubernandi formam in ea instituerit, qualis censetur esse Monarchica.

Hæc autem subsistit ex uno supremo Principe, cui totum Regnum, oportet, esse subiectum. Quandoquidem igitur Ecclesiæ sanctæ Regnum conveniat, esse optimum, oportet, eatenus esse Monarchicum, ut ejus Princeps, Summus Pontifex nequaquam subjacere debeat Concilio, Ecclesiæ militantis Regnum in terra representanti, sed super hoc, oportet, illum habere superioritatis præminentiam.

Verùm alij e contra Theologi, dum regimen Monarchicum Aristocratico mixtum, censent puræ Monarchiæ præcellere, talem Ecclesiastici regiminis statum non inconvenienter probant ex eo, quòd Christus *Matthæi 18.* dicendo: *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, hujus indefeçibilitatem, atque adeò in decidendis fidei dogmatibus infallibilitatem non aliter sanxerit, nisi cum respectu ad Ecclesiam, cujus Concilium Oecumenicum est representativum. Unde in ordine ad dogmaticas ejusmodi sanctiones Christus etiam *Matthæi 18.* consummatæ infallibilitatis, saltem *secundum nos* (quatenus scilicet nobis ex sanctæ Ecclesiæ definitionibus hætenus innotuit) præminentiam non vel soli Petro, vel soli Generali licet Concilio, sed Duobus in unum consentientibus pollicitus est. Sub qua proinde & Capitis, extra Concilium etiam Regni cælorum claves obtinentis, & Concilij hierarchicum Ecclesiæ Universalis Corpus representantis conjunctione, videtur Christus consummatum Ecclesiæ regimen ad fidei dogmata sancienda procedere potens, constituisse sub mixtâ Monarchici, & Aristocratici regiminis norma: ita tamen, ut, si hierarchicum in Concilio Generali Aristocratice normam præferens Ecclesiæ Corpus spectetur quasi *acephalicè*, per Christi Domini institutionem *superius* probatam, omninò dici debeat Papa esse Concilio major ac superior.

Secunda ratio petitur à causa potestatis Ecclesiasticæ *Efficiente*, quæ est ipsemet Christus conferens claves Regni cælorum, non Concilio *acephalicè* spectato, sed vel plenæ, quæ Caput etiam complectenti, ac *formaliter* Oecumenicæ Synodo Universalis, vel etiam soli Petro cum perpetuæ successione ordine, dicens *Matthæi 16.* *Tibi dabo claves Regni cælorum: quod ex hoc etiam capite erat permaximè conveniens, imò necessarium, cum propter difficultates in aggregando Oecumenico Concilio, in mensum exererent controversiæ Ecclesiasticæ, si his ab uno Capite ac iudice supremo nullus imponi posset finis.*



DIS.

DISQUISITIO V.

Utrum ex appellatione à Concilio ad Papam, vel contra à Papa ad universalem Synodum validè demonstretur Summi Pontificis supra Concilium superioritas?

S. I.

HOc punctum cum Authoribus à se allegatis nervosè tractat Author tractatus de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ lib. 5. cap. 14. Adstruitur, inquit, etiã Papæ superioritas ijs omnibus argumentis, quæ probant, supremum esse Romani Pontificis Tribunal, nec ab illo licere appellare; Aliorum fortè hominum causas (inquit Ennodius Diaconus, cuius doctrinam recepit, & approbavit, tanquam sua Decreta, Concilium Romanum V. sub Symmacho Papà, quemquæ alià occasione jam supra citavimus) Deus voluit per homines terminari; Sedis istius Præsulem suo sinè questione reservavit arbitrio; voluit B. Petri Successores celo tantum debere innocentiam. Præmisserat autem, Concilio potestatem, quam aliàs non habuisset, ad iudicandum Papam, ab ipso Pontifice concessam: iudicia & iste voluit, amavit, attraxit, ingressus est: & quod posset fidelium corda doloris iusti aculeis excitare, venerando Concilio auctoritatem, etiã contra se, si mereretur, indulsit.

Concilium Lateranense sub Alexandro III. majorem vult adhiberi cautelam in eligendo Romano Pontifice, quia Episcoporum quidem reliquorum electio, vel electus Episcopus, emendandi poterunt, sed quoad Romanam Ecclesiam non poterit ad superiorem haberi recursus. Concilij Lateranensis sub Leone X. testimonium protulimus supra.

Cæterum si in propria causa Romani Pontificis audiri debent (fieret autem illis magna injuria, præsertim sanctitate, doctrinâ, & prudentiâ conspicuis, si non audirentur) plurimi sunt, qui hanc suæ Sedi auctoritatem vindicârunt. In collectione Luca Holstenij in Synodo Romana num. 8. Bonifacius Roto Thessalonicensi scribit. Talia scripta direximus, quibus universi fratres intelligant, primo convenire se citra conscientiam minime debuisse: deinde de nostro non esse iudicio retractandum. Nunquam etenim licuit de eo rursus, quod semel statutum est ab Apostolica Sede, tractari.

S. Gelasius in Epist. 3. jam citatâ, quæ est ad Episcopos Dardaniam; Cuncta, inquit, per mundum novit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententijs ligata Pontificum, Sedes B. Petri Apostoli jus habeat resolvendi, utpote quod de omni Ecclesia fas habeat iudicandi, neque cuiquam de ejus liceat iudicare iudicio: Si quidem ad illam de qualibet mundi parte Canones appellari voluerint, ab illa autem nemo sit appellari permissus. Deinde varijs exemplis confirmat auctoritatem Summi Pontificis supra Concilia; Sed nec illa, præterimus, quod Apostolica Sedes frequenter, ut dictum est, mere majorum etiã

sinè ullâ Synodo præcedente, & absolventi; quos Synodus iniquè damnaverat, & damnandi à nullâ existente Synodo, quos oportuit, habuerit facultatem: sanctæ memoriæ quippe Athanasium Synodus Orientalis addixerat, quem tamen exceptum Sedes Apostolica, quia damnationi Græcorum non consensit, absolvit; itè iniquè sanctæ memoriæ Flaviani Pontificum congregatione damnatum pari tenore, quoniam sola Sedes Apostolica non consensit, absolvit; potiusque, qui illuc receptus fuerat, Dioscorum, secundæ Sedis Præsulem, suâ auctoritate damnavit, & impiam Synodum non consentiendâ submovit, &c. Idem scribit Epist. 4. seu communitorio ad Faustum. Nobis opponunt Canones, dum nesciunt, quid loquantur, contra quos hoc ipso venire se produnt, quod Sanctæ Sedi sana, rectâque suadenti parere fugiunt. Ipsi sunt Canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad hujus Sedis examen voluere deferri; ab ipsa verò nunquam prorsus appellari sanxerunt, ac per hoc illam de tota Ecclesia iudicare, ipsam ad nullius commeari iudicium. Nec de ejus unquam præceperunt iudicio iudicare, sententiãque illius constituerunt, non oportere dissolvi, cuius potius sequenda decreta mandârunt.

Gelasium secutus & imitatus est Nicolaus I. epist. 8. etiã supra citatâ, quæ est ad Imperatorem Michaelen: Quoniam, inquit cum secundum Canones, uti est major auctoritas, iudicium inferiorum sit ad reverendum ad dissolvendum, scilicet, vel ad roborandum, patet profectò, Sedis Apostolicæ, cuius auctoritate major non est iudicium à nemine fore retractandum, neque cuiquam de ejus liceat iudicare iudicio, si quidem ad illam de qualibet mundi parte Canones appellari voluerint, ab illa autem nemo sit appellari permissus. Iuxta quod & Bonifacius, atque Gelasius sanctissimi Præsules, non suis ad inventionibus, sed Ecclesiæ Romanæ consuetudines non ignorantes, dicunt.

Non minùs perspicua est Patialis II. sententia Epistolâ ad Archiepiscopum Polonia, relatâ à Baronio è Codice Vaticano ad annum 1102. Ajunt, in Concilijs statutum non inveniri, quasi Romana Ecclesiæ legem Concilia illa præberint, cum omnia Concilia per Ecclesiæ Romanæ auctoritatem, & facta sint, & robur acceperint, & in eorum statutis Romana patenter auctoritas excipiat.

Denique nec ipsi Antesignani auctoritatis Conciliaris ausi sunt indiscriminatim asserere, à Summo Pontifice posse ad Concilium provocare in quolibet casu. Non est fas (inquit Ioannes Gersonius Tractatu, quomodo, & an liceat in causis fidei à Summo Pontifice appellare à Papa, vel ejus iudicium in causis fidei declinare) appellare à Papa, vel ejus iudicium in causis fidei declinare, non quidem pro omni, & in omni casu, sed quando facit id, quod in se est, & quando non apparet devius à fide, sed ambulat rectè ad veritatem Evangelij sinè personarum acceptione. (Ecce quibus in casibus secundum Gersonium à Summo Pontifice non licet appellare) Porro Dominus noster tollere poterit efficaciter suspensionem sinistram, quæ contra Sanctitatem suam fieri posset, si dicta sua factis compenset: hoc est, si sponte, nullo requirente, damnet illam doctrinam pestiferam, & crudellem contra Polonos cum similibus alijs, cum

tali celeritate, & rigore, qualem fidei materia vergens in scandalum, & perniciem Reipublicæ postulat, & requirit, procul abjectâ quâvis acceptatione personarum.

8. Materiam istam egregiè tractat Franciscus Victoria relectione 4. proposit. 20. ubi appellationes istas rejiciens, post alias solidas probationes addit; Præterea hoc probatur experientia, & exemplis, quæ in moralibus faciunt magnam probationem. Omnes enim appellationes hæcenus factæ ad Concilium, malè cesserunt, & tandè devenerunt in schisma aliquod, vel etiã hæresim. 3. Quia hoc esset magna occasio perturbationis in Ecclesia: quia si Papa timeret, ne facta ejus deberent rescindi in Concilio, nunquam vellet congregare Concilium, cum magnâ jacturâ profectò rerum Ecclesiasticarum; & congregare sine illo, vel non licet, vel esset valde difficile. Semper enim erunt aliqui, imò major pars, qui velint sequi partes Pontificis, & unus Princeps saveret Concilio, aliis Pontifici; & sic nihil pacificè, nec ad utilitatem Ecclesiæ fieri posset: imò essent multò majores perturbationes, ut experientia compertum est. Nec minùs acriter illas appellationes impugnat Nauclerus de Monarch. Eccles. lib. 3. cap. 10. Quintum denique, inquit, ac postremum de præcipuis privilegium illud est, de quo hic questio vertitur, quod supra tetigimus, contra quod ridicula sunt à quibusdam Schismaticorum partes sua partim malitiâ, partim imperitiâ sumentibus, objectiones, nonnullaque ad suam confirmandam rebellionem exempla producuntur, quæ à doctissimo nostræ ætatis Theologo viro sanctissima vita Valeo, eruditè resutata, & explosa studiosus Lector videre poterit. Tot sacris Ecclesiæ Decretis, Canonibusque veluti Divini sancti Spiritus oraculis ritè consideratis, justoque ratiocinio, Theologicæque sapientiæ trutinatis examine, quàm juste spiritualitatem anathematis gladium contra provocantes à Pontifici Monarchæ judicio ad futurum Concilium, à sanctissimis Sedis Apostolicæ Præsulibus evaginatum fuisse, credere debemus.

9. Testatur libertatum Ecclesiæ Gallicanæ defensor Dominus Petrus de Marca, ulum illum esse novum. Sic enim inchoat cap. 17. lib. 4. Superiore capite novam quandam rationem vidimus in Ecclesiam inveltam ab ijs, qui se Romanæ Curia censuris premi existimabant, scilicet appellationem à Papa: Decreto ad futurum Concilium. Novam dixi, quia nunquam in Ecclesia admissa fuit provocatio à Papa ad Concilium. Numero autem 4. originem notat his verbis; Primus omnium, qui appellatione ad Concilium usus est, prodit se apud Historicos Fridericus II. Imperator. Sed ut refert Matthæus Parisius in verbis à Marca relatis, Legatus Friderici appellavit à Concilio ipso generali, quod tunc scilicet anno 1245. Lugduni celebratum erat, ad aliud generalius. Appellavit pro eo ad Concilium proximo futurum generalius. Nec enim nunc omnes Prælati, vel Principum Procuratores apparent hinc im-

10. Itaque appellationum illarum origo, ut alibi videbimus, ad Gallos referenda erit, qui anno 1303. nomine Philippi, dicti Pulchri, Franciæ Regis appellarunt à Bonifacio VIII. ad futurum Concilium. Primo loco illam re-

fert, qui probationes libertatum Ecclesiæ Gallicanæ collegit, cap. 13. cujus titulus est de hujusmodi appellationibus. Verùm tunc allegabatur, aut fingebatur, Bonifacium non esse legitimum Pontificem, & perinde appellabatur ad futurum legitimum Pontificem, ut ad Concilium generale.

Nec nisi post schisma invenietur interposita appellatio absoluta à Summo Pontifice pro vero accepto, ad futurum Concilium. Itaque cum Concilium Papæ præponi capiat, aperta est via ad appellandum ab illo ad istud. Multum autem verendum est, ne illæ appellationes eo sine assumantur, ut obtegatur inobedientia prætextu Concilii, quod vel impossibile, vel difficillimè haberi posse, compertum est.

Cæterum antiquorum Scriptorum in Gallia, tum in alijs provincijs Christianis doctrina erat, à Papæ sententiâ non posse provocari: ita Hincmarus Episcopus Rhemenfis tom. 2. epist. 44. quæ est ad Episcopos Diacensis Rhemenfis n. 25. Ivo Carnotensis in Decreto par. 5. cap. 9. & 10. & epist. 233. & 236. Protho Presbyter Prumiensis de statu domus Dei lib. 3. S. Thomas Archiepiscopus Cantuariensis epist. 73. S. Antoninus, & alij etiam ex recentioribus sanctæ Sedi minùs æquis, ut Carolus Feareus lib. 9. de abusu cap. 3. num. 5.

Denique cum Summo Pontifici vineæ custodia à Salvatore commissa sit, ut confessa est Synodus Chalcedonenfis in relatione ad S. Leonem; id est, cum Petro totius Ecclesiæ cura commissa sit, ut scribit S. Gregorius lib. 4. E. pist. 32. cum idem officium ad singulos Petri successores transierit, & singulis eum S. Fulberto Episcopo Carnotensi epist. 22. dici possit; Dilectissime pater, cui totius Ecclesiæ cura commissa est: cum eis Gregis sit commissa custodia, ut docet S. Epiphanius de B. Petro Antiocheno cap. 4. Cum Summus Pontifex alijs quàm pluribus titulis à sanctis Patribus insigniatur, quibus significatur, unum Papam esse super Ecclesiam totius mundi, ut Episcopi Patrensis apud Liberatum Brev. cap. 22. verbis utar, quomodo illi præferendum esset Concilium generale, licet totam Ecclesiam sine Pontifice repræsentaret? Quomodo successor ejus, cui totius Ecclesiæ gubernacula tradita sunt, ut prædicat sanctus Maximus Episcopus Taurinensis homil. 3. in Natal. Beatissimorum Petri & Pauli, gubernandus ipse esset ab Ecclesiæ parte quantumvis præcipua? Sanior videtur sententia Joannis de Selva in Senatu Parisiensi Præsidis tract. de Benefic. par. 3. q. 8. num. 32. Papa, inquit, præfertur toti Concilio.

§. II.

Referuntur, ac expenduntur argumenta Adversariorum.

ARGUMENTUM

Oppositum à Tostato Abulensi Episcopo Defensor. par. 2. cap. 76.

Apparere, ait hic Author, ex fundamentis Evangelicis Matthæi 18. traditis, Christum reli,

reliquisse in Ecclesia unum tribunal supremum, quod de omni homine haberet judicare, & istud esse Concilium Generale, Universalem Ecclesiam sufficienter representans. Et istud tribunal esse impeccabile, nec ullatenus errare posse in his, quæ sunt de necessitate salutis. Et ob hoc pertinere ad ipsum, judicare & determinare ultimâ de omnibus dubijs, tam in fide, quàm in actionibus moralibus, & post ejus determinationem non licere alicui fidelium resistere, quia manifestè Divino judicio resisteret. Ad hoc intentum faciunt exempla quàm plurima collecta ab Authore libri *De Ecclesiæ Gallicanæ immunitatibus cap. 13.* Nempe ad futurum Concilium adversus Bonifacium VIII. appellavit Philippus Pulcher anno 1337. Cui appellationi accesserunt Prælati Galliarum, unâ cum Universitate Parisiensis. *Ex dicto cap. 13. n. 2. & 3.* Regius item Procurator Caroli VII. contra Pium II. ad futurum Concilium appellavit anno 1460. *ibi n. 10.* Pariter appellavit Ludovicus XI. contra Sixtum IV. anno 1478. Item Universitas Parisiensis adversus Innocentium VIII. anno 1491. Et postea contra Leonem X. anno 1517. *ibi n. 15. & 18.*

In præcitato libro de Gallicanæ Ecclesiæ immunitatibus ex varijs Authoribus inducuntur à Papa ad futurum Concilium appellasse, tum Legatus Friderici II. contra Innocentium IV. anno 1246. Tum Ecclesia Anglicana adversus eundem Pontificem anno 1246. Tum Clerus & Nobilitas ejusdem Regni adversus Urbanum IV. anno 1264. Tum Ludovicus Imperator ex Domo Bavarica adversus Joannem XII. anno 1323. Tum Generalis Ordinis Minorum contra eundem anno 1331. Tum Respublica Veneta contra Iulium II. anno 1509. Tum Respublica Florentina adversus eundem Iulium anno 1526. Tum Carolus V. contra Clementem VII. anno 1526. Tum Cardinalis Columnensis cum sua familia adversus eundem Clementem anno 1527.

Responsio.

Author *Regalis Sacerdos* cit. lib. 2. §. 8. n. 4. respondet. Hujusmodi appellationes fuisse ad Concilium factas non tanquam ad majus tribunal, & iudicem Papæ, à quo videlicet Papales sententiæ rescindi possent, sed ad melius pleniùque informandum ipsum Papam: posse namque quæstiones in materia fidei, aut morum adeò graves, tantæque deliberationis nati, ut Concilium Universale omnium Nationum sit necessarium, sine quo nempe Papa non censeatur sufficienter informari posse, ac instrui, ut procedere queat ad definitivam sententiam. Atque pro calu ejusmodi sanctos Patres, quando Concilium Universale dicunt necessarium, esse intelligendos; speciatim S. Augustinum lib. 4. contra duas epist. Pelagianorum cap. 12. & lib. 1. de Baptismo contra Donatistas cap. 7. & cap. 18. item lib. 2. cap. 4. ad stipulante etiam formâ Philippi Francorum, & Parisiensis Universitatis, alioquinve ad futurum Concilium appellantium sub hoc tenore: *Sanctissimo Domino nostro minus debetè consulto ad seipsum melius consulendum, & ad S. Sedem*

Apostolicam melius consulendam, nec non ad sacrosanctam Synodum celebrandam, illumque, vel illos, ad quem, sive ad quos de jure provocare, vel appellare licet &c. Unde patet, appellationem hujusmodi non interpositam fuisse ad Concilium, seu Papæ oppositum, sed ad Concilium auctoritate Papali fultum, & ad Papam in Concilio melius informandum.

Exceptio.

EXcipi potest ex parte adversa. In Sessione ultima Concilij Constantiensis fuisse Papæ Martino V. supplicatum: *Vt hæreticos, ac errores, seu hereses per sacram Synodum damnatos pariter damnaret, atque damnatos publicè pronuntiaret, antequàm Concilium dissolveretur, & alioqui protestari de gravamine, de appellando ad futurum Concilium. Quibus sic factis, Papam dixisse ad prædicta respondendo, quod omnia & singula determinata, conclusa, & decreta in materijs fidei per præsens Concilium Conciliariter teneret, & inviolabiliter observare volebat, & nunquam contraire quoquo modo: i, sique sic Conciliariter facta approbat, & ratificabat, & non aliter, nec alio modo.* Hæc igitur ad futurum Concilium provocatio & appellatio adversus Papam, ubi suam approbationem decretis Conciliariter factis nolisset impetire, quid continuisset vel rationis, vel utilitatis, si in Concilio futuro non fuisset vis & auctoritas compellendi Papam ad talem confirmationem?

Responsio.

Sciscitari lubeat è contrario, si Concilio fuisset auctoritas compellendi Papam, ut suam pro confirmandis decretis illis adijceret auctoritatem, cur non ipsamet Synodus Constantiensis fuerit usa tali erga Papam auctoritate? Ad quid ergo conducere poterat ea ad futurum Concilium provocatio & appellatio, si ipsi Generali Constantiensi Synodo, utpote quæ non minoris cum futuro Concilio auctoritatis fuerat, non erat vis, ad Papam pro dicta approbatione compellendum? Ipsissima hæc ratio sanè evincit, alioquin subesse appellationis hujusmodi rationem, ex qua nullatenus probari valeat Concilij supra Papam superioritas. Nempe appellatio ejusmodi improprie dicta in eo se tenebat, quod nempe ipsum Concilium profiteri debuerit, in se *acephalicè* sumpto, absque Capituli interventu non esse consummatam auctoritatem pro fidei decretis, à se Conciliariter licet factis, sub omnimoda infallibilitate firmandis, sed ad hanc obtinendam indigeret adhuc Papæ confirmatione & approbatione autoritativâ; conformiter Christi ordinationi, secundum quam *Matthæi 18.* consummata in fidei sanctionibus, Conciliariter licet factis, infallibilitas promittitur ex consensu Duorum, Capituli scilicet ac una hierarchici Ecclesiæ Corporis ex Prælatibus Ecclesiasticis consistentis. Quare illa ad Concilium futurum appellatio non habebat rationem *strictè ac proprie* dictæ appellationis, cujus natura est, esse provocacionem

tionem ab inferiore ad superiorem, sed erat provocatio à Papa tanquam Ecclesiæ Capite per suæ Oecumenicæ autoritatis accessum consummare omnimodam fidei decretorum à Christo promissam infallibilitatem potente ad Synodum non quâ *acephalicam*, sed quâ *complete ac formaliter* Oecumenicam, ut sic Papam ipsum, ceu Concilij Caput taliter importan-tem, ut Papa respectu Concilij quâ *acephali* esset major ac superior, attamen Concilium, quâ plenè Oecumenicum, præmineret Papæ solitariè accepto quoad consummatæ saltem *quoad nos* infallibilitatis prærogativam, absque ulla tamen erga Papam superioritate, utpote quod totam hanc præminentiam, unâ cum *indefinitè* solvendi & ligandi potestate authoritati Papali compare non aliter obtineret, nisi qua *complete* Oecumenicum, ut sic involvens ipsum etiam Pontificem, quâ Ecclesiæ Caput; veluti hæc patent tum *ex antecedentibus*, tum elucescent *ex proximè subsequentibus*.

CONCLUSIO.

19. **Q**uamvis ad Concilium *formaliter & complete* Oecumenicum, ipsummet adeo Papam includens, in rebus præcipuè fidei spectet ultimum iudicium ex Papæ simul & Synodi consensu consummandum. hinc tamen minimè infertur, à Papa posse *strictè ac propriè loquendo*, appellari ad Concilium Oecumenicum.

Explicatur & probatur. Ponamus, in Veteri Testamento super causâ aliquâ ex portis, seu tribunalibus Regijs ad Sacerdotium, magnūque Concilium, cui præsidebat Summus Pontifex, delatâ, fuisse ab hoc ex ipsismet Divinis judicialibus legibus pronunciatam iudicij veritatem: at tamen Regem ejus temporis non acquievisse, sed interpellasse Pontificem, ut ingressus Sanctuarium, Dominum consulere super ejusdem iudicij veritate, vel *ex Thumim & Vrim* super tali iudicio majorem adhuc Divini Oraculi requireret certitudinem: num dicere fas est, talem à Rege factam Summi Pontificis interpellationem habuisse rationem *strictè* appellationis? In tali causa ab ipsomet Sacerdote Maximo, unâ & Magno Concilio fiebat recursus ad eundem Summum Pontificem, quatenus ipsi soli erat Divinitus concessum, ut semel in anno ingressus Sanctuarium, posset consulere Dominum, vel *ex Thumim & Vrim* reportare Divinum Oraculum. Qui proinde ad Summum Pontificem recursus non erat de uno Iudice inferiori ad alium superiorem Iudicem, sed ad eundem, quâ diversis à Deo dotatum prærogativis, nec adeo *strictè loquendo*, poterat dici appellatio.

20. Pari proportionaliter ratione contingere potest, imò de facto contigit circa hæresin à Luthero excitatam, cujus falsâ dogmata primitus erant Romæ damnata à Leone X. Pontifice Maximo, at cum ista condemnatio haud proficeret, sed hæresis latius diffunderetur, à Regibus & Principibus facta est instantia, ut

Papa congregaret Concilium Oecumenicum. Cur hoc? Non eâ quidem ratione, ut Concilium sine Papa, ceu Capite definiret, & ultimam proferret sententiam, sed quia Summus Pontifex, per cujus autoritatem unice stat Concilium *formaliter & complete* Oecumenicum, est quidem Petra, cui superstruitur ædificium Ecclesiæ, habetque sibi à Christo collatas claves Regni cælorum cum *indefinitè* ligandi & solvendi in terris potestate: in vicus potest *authoritative* super fidei dogmatibus pronunciare Iudicij veritatem. At tamen præter istam prærogativam est ipsi Divinitus concessum privilegium, ut in nomine Christi, adeoque hujus vicarij sibi propriâ autoritate, possit cogere Concilium Oecumenicum, in eoque munus Præsidis ac Iudicis exercere, ita tamen, ut ultimata, omnimodam & consummatam in sanctionibus fidei infallibilitatè obtentura sententia iudicaria, neque ex solius Concilij suffragiorum majoritate, vel etiam uniformitate, neque ex solius Papæ arbitrio, sed ex utriusque consensu subsistere debeat. Quod adeo Concilij Oecumenici Sanctuarium ingrediendi, indeque prorsus infallibile, & consummatum super fidei quæstionibus iudicium reportandi, privilegium singulare est Summi Pontificis præminentia Divinitus constituta, non ab similibus illi prærogativæ, quam Veteris Testamenti Pontifex habebat in Divino oraculo *ex Vrim & Thumim* reportando: ille ipse namque Summi Pontificis ad Concilij suffragia accessus & consensus est instar *Vrim & Thumim*, obtinens ex Christi Domini promisso consummatæ infallibilitatis omnimodam iudicij certitudinem ac veritatem. Quando igitur à Summo Pontifice, ex sua licet Apostolicæ autoritatis Cathedrâ, extra Concilium tamen pronuntiant, ad Concilium Oecumenicum, quâ ipsummet Papam includens, atque adeo ad Papam ipsum, quâ consentiendo Concilij suffragio, ultimum omnimodæ & consummatæ ex Christi promisso infallibilitatis certitudine nixum iudicium proferentem fit appellatio, nequit talis à Pontifice extra Concilium pronuntiant, ad Papam in & cum Concilio ex consensu utrinque præstito, ultimâ definitentem recursus, *propriè loquendo* dici appellatio, eum sit ab uno ad eundem, sub diverso tamen statu constitutum, & secundum diversas à Christo constitutas prærogativas consideratum Iudicem.

PROBATIO I.

In qua refutatur Abulensis argumentum cum exemplis *ibidem* productis.

Libenter equidem damus, Concilium Generale, quâ *formaliter & complete* Oecumenicum, ipsummet adeo Papam includens, esse ultimum in Ecclesia tribunal circa fidei, aut morum sanctiones dogmaticas pronunciare potens. At in hoc sacro tribunali plerumque incipit iudicium à quæstionibus *Facti*, quâ conferendis cum quæstionibus *Iuris*, fidem, aut mores concernentibus. Id etiam, quæ *Facti* est,

est, ejus quandoque conditionis est, ut importet statum causæ quoad personas, vel ipsam etiam substantiam suam spectatæ, duntaxat particularem, quandoque verò habet respectum ad Universalis Ecclesiæ statum publicum. Sub priori equidem causæ quâ particularis statu nefas prorsus foret, à sententiâ Summi Pontificis *juridicè* latâ provocare ad Concilium, quamvis illi, qui se læsum probare potest, facultas superfit, à Papæ judicio recurrere ad Papam melius informandum, qui tamen recurrere nequit habere rationem appellationis eo ipso, quòd de uno minùs bene, uti præteditur, informato iudice fiat recursus ad eundem melius informandum.

22. Quòd si *Facti* quæstio concerneret totius Ecclesiæ Bonum publicum, tunc equidem videri potest, à Papa minùs bene informato circa causam concernentem publicum Ecclesiæ statum, licere provocare ad Concilium *formaliter & completè* Oecumenicum, ceu ultimum Ecclesiæ sanctæ tribunal, eo ipso tamen, quòd hujus sancti tribunalis quasi anima & forma sit Papæ auctoritas Oecumenica, neque illius iudicium definitivum, seu sententiâ ultimâ decisoria subsistat, nisi ex Papæ cum Concilij suffragiis majoribus consensu autoritativo, Conciliarisquæ adeò decreti autoritativo accessu, nequit talis à Papa extra Concilium statuentem, ad *completè* Oecumenicum, ipsummet Papam ut sic *formaliter* includens Concilium, provocatio subire rationem *strictæ*, ac *proprie* dictæ appellationis.

PROBATIO II.

In qua discutitur vis oppositæ exceptionis, & super hac repositæ responsionis.

23. IN quæstionibus fidei, ubi Papa ex suâ Apostolicæ auctoritatis cathedrâ protulit sententiâ hæresis alicujus condemnatoriam, sed hæc non attentâ, in alium hoc publicam perturbans Religionem serpit latius, non in Summo duntaxat Pontifice est obligatio recurrendi ad ultimum Ecclesiæ sanctæ tribunal, & Concilium Oecumenicum, pro adhibendo remedio adversus sanctæ Ecclesiæ pacis perturbatores: sed insuper in ejusdem sanctæ Ecclesiæ Præfulibus, uti etiam in Christianis Principibus, præsertim Regibus ad Ecclesiæ universale Bonum procurandum, vel ex Christiano charactere, vel ex juramento, vel etiam ex muneris & characteris Episcopalis *intrinsicâ* ratione stat jus & obligatio urgendi Papam ad celebrandum Concilium Oecumenicum. Quæ proinde erga Papam pro Synodo Oecumenicâ instantia, licet in vi præinsinuati iuris fiat, sicquæ interponi fortassis contingat quædam à Papa extra Concilium decernente provocatio ad Concilium Oecumenicum, quâ ipsismet etiam Papam *formaliter* includens, attamen *ex antecedenter* dictis constat, nullatenus subire posse *strictæ* appellationis rationem.

24. Pari adeò modo ad finem Concilij Constantiensis fuit interposita appellatio à Papa ad futurum Concilium, casu, quo Pontifex

Maximus nolisset decreta fidei *Conciliariter* conclusa suâ auctoritatis accessu, & consensu approbare, & autoritativè confirmare. Ubi namque decreta fuerant *Conciliariter* conclusa, ad sui firmitatem & consummationem fidei infallibilitatem, ex Christi præscripto, iraindigeant Papæ consensu autoritativo, ut ad hunc à Papa exigendum jus esset tum Concilio *acephalicè* adhuc spectato, tum singulis Præfulibus, vel etiam fidelibus universis. Quòd si proinde Papa hunc decretorum Conciliarium autoritativum consensum suum non tantum denegasset, sed, si quæ à fidei veritate fuissent discordantia, *positive* reprobasset, tunc decreta ejusmodi prorsus nulla & inania extitissent. Ubi verò Pontifex suum consensum sanctionum Synodalium autoritativum suspendisset, tunc harum firmitas tamdiu mansisset in suspenso, quamdiu non esset eidem accessura Summi Pontificis approbatio & confirmatio. Quare tum Concilio, quamdiu hæc non accederet, *acephalicè*, tum Præfulibus Ecclesiæ jus erat semper integrum, apud Papam instandi pro tali consensu: & dum iterum iterumque suspenderetur, causam pertrahendi ad futurum Concilium, ut in eocaperetur experimentum, vel de conjungendo utriusque Concilij & Papæ consensu, vel de hujus *positivâ*, sicquæ decretorum annullativâ reprobatione. Iuxta quem adeò modum illa sub Constantiensis Concilij finem interposita hypothetica, à Papæ gravamine, dum scilicet nollet suum autoritativum consensum decretis *Conciliariter* factis adjungere, ad futurum Concilium appellatio nihil aliud importabat, quam instantiam recursus ad futurum Concilium, ad efflagitandum mutuam & Concilij & Papæ super Conciliaribus decretis consensionem, ut omnimodæ hinc infallibilitatis certitudo & firmitas consummata accederet Synodalibus sanctionibus. Ex cujus adeò appellationis modo & conditione per se liquidum & manifestum est, nullam inde probari Concilij, præsertim *acephalicè*, super Papæ superioritatem.

§. III.

Nostratis sententiæ argumenta referuntur ac expenduntur,

ARGUMENTUM I.

In quo per sacrorum Canonum, ac Theologorum auctoritates ostenditur, ita esse Papæ auctoritatem judicandi de omnibus, ut nulli, nec adeò Concilio *acephalicè*, liceat judicare de ejus judicio.

A Uthor *Regalis Sacerdotij cit. lib. 2. §. 7. n. 1.* ad hoc probandum, inducit sacros Canones ex Gelasij rescripto in *Cap. Cuncta. 9. q. 3. & Cap. Ipsi. 9. q. 3.* Item ex S. Bonifacij Martyris litteris *Cap. Si Papa. dist. 40.* Nec non ex Concilij Sinuessani ad Marcellinum Pontificem responso, per quod idololatriæ à Summo Pontifice patratæ, & ad illius Concilij iudicium delatæ

M m

delatæ

delatæ punitio non arrogabatur à Synodo, sed ad ipsius Pontificis arbitrium referebatur.

26. Adjungit idem Author Theologorum in hanc rem sententias, inter quos facile princeps S. Thomas *lib. de Pot. q. 10. art. 4. ad 13.* ita differit: *Ex Gestis Chalcedonensis Concilij habetur primò, quòd sententia Synodi à Papa confirmatur: secundo, quòd à Synodo appellatur ad Papam: tertio, quòd à Papa ad Synodum non appellatur, ut habetur ex gestis Concilij Ephesini.* Similia fusiori quodam stylo tradunt B. Augustinus *Triumphus de potestate Ecclesiastica q. 6. art. 1. B. Antoninus in Sum. tit. 23. cap. 3. §. 3.* item *Duvalius Doctor, & Theologus Sorbonicus lib. 4. q. post.* Nec non S. Bernardus *epist. 213.* quorum verba videre licet apud præcitatum Authorem *Regalis Sacerdotij.* Quandoquidem igitur Papæ judicium ejus sit autoritatis, ut ab eo nefas sit, appellare ad Concilium præcipue *acephalum*, consequens est, huic nullam esse super Papæ superioritatem, sed è contrario cum à Synodo appelletur ad Papam, huic esse super Concilio superioritatem.

Exceptio.

27. **EX**Cipi potest ex parte adversà. Si proculs etiam præsentis statu Summus Pontifex super ipsissimâ hæc Papæ supra Concilium *acephalum* superioritate ferret sententiâ decisoriam, Clerus verò Gallicanus se gravatum prætendens, appellaret ad futurum Concilium, numquid illa Papæ sententia subijcienda foret judicio Generalis Synodi eapropter congregandæ, ad ultimum judicium super illâ Papæ sententiâ ferendum? At numquid ex hoc aliqua Concilij super Papam, ejusve judicium superioritas videretur evincenda?

Responsio.

28. **C**Asu, quo appellatio fieret ad Concilium *acephalum*, non esset in hoc reperibilis ulla præminencia, nisi quæ subsisteret ex jurisdictionum Episcopali ad universale etiam Ecclesiæ Bonum ex natura sua *intrinsicè* coordinatarum in unum collatione. At verò sicuti Papa super singulis Episcopali jurisdictionibus habet autoritatē superioritatis, sic quia hæc in unum collectis, quamdiu eisdem non accedit Oecumenica Papæ autoritas, nulla ex Dei verbo noscitur supervenire altior quædam prærogativa Divino jure sancita, superexcedens Papæ autoritatem Oecumenicam, ideo appellatio à sententia Papæ ad tale Concilium *acephalum* esset à superiore ad inferiorem, nullius adeò valoris, quinimò sacræ Pontificiæ Majestatis aperta temeratio.
29. Nec juvaret, etiam si supponeretur, quod tamen verum non est, illas Episcopales jurisdictiones in unam Synodum Generalem *acephalam* collatas, esse immediatè à Christo in singulis etiam Episcopis, esseque adeò Juris Divini, super quas nulla proinde Summo Pontifici competere possit autoritas.
30. Hoc, inquam, posito, sed minimè dato, dicendum adhuc foret, saltem *moralement* juril-

ditionum ejusmodi Episcopali usum contineri adhuc sub illo quocunque ad regnum caelorum in terris ordinabili *moralis*, super quo Christus Petro, ejusque Successori contulit superioritatis præminenciam, nec adeò talium jurisdictionum in unum etiam Concilium *acephalum* collatarum usus *moralis*, atque adeò quocunque ex tali Concilio promanans judicium prævalere posset Papæ judicio, sed hujus tanquam Superioris sententiæ deberet prorsus subjacere. Quare ex hoc etiam capite Concilij *acephali* super Papæ sententiam præsentium judicium, in vi supereminencis Pontificiæ autoritatis esset nullum & invalidum. Si equidem pro casu præsupposito, Clerus Gallicanus à Summi Pontificis sententiâ provocaret ad Generale completè, ac formaliter Oecumenicum Concilium, tunc equidem Papa, cui est commissâ universalis cura, ex vi sui officij obstringeretur ad procurandum consummatum ex Concilij quâ *formaliter* Oecumenici definitivâ sententiâ causæ ultimâ determinativum judicium, quia tamen hæc consummata & ultimati judicij ratio, secundum Christi præscriptum, non subsisteret, nisi ex Papæ consensu Conciliaris sententiæ autoritativo, ideo in tali casu non esset dicendus fieri recursus ab inferiore iudice ad superiorem, sed à Papa extra Concilium statuente ad eundem Papam, quâ in Concilio Oecumenico vi sui autoritativi consensûs autorizare potentem Conciliare judicium; veluti patet ex *antecedentibus*.

ARGUMENTUM II.

Quo ostenditur ex antiquo Ecclesiæ usu & præxi, non à Papa ad Concilium, sed à Concilio ad Papam fuisse interpositas appellationes.

Author *Regalis Sacerdotij cit. lib. 2. §. 8.* probat, à Concilio Universali ad Papam appellari tum ex *Cap. Ipsi sunt. & Cap. Patet. 9. q. 3. & Gelasij 1. epist. 13.* Nec non Synodi Sardicenis, ejusque Oecumenicæ sub Iulio Pontifice, & Imperatoribus Constante, atque Constantino, anno 346. in causa Athanasij celebratæ *Can. 3. & 4.* aliâs 7. Tum ex Synodi Nicænæ *Can. 18.* sancientis: *Vt omnes Episcopi, qui in quibusdam gravioribus causis criminantur, liberè Apostolicam Sedem appellent &c.* Tum ex B. Leonis *epistola 87. ad Episcopos Galliarum*, nec non ejusdem *epistola 23. ad Theodosium Augustum*, ubi hic Pontifex Flavianum Patriarcham Constantinopolitanum à Concilio Ephesino II. Genetali appellentem ad Sedem Apostolicam recipit &c. Tum ex sententijs Patrum ac Summorum Pontificum. S. Antonini *3. par. tit. 22. cap. 6. §. 20.* Sixti Papæ *Canone Si quis. 2. q. 6. Matcelli Papæ relati in Cap. Ad Romanam. 2. q. 6. Zephyrini Papæ Canone Ad Romanam. ibi. 6. Iulij Papæ epist. ad Eleutherium relata Cap. Qui se sit. ibi. & Nicolai Papæ relati in Cap. Arguta. ibidem.* Nec non S. Bernardi *lib. de consid. cap. 2.*

Ex.

Exceptio.

32. **E**Xcipi potest ex parte adversâ. Hunc ad Papam appellandi morem, vel Papæ erga Ecclesias procedendi modum authoritativum, non fuisse semper probatum Antiquitati. Sic enim cum Victor Papa Ecclesias Asiaticas, ob decimam quartam lunam, & non diem Dominicam Paschatis celebrationi destinatum, à Communione excludendas duceret, eidem obstitisse Episcopos Gallicanos: sic Concilium Carthaginense anno 419. cum Romanus Pontifex per suos Legatos prætenderet transmarinas ad Sedem Apostolicam appellationes, producto Sardicensi Canone, Concilij Nicæni nomen præferente, obstitisse hujus prætensionem, rejecto etiam illo, quâ Synodo Nicæne appropriato Canone, atque ad Pontificem in hæc rescriptisse verba: *Itaque ne velitis permittere, ut fumosum mundi fastum (prætendendo appellationis ultimum tribunal) in Christi Ecclesiam inducere videamini.*

Responsio.

33. **D**istinguerè in primis, oportet, circa hoc, quod Pontifex Romanus aliquando redargueretur vel de errore *Facti*, vel de imprudentia ac indiscretionem, & inter istud, quod Antiquitas, attamen Orthodoxa, falsò prætendatur aliquando redarguisse Papam de prætensio jure appellationis ab alijs Ecclesijs, vel etiam Concilij Generalibus, sed quâ *acephalâ*, ad suam Apostolicam Sedem interponenda. Constat namque ex Eusebio *cap. 25. & 26.* neque Irenæum, neque alios Episcopos Gallicanos arguisse Victorem de usurpatione jurisdictionis sibi non competentis. Quinimò Irenæus illam Victoris sententiam, ceu indiscretam, & commodis Ecclesiæ minus convenientem asserendo, præsupponebat in ipso legitimum jurisdictionis authoritatem. Et si verò Pauli Petro in faciem ex aliquo *Facti*, non autem *Juris* errore venialiter culpabili resistens exemplum secuti Episcopi Gallicani, Victorem, quali excommunicationis gladium consilio minus maturo imprudentius strinxisset, litteris objurgarint, in hoc ipso tamen fuisse deceptos, tempus postea revelavit, quo compertum est, sub illo Paschatis decimâ quintâ lunâ celebrandi ritu latuisse Iudaismum à Bialto latenter introductum, uti patet ex Tertulliano *de præscript. in fine.*

34. Deinde quando Legati Pontificij in Concilio Carthaginensi Canonem Synodi Sardicensis allegabant sub nomine Concilij Nicæni, id optimo jure faciebant. Etenim Sardicenses trecentorum, septuaginta sex ex triginta sex Provincijs universi orbis Christiani congregatorum Episcoporum Concilium, æquè ac Nicænum, fuisse Oecumenicum ac legitimum, constat ex sancto Athanasio *in princ. Apol. 2.* Augustino *Epist. 162.* Sulpitio *lib. 2. sacra hist. Socrate lib. 2. cap. 16. hist. Eccles. ac ex actis, Concilij præsertim in fine:* nec adeo aliquis authoritatis majoris fœcus fieri potuisset, quamli Canon à Sardicensi Concilio

editus sub nomine Nicæni Concilij esset allegatus.

35. Et verò Concilium Sardicense nullibi ponitur separatim à Concilio Nicæno, sed post illud *secundo loco* statim numeratur Constantinopolitanum. Quæ igitur hujus est ratio? nisi quia Sardicensis Synodus cum Nicæna censetur una & eadem, partim quia utriusque interfuerint iidem ferè Patres, nihilque aliud in Sardicensi Concilio constituerint, quàm quod Nicænam Synodum confirmarint, ejusque Canones duntaxat explicarint; partim quia Canones utriusque Concilij Sardicensis nimirum ac Nicæni in Romanâ Bibliothecâ, & in quodam exemplari Concilij Nicæni, quod Dionysius ante mille annos è Græco convertit, quodque etiamnum adhuc Atribati in Monasterio Sancti Vedasti extat, ita conjuncti habeantur, quasi unius Concilij Canones essent, *ex tom. 1. Concilior. edit. Colon. pag. 446.*

36. Fallum porrò est, quod Concilium Carthaginense anno 419. celebratum, appellationes transmarinas ad Sedem Romanam simpliciter improbarit, seu rejecerit. Nam appellationes Episcoporum à Concilio Provinciali ad Sedem Romanam fuisse illo etiam tempore ab Ecclesiâ Africanâ ratas habitas, constat ex sancto Augustino *Epist. 162. & 261.* In quorum priori dicitur, jus fuisse Carthaginensi Episcopo, ad Romanam Ecclesiam, in quâ *semper vigerit Apostolica Cathedra principatus*, provocare, causamque suam ibi dicere. In posteriori autem recensentur aliquot exempla appellationum ab Episcopis Africanis ad Sedem Romanam interpositarum, & ab hac sanctâ Sede judicante, vel judicia primæ instantiæ (uti Augustinus *citatus* loquitur) firmante terminatarum. In quâ porrò epistola hic sanctus Ecclesiæ Docteur apertis verbis defert appellationis causâ ad Sedem Romanam interpositâ.

37. Fucus præterea fit, ac si Concilium Carthaginense suas ad Papam litteras ita concludendo: *Itaque ne velitis permittere, ut fumosum mundi fastum in Christi Ecclesiam inducere videamur*, per hoc prætenderit, talem *mundi fumosum fastum* sub ipso ad Sedem Apostolicam appellationis asserto jure contineri. Ex sancti namque Augustini *epistola 161.* constat, quod, ubi Antonius Fussatensis Episcopus ab Episcopis Africanis ad Romanum Pontificem appellasset, causamque suam ibi egisset, rumor sparsus fuerit, de ipso per publicam militaris manûs à Pontifice submittendâ potestatem restituendo. Quam proinde militarem manum ceu fumosum (ut Concilium Carthaginense ad Cælestinum Papam scripsit) sive tanquam violentum (uti Augustinus *citatus* scribebat) inter fratres dominatum deprecabantur Episcopi Africani. At ex hoc ipso clarè constat, jus appellationis ad Romanam Sedem non fuisse vocatum in dubium, sed de executionis modo (quem rumor publicus prædicabat) habitum fuisse recursum ad illius Sedis Pontificem.

38. Verum quidem est, Patres Africanos apud Concilium Carthaginense c. 105. ad Celestinum Papam sic scripsisse: *Presbyterorum quoque & sequentium Clericorum improba refugia (sicut te dignum est) repekat Sanctitas tua, quia & nullâ Patrum definitione hoc derogatum est Africana Ecclesie.* In quibus ad eò verbis videtur alluisse ad Canones 14. Sardicenis, 15. Antiocheni Concilij.

39. In quibus proinde Canonibus non interdicitur appellatio Episcoporum ad Romanam Sedem, sed inferiorum duntaxat Clericorum. At eo ipso, quòd Episcoporum appellatio ad istam Sedem semper obtinuerit, eatenus hinc concluditur Romani Pontificis principatus, ut ipso tamen consentiente, ob incommoda ex quorumvis, etiam inferiorum ad sanctam Sedem recursu in provincijs transmarinis faciliè oritura, fuerit permissum, ut Presbyterorum, ac reliquorum Clericorum causæ, salvo tamen jure Pontificio, ultimè terminarentur a Metropolitanis, vel Synodis Episcoporum.

CONCLUSIO.

40. Non à Papa ad Concilium, sed à Concilio *acephalo* ad Papam appellandi jus, atque ad eò Romani Pontificis supra Synodum *acephalicè* sumptam superioritas ex ipsismet fidei principijs demonstrari potest.

Explicatur & probatur. Sixtus IV. equidem Pij II. constitutioni (de qua *inferius* dicitur) insistens, excommunicationis sententiam protulit in illos, qui a Papa appellarent ad futurum Concilium, sequentibus innixus fundamentis. Tum quòd de minoribus ad majores iudices duntaxat appellare permittat auctoritas, & propterea inhibeat, ab Imperiali, & Prætorio iudicio appellari: tum quòd non homo, sed is solùm, qui solo verbo fecit cælum & terram, apostolicam Sedem, & in ea sedentem præulerit universis etiam Concilijs, quæ ab ea robur accepisse, sanctorum Patrum decreta testantur, & etiam Gelasius Papa contra Acacium Fausto Legato scribens, dicit ait; *Ipsi sunt Canones, qui appellationes totius Ecclesie ad hujus Sedis examen voluerunt deferri, ab ipsa nunquam appellari debere, & ipsam de tota Ecclesia judicare, de ipsius autem iudicio nunquam iudicari senserunt &c.* Unde inferebat idem Pontifex: *Omnes qualitercuque appellantes à Romano Pontifice &c. ad non indictum, nec congregatum Concilium appellare præsumentes, aliud Caput in Ecclesia Dei constituere, ac imaginarium majus, sublimiusq. tribunal confingere contra Apostolum dicentem: Fun damentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod Christus instituit, neque sanctæ Sedis primatum negare, Ecclesie unitatem dividere, non unum solum privilegium eidem Ecclesie admittere, sed præcipuam & principalem dictæ Sedis auctoritatem, quam & vox Christi, & Majorum traditio, & Canonum sulcit auctoritas, penitus subvertere &c.*

41. Quæ proinde fundamenta in formam syllogisticam reducendo, hanc conficiunt argumentationem Theologicam. Nempe appel-

latio secundum naturam suam est provocatio à minori ad majorem Judicem. At Sedes Apostolica ex institutione illius, qui solo verbo fecit cælum & terram, habet jus prelationis super universis Concilijs, utpote quæ ab ea robur accipiunt, suosque Canones ad eisdem Sedis examen deferri voluerunt. Ergo præsumentes appellare à Romano Pontifice ad Concilium non indictum, nec congregatum, constituunt aliud Caput in Ecclesia Dei, majusque ac sublimius fundamentum per Christum posito confingunt tribunal, sicque negant Sedis sanctæ primatum, adeoque dividunt Ecclesie unitatem, penitusque subvertunt principalem Sedis Apostolicæ auctoritatem, quam & vox Christi, & majorum traditio, Canonumque sulcit auctoritas.

In hisce Bullæ Sixtinæ verbis apprimè videtur consideratione dignum, quòd, si appellatio à Romano Pontifice fiat ad non indictum, neque congregatum Concilium, videatur aliud præter Summum Pontificem præsumptuosè in Ecclesia Dei constitui Caput, atque confingi tribunal majus Petri cathedræ, sicque subverti Sedis Apostolicæ principalis auctoritas. Quid ergo specialis energie est in hoc, quòd appellatio hujusmodi interponatur ad non indictum, neque congregatum Concilium? An si hoc fuerit de præfenti coadunatum, fas erit, à Summo Pontifice ad illud appellari? An non, si hoc saltem liceret, sublimius jam Sede Apostolica tribunal prætenderetur?

Verùm si vel indictum, vel aggregatum sit Concilium Oecumenicum, jam intervenit Apostolica auctoritas, seu forma & anima Synodi quæ *formaliter* Oecumenicæ. Quòd si ergo ad Concilium tali modo indictum provocetur à Papa, non jam ab inferiori fit appellatio ad majorem, sed Papæ exposulatur auctoritas, quæ forma Oecumenici Concilij, nec aliud in hoc agitur, nisi, ut quæ Papa auctoritas extra Concilium decrevit, eadem sub altiori Divinitus constituta præ eminentiâ, Papæ unâ & Concilij consensione autorizativæ annexâ, imploretur ad effectum omnimodæ & consummate per Christi promissum infallibilitatis in fidei dogmatibus obtinendum. Num igitur dicere fas erit, quòd solennissima illa singulari annis in Bulla Cœnæ promulgari solita excommunicatio adversus illos, qui à Papa appellant ad futurum Concilium, locum haberet in eo, qui post Papæ super controverso fidei articulo decisionem extra Concilium factam, non alâ intentione, ac verborum expressione provocaret ad futurum non *acephalum*, sed autoritate Papæ indicendum ac celebrandum, continuandumque Concilium, quâ plenè & *formaliter* Oecumenicum, quàm ut per Papæ cum Synodo ejusmodi Generali consensione autorizativam obtineretur ultimata & consummata veritatis circa dogma definitum infallibilitas? In hoc sanè statu, sicuti non interveniret propriè dicta à Papa ad futurum Concilium appellatio, sic difficile foret asserere, talem provocationem subesse prætaxatæ excommunicationis censuræ, dum

Papæ, ad
proferre debet cum
tam consensu infallibilitatis
se obtineat, vel sub aliâ
propositione sanctæ pater
cæli.

PROBAT

In hoc ostenditur, ex quo
in fundamentis appellationis
Concilij à Pio II. in Bulla
denotatur consensum
ac decretibiles

Hic Pontifex Maximus in
Bullâ dicit, spiritus re-
ctus, qui à Papa ad futurum Con-
ciliatum. Hujus verum dicitur
hoc ex hoc, quòd Romano Pon-
tifici dicitur sit in periculo
max. &c. Quodamque legem
ne legem & in alia. Ex
verbo elucet, nihil esse in
in regnum cælum ordinem
libit imperium Romanum
vix proinde character Episcoporum
Corporis & Synodus Ch-
nec non uni cum radialis
rali in eo characterem cum
immediatè à Christo, non in
super terram Summi Pon-
tificis Morali, immen-
tia, superiatur consensum
liberentem. A functione
fessionis conditionem libit
conis jurisdictionis formalis
extrema à Papa, & nullis
vobis sumptis, & ab unâ
be Episcopos in unam ecclesiam
opibus spectat extensum
quæ nullatenus extra pontif-
Chilio, sed evidentè extra
quocunque super terram in
ordinibus Morali, licet quæ
Romani Pontificis ad ligandam
potestatis insignita.

Quamvis perit consensum
tis præfentem Concilium
omplend Oecumenicæ per
immediatè à Christo, nec ad
de Romano Pontifice im-
manem, quòd et infallibilitatis
necque Capiti & Corpori
es, quæ in Concilio Oe-
fessionibus se promissis, et
non inveniunt illam Papæ
Quamvis in Concilio Oe-
Divisionem consensum
vendi potest, tamen Pra-
roborem, utam denotat
tali modo promissum, sicut
tempore in Regem cælum
sibi: sic habere etiam P-
lacionem in unam, ut

præsertim fieret debita cum submissione, vel cum expressione infallibilitatis consummatæ sic obtinenda, vel sub allegatione publicæ pro Religionis sanctæ pace utilitatis, seu necessitatis.

PROBATIO I.

In hac ostenditur, ex quo sacræ Scripturæ fundamento appellationes à Papa ad futurum Concilium à Pio II. in Bulla *Execrabilis* condemnentur tanquam erroneæ, ac detestabiles.

44. **H**ic Pontifex Maximus in dicta Bulla *Execrabilis* dicit, spiritu rebellionis imbutos esse, qui à Papa ad futurum Concilium appellare præsumunt. Hujus autem dicti sui ratione profertur ex hoc, quod Romano Pontifici Christi Vicario dictum sit in persona B. Petri: *Pasce oves meas, &c. Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis.* Ex quo adeo Christi verbo elucescit, nihil esse super terram morale in regnum cælorum ordinabile, quod non sublit superioritati Romani Pontificis. Quamvis proinde character Episcopalis, unâ cum vi Corporis & Sanguinis Christi consecratoriâ, nec non unâ cum radicali jurisdictione Pastoralis in eo character contenta, utpote qui sit immediatè à Christo, non sit de illo quocumque super terram Summi Pontificis superioritati subiecto *Morali*, attamen ejusdem usus, quâ *moralis*, superinduit conditionem superioritati illi subjacentem. A fortiori autem talis subjectionis conditionem subit omnimoda Episcopalis jurisdictionis *formalis* & *actualis*, utpote derivata à Papa, & multo magis ejus etiam collectim sumptæ, & ab universi Christiani orbis Episcopis in unum collectæ in Concilio *æcephalicè* spectato exercitium *morale*, utpote quod nullatenus dici potest esse immediatè à Christo, sed evidenter continetur sub illo quocumque super terram in Regnum cælorum ordinabili *Morali*, supra quod protenditur illa Romani Pontificis ad ligandum & solvendum potestas *indefinita*.

45. Quamvis porro consummatæ infallibilitatis præminencia Concilio *formaliter* atque *completè* Oecumenico per Christum asserta, sit immediatè à Christo, nec adeo possit ut sic subesse Romani Pontificis superioritati, eo ipso tamen, quod ea infallibilitas non nisi Duobus, nempe Capiti & Corpori Ecclesiæ hierarchico, quâ intrâ Concilium Oecumenicum consentientibus sit promissa, ex parte sui substrati jam involvit illam Papæ superioritatem. Quamvis insuper Concilio Oecumenico etiam Divinitus competat *indefinita* ligandi, & solvendi potestas, comparatæ Papæ Oecumenicæ authoritati, attamen decreta Conciliaria *moralia* inde promanantia, sicuti sunt de illo quocumque in Regnum cælorum ordinabili *Morali*: sic subjacent etiam Pontificis Maximi superioritati in tantum, ut ejusmodi morum

decreta solusetiam Pontifex *secundum* rerum exigentiam mutare, dispensare, vel etiam abolere valeat: sicuti etiam Pontificæ leges *morales* ex vi illius universalis Concilio, quâ Oecumenicè per Christum collatæ authoritatis possunt quidem immutari, eo ipso tamen, quod hæc etiam Concilij Oecumenici, non nisi ex Capite & hierarchico Ecclesiæ Corpore subsistentis authoritas, ex parte sui substantialis substrati involvat Papæ super omne in terris *Morale* superioritatem, illi Concilij quâ Oecumenicè potestati *indefinitè* comparem, nequit jam Concilio, quâ *completè* etiam ac *formaliter* Oecumenico attribui *strictè* sumpta erga Papam superioritas. Quare ejusmodi quoad superioritatis præminenciam inter Papam & Concilium comparatio, nequit habere locum respectu Concilij *completè* Oecumenici, sed quâ *abstractivè* saltem *æcephalicè*. Ut sic autem nihil est assignabile in Concilio ejusmodi, quod immediatè sit à Christo, præter characteres Episcopales cum vi eisdem congenitâ, sed quæcumque *actualis* jurisdictionis, & à fortiori quodcumque Synodale decretum, sunt de illo quocumque *Morali*, super quo protenditur Papæ superioritas, clarè ac liquidè asserta Christi verbis per Pium II. pro suæ constitutionis fundamento positis. Adversus hæc igitur Christi verba, & hæc assertam Papæ superioritatem meritò dixit Pius exeri spiritum rebellionis ab illo, qui à Pontifice Romano appellat ad futurum Concilium.

PROBATIO II.

Dèsumpta ex hoc, quod Papa sit *immediatus* & *proximus* Christi Vicarius.

46. **I**n ipso namque Concilio Constantiensi *Sess. 46. art. 37.* inter alios Wiclefianos damnatur iste quoque articulus: *Papa non est immediatus Vicarius Christi.* In quo Synodus ista consonat cum Nicæni Concilij *Canone 29.* inter octoginta Arabicos relato *to. 1. Concilior. post A. 2. Nicæna Synodi.* ubi excommunicationis censurâ notatur, qui negaverit, *Romanum Pontificem esse Vicarium Christi super cunctos populos, & cunctam Ecclesiam Christianam.* Ex quo proinde fidei principio ita licet argumentari. Quod potestas Ecclesiastica est propinquior Christo, eò noscitur esse superior. At eo ipso, quod Romanus Pontifex sit *immediatus* & *proximus* Christi Vicarius, nequit ulla dari in terris authoritas Ecclesiastica, quæ sit Christo propinquior, neque adeo ulla in terris potestas potest esse superior Apostolicæ Papæ authoritate, sed fateri, oportet, eam, sicuti est *immediatè* à Christo, atque hujus Vicaria, sic esse supremam. Atqui appellationis natura est, esse provocationem ab inferiori Judice ad superiorem. Quia igitur Christi Vicaria in Papa potestas est *immediata* & *proxima* Christo, sic ab ea non datur ulla appellatio *strictè* & *proprie* sumpta, ad ipsam verò à quocumque in terris constituto Judice Ecclesiastico appellationem admittere, oportet.

M m 3

Co.

Corollarium.

47. **E**X dictis inferitur 1. Concilium Constantiense principio per semetipsum sancito de Vicaria Christi erga hunc proximam & immediatam Papam assertam auctoritate, haud conformiter acturum fuisse, si, quam Concilij, praesertim acephali, prout se habebat in eo statu, super Papa superioritatem adstruere videbatur, intelligendam voluisset non de dubio dantaxat, sed etiam certo ac indubitato Papa, utpote de quo, juxta fidei articulum ab eadem Constantiensi Synodo sancitum, oporteret credere, esse Christi Vicarium immediatum, nullique adeo, qui Christo posset propinquior esse, superiori subordinatum. Ne proinde Constantiense Concilium sibi met contrariari videatur, accuratius expendenda sunt ejusdem decreta, quibus Concilij super Papam superioritas adstruitur; prout sequentibus disquisitionibus entemur hoc punctum enodare.
48. Interea pro secundo visum est operæpretium, hinc præmittere, quæ Author tract. de libertat. Ecclesie Gallicane lib. 5. cap. 15. ad præsentis operis nostri institutum solidè exposuit. Duplici, inquit, præcipue ratione impugnabat Eugenius IV. hujus Synodi de Conciliorum generalium auctoritate Decreta. Primam, quod dubia esset eorum auctoritas. Secundam, quod ad tempus schismatis restringenda essent. Utramque improbant Illustrissimi Præfules Comitiorum Parisiensium his verbis; Nec probari à Gallicana Ecclesia, qui eorum Decretorum quasi dubia sint auctoritatis, ac minus approbata, robur infringant, aut ad solum schismatis tempus Concilij dicta detorqueant. Sed nunquid etiam Comitij Cleri Gallicani inferior est auctoritas Papæ, ac illorum potius, quam Summi Pontificis sequenda sententia?
49. Eugenius igitur Decreta, de quibus est quaestio, hæc in primis ratione non valere, contendebat, quod ab una tantum obedientia fuissent facta, id est, à Prælati Joanni XXIII. obedientibus, quod affirmat etiam Cardinalis à Turrecemata, de rei veritate optime instructus, ac gestorum ex parte oculatus testis, & pro suo merito fide dignus. Rem narrat his verbis, Summâ de Eccle. lib. 2. cap. 99. Notandum, quod Congregatio illa Constantiæ celebrata tria tempora habuit. Primum fuit, in quo sola obedientia præfati Joannis Balthasar Constantiæ convenerat. Secundum tempus fuit; in quo Angelus Cortarius vocatus, in obedientia sua Gregorius XI. juri suo cedens, præfata Congregationi se sub certis modo, & formis conjunxit. Tertium tempus est, in quo Reges, & Principes, & Prælati obedienter Petro de Luna, Benedicto XII. vocato, in obedientia sua per suos Oratores, nova convocazione Concilij, se unierunt præfata Congregationi ad pacem dandam universali Ecclesie. Et sumus nos tunc presentes in Minoribus constituti, pro quo solo tempore convenientibus omnibus simul tribus obedientibus, fuit certum dicere, quod universalis Ecclesia representativè congregata esset Constantiæ. Nullus autem dubitat, quin asserere, quod sola obedientia Joannis faceret Concilium universale, universalem

Ecclesiam representans, esset temerarium, & scandalosum alijs duabus obedientibus. Tertiò ea, qua inducuntur de Decretis Concilij Constantiensis, non militant: quoniam auctoritati illius alicuius obedientie, scilicet Gregorij, & Benedicti apertissimè contradictione in plena Congregatione se opposuerunt, & eorum contradictio fuit accepta. Subjungit infra idem Cardinalis; In illorum determinatione non modò non intervenit universalis Ecclesia, sed obedientia una tantum, scilicet Joannis XXIII. ut dictum est, sed etiam non integrè tota illa obedientia; quoniam plures Patres doctissimi illius obedientie, illis non præstiterunt consensum, aut assensum suum. Item nec ipsa in sua obedientia vocatus Joannes XXIII. quoniam cum post recessum suum à Constantia, Scaphusa constitutus, audiret præfata declarationem conclusam, Dominis Oratoribus Christianissimi Regis Francie visitantibus eum, videlicet Domino Duce Bavarie, Domino Nicolao de Colavilla, aliisque eorum collegis, amaro animo conquestus est. falsa quædam, & erronea adversus auctoritatem Summi Pontificis Romani decreta per amulos suos post recessum ejus esse conclusa, &c. Quæ omnia confirmantur ab alijs Scriptoribus, & ab actis ipsius Concilij Constantiensis, in Bibliotheca Vaticana extantibus, quorum summam in lucem nuper emisit doctissimus vir Emanuel Schellstrate.

Cæterum quoniam Illustrissimi Antistites Parisienses hæc decreta à Sede Apostolica comprobata dicunt, quod præcipuè de Martino V. intelligendum videtur, qui depositus à Concilio Constantiensi tribus Pontificibus, inter se de Pontificatu contendentibus, Pontifex creatus est, & ab omni Ecclesia pro vero, & legitimo acceptus; videndum est, quæ fuerit ejus de his decretis mens. Sed prius observandum est, etiam Concilium Constantiense legitimum non foret, Martinum nihilominus legitimum fore Pontificem, quippe cum Joannes, & Gregorius Papatui renunciarent, ut patet ex Actis Concilij Constantiensis Sess. 12. & 14. & Gregorius ante decesserit, quam Martinus V. deligeretur, ac deinde Clemens VIII. Benedicti Successor eidem Martino cesserit. Præterquam quod ex auctoritate Concilij ad tollendum schisma, non ritè, cum sit exceptio regulæ generalis, inferitur auctoritas indefinita supra Papam in omnibus casibus.

Ut autem ad Martinum V. redeamus, prohibuit ille appellationes ab Apostolica Sede, seu Romano Pontifice, ut testatur Joannes Gersonius tractatu, Quando, & an liceat à Summo Pontifice in causis fidei appellare, seu ejus judicium declinare. Quæ sanè prohibitio absona fuisset, si Concilij judicium Concilio Papæ superius existimasset. Quis enim judicem non derideat, à sua sententia ad judicem superiorem appellari vetantem in ijs causis, in quibus alius est re vera judex superior. Fuit autem promulgata illa Martini V. Constitutio in Consistorio generali celebrato Constantiæ sexto Idus Martij, anno primo, id est, ante finem Concilij, quod terminatum est 10. Kalendas Maij anno 1418. etiam Pontificatus primo, & à Pontifice approbatum: quæ confirmatio

in actis refertur his verbis; Sanctissimus Dominus noster Papa dixit, respondendo ad prædicta (scilicet de condemnatione libelli Joannis Falkenberg) quod omnia, & singula determinata, conclusa, & decreta in materijs fidei per præfens Concilium, conciliariter tenere, & observare inviolabiliter volebat, & nunquam contraire quoquo modo. Ipsaque sic conciliariter facta approbat, & ratificat, & non aliter, nec alio modo, & illud idem iteratò fecit dici per organum Domini Augustini de Pisis Fiscalis, & sacri Consistorij Advocati prædicti, qui nomine Papæ à Prothonotarijs, & Notarijs ad scribendum Acta Concilij ordinatis, & deputatis petijt instrumenta publica fieri. Quorum autem verba illa, & non aliter, nec alio modo, nisi ut supra vidimus, à solis Prælati obedientiæ Joannis XXIII. nec etiam ab illis omnibus, edita fuerant, probare non videretur?

Verùm licet illa Concilio generali adscriberentur, & quæ à Martino V. aut Eugenio IV. in genere dicta sunt, ad hæc, de quibus specialiter, imò specialissima facienda fuisset mentio, referri possent; non tamen extra casum schismatis, de quo tunc erat quæstio, aut hæresum, de quibus accusabantur Pontifices contententes, ad alios calus essent detorquenda; quæ altera erat Eugenij ratio. Nec enim ibi generaliter statuitur, omne Concilium generale in omni casu supra Pontificem auctoritatem habere, sed tantum Concilium Constantiense, & alia generalia, quæ ob eandem causam congregari opus esset. Hæc enim sunt verba Concilij Constantiensis. Sess. 5. In nomine sanctæ, & individua Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen. Hæc sancta Synodus Constantiensis generale Concilium faciens, pro extirpatione ipsius schismatis, & unione, & reformatione Ecclesie Dei in capite, & membris, ad laudem Omnipotentis Dei, & in Spiritu sancto legitime congregata, ad consequendum facilitius, securius, liberius unionem, & reformationem Ecclesie, ordinat, diffinit, decernit, & declarat, ut sequitur. Et primò declarat, quod Ipsa in Spiritu sancto legitime congregata, Concilium generale faciens, & Ecclesiam Catholicam representans, potestatem à Christo immediatè habet, cuiuslibet, cuiuscumque status, vel dignitatis, etiam si Papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti schismatis, & reformationem dictæ Ecclesie in capite & in membris.


Item declarat, quod quicumque conditionis, status, dignitatis, etiam si Papalis, qui mandatis, statutis, seu ordinationibus, aut præceptis hujus sacre Synodi, & cuiuscumque alterius Concilij generalis legitime congregati super præmissis, sive ad ea pertinentibus, factis, vel faciendis, obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, condignè poenitentia subijciatur, & debite puniatur, etiam ad alia juris subsidia (si opus fuerit) recurrendo. Idem ipsdem ferè verbis statuitur Sess. 4. Notanda sunt illa verba ipsa (scilicet Synodus Constantiensis) in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti schismatis: Præceptis hujus sacre Synodi: super præmissis, sive ad ea pertinentibus, quæ Decreta illa circumferunt, ac sine limitatione intelligere veniant.

Testis est ipsemet Joannes Gersonius, tantum ad Conciliorum generalium auctoritatem constituendam fervens, sententiam de superioritate Papæ ad Concilium, non solum ante, sed etiam post Decreta Concilij Constantiensis à multis fuisse propugnata, quod evidens signum est, decreta illa, vel non esse Concilij verè generalis (alioquin enim à nemine Catholico revocarentur in dubium) vel in certo duntaxat casu locum habere. Si enim generalia essent, quis superesset disputandi locus apud eos, qui à Concilio verè generali statuta crederent? Fallor, inquit Gersonius de potest. Eccles. considerat. 12. si non ante celebrationem sacrosanctæ hujus Constantiensis Synodis occupaverat mentes plurimorum litterarum magis, quam litterarum ista traditio, ut oppositorum dogmatizator, fuisset de heretica pravitate vel notatus, vel damnatus. Hujus rei signum accipe, quia post declarationem, & quod urgentius est, post determinationem, & prædicationem ejusdem sanctæ Synodi invenuntur, qui talia passim asserere non paveant. Rationem autem, cur huic sententiæ tantum esset infensus; hanc insinuat considerat. 10. Quia scilicet, ut ipse arbitrabatur, eam semper manente, perseverasset semper schisma ab ea nutritum.

Ex quo conijcitur, de hoc tollendo malo cogitasse, quotquot rectè intentione Concilium Papæ anteferebat studuerint. Cæterum enim non solum ante Concilium Constantiense, sed etiam postea extiterunt magni nominis Authores, qui sententiam illam, Summum Pontificem Concilio subijcientem erroneam judicaverunt. Non solus Cardinalis Bellarminus, qui de Concilij lib. 2. cap. 11. hæc habet; Concilium Basileense cum Legato Pontificis communi consensu statuit, Concilium esse supra Papam; quod certè nunc judicatur erroneum; sed & alij quàm plures; ex quibus Franciscus de Sylvestris, vulgò Ferrariensis, à patria nuncupatus, Ordinis Prædicatorum Generalis, super S. Thomam lib. 4. contra Gentes cap. 76. in fine sic scribit; Ex prædictis constat, vanam esse, & à fide Christianâ alienam opinionem dicentium, Concilium, & Ecclesiam esse supra Papam, & ipsam Papam à Ecclesia auctoritatem habere tanquam ab ipsa institutum; quæ censura non solam ultimam propositionem afficit, ut patet ex probationibus; sequitur enim; Nam manifestum est ex prædictis, quod Christus ipse regimen Ecclesie instituit, non autem ipsa Ecclesia, aut populus Christianus, & quod in Ecclesia Petrum, suum Vicarium, & Successores ejus instituit, sicut & ad Sacramenta dispensanda instituit Ministros. Vnde cum dixit Petro; Pisce oves meas; præmissi interrogationem: Simon Joannis diligis me plus his? Ut ostenderet, se auctoritatem Petro dare, ut distinguo ab alijs discipulis præsentibus. Propter quod exponens Chrysostomus prædicta verba, ait; præteriens alios, Petro loquitur, &c.

Doctrinâ, pietate, ac miraculis clarissimus S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus eandem doctrinam validè defendit part. 3. Summa tit. 23. de appellatione Papæ cap. 3. §. 3. fin. Sed nec ad Concilium generale à Papa appellari potest; quia Papa omni Concilio superior est: nec ratio

bur habet, quidquid agitur, nisi auctoritate Romani Pontificis roboretur, & confirmetur. Sente ergo, quod ad Concilium à Papa appellari possit, est hæreticum, & contra illum articulum, Sanctam Ecclesiam Catholicam. Sic autem superius argumentatur; Quicumque privilegium Romana Ecclesie à Christo traditum auferre conatur, est hæreticus: Sed dicens, & tenens, quod licet appellare à Romano Pontifice ad Successorem ejus, auferit privilegium Romana Ecclesie à Christo traditum; ergo talis manifestè est hæreticus. Et sic probat Minorem; Quicumque sentit, Romanum Pontificem non esse summum, supremum, & unicum Caput totius Ecclesie, auferre conatur privilegium Romana Ecclesie à Christo traditum: sed quicumque à Papa appellandum sentit, sentit, Papam non esse summum, & unicum Caput Ecclesie, ergo, &c. Unde sequitur quod, quicumque hoc sentit: sentit contra articulum Nicæna Synodi, ubi dicitur unam Sanctam Ecclesiam, quia Ecclesia habet unitatem ex unitate capitis. Unde & Joan. 10. dicit Christus. Fiet unum ovile, & unus Pastor. Si licitum esset appellare à Papa, & ille, ad quem appellatur, esset Caput. Sic Papa non esset Caput, vel essent duo Capita, quod esset monstruosum.



DISQUISITIO VI.

An Concilij super Papam superioritas evincat posse ex Concilij Constantiensis decreto Sessione quarta edito?

S. I.

1. **A**uthor Regalis Sacerdotij cit. lib. 2. §. 16. n. 1. sequentia ad præsens institutum, consideratu digna ex Concilio Constantiensi profert decreta. Primum est ex Sessione 4. & 5. ubi definitum extat, Concilium Universe sale potestatem immediatam à Christo habere, cui quilibet, cujuscunque dignitatis, & conditionis sit, etiam si Papalis, obedire teneatur. Secundum est ex Sessione 15. ubi Concilium varijs honoribus afficit Gregorium XIII. eo quod spontè renuntiasset Papatui, declaratque, eum gratijs & privilegijs à Concilio acceptis, nec à futuro Papa, nec à Concilio privari posse. Tertium est ex Sessione 39. ubi Synodus præcipit futuris Summis Pontificibus, ut singulis decennijs Concilium generale cogant: & si contingat, duos insignia Pontificalia induere, jubet sub interminatione Divinæ maledictionis, ut continuo renuntient, & nisi faciant, eos privat omni jure, quod ad Papatum haberent, inhabilesque reddit ad omnes in futurum dignitates. Quartum denique est ex Sessione 45. sub initium. ubi Oratores Regis Poloniae, & magni Ducis Lithuaniae Martino V. Pontifici suppliciant, velit libellum quendam & opinioniones Joannis de Falchenberg hæreticas, & in Concilio publicè damnatas declarare, nisi faciat, suorum Principum nomine se ad futurum Concilium appellaturos.
2. Hisce opponit præcitatus Author plura ex Concilio Constantiensi argumenta, ex quibus ostendi valeat, Synodum istam stitisse pro superioritate Papæ certi ac indubitati. Tum quod Concilium istud, electo Martino V. ni-

hil ampliùs, uti ante electionem, statuerit, definitur, seu prohibuerit, sed omnia nomine electi Pontificis, ab eoque deinceps, sacro approbante Concilio, sint constituta, certo sanè argumento, Concilij potestatem, electo jam Pontifice, cessasse, & consequenter Concilium non esse supra Papam; cum potestas superior, præsentè minori, non cesset, sed hæc potius illi cedat. Tum quia Sess. 15. & 17. Pontifici futuro & indubitato reservatur potestas dispensandi in ijs, quæ à Concilio statuta sunt, relaxandique censuras ab eodem fulminatas. Et Sess. ult. expressè definitur, supremam in Ecclesia potestatem non esse penes Concilium, sed Papam, quod omnino foret falsum, si Papæ præferretur Concilium.

Exinde idem Author validè confutat, quæ in contrarium adducebantur, argumenta, ostendens allata ex Sess. 4. & 5. ac 15. non aliter accipienda esse, nisi de casu schismatis, & Pontificis dubij, quippe cum Synodus, quoties de potestate Concilij supra Papam loquitur, semper restringat ad præsens Concilium quæ processurum ad schisma tunc grassantis extirpationem. Sic enim habetur in Sess. 4. Hæc sancta Synodus Constantiensis, & Generale Concilium faciens, pro extirpatione præsentis schismatis, & unionis, ac reformatione Ecclesie Dei in Capite, & in membris fieri debet. Et paulò post. Et primo, quod ipsa Synodus in Spiritu sancto congregata, legitime Generale Concilium faciens, Ecclesiam Catholicam militantem representans, potestatem à Christo immediatè habet, cui quilibet, cujuscunque status, vel dignitatis, etiam si Papalis existat, obedire teneatur in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti schismatis, reformationem generalem Ecclesie Dei in Capite, & in membris. Et in Sessione 5. ita habetur: Declarat Synodus, quod ipsa in Spiritu sancto legitime congregata, Concilium Generale faciens, & Ecclesiam Catholicam representans, potestatem à Christo immediatè habet, cui quilibet cujuscunque status, vel dignitatis, etiam si Papalis existat, obedire teneatur in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti schismatis, & reformationem dictæ Ecclesie in Capite & in membris.

Item declarat, quod quicumque, cujuscunque conditionis, status, dignitatis, etiam Papalis, qui mandatis, statutis, seu ordinationibus, aut præceptis hujus sacrae Synodi, vel cujuscunque alterius Concilij generalis legitime congregati, super præmissis, seu ad ea pertinentibus factis, vel faciendis obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, condignæ poenitentia subijciatur, & debite puniatur, etiam ad alia juris remedia, si opus fuerit, recurrendo. Vult ergo Concilium apertè innuere, se in casu tantùm schismatis, & Papæ incerti potestatem habere, cur enim aliàs toties, & tam constanter adiecit illam restrictionem: In his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti schismatis, si extra casum schismatis, dubijque Pontificis, eam potestatem sibi vendicabat? Nec enim ignorabant Patres, inclusionem unius exclusionem esse alterius ex vulgarissimâ Juris regulâ. Videtur planè laborasse Concilium, ut sæpius repetitâ eadem restrictione, intel-

intelligeretur de superioritate in Papam non absoluta, sed tantum in casu excepto. Hinc in Bullâ Martini V. sacro approbante Concilio factâ, quæ habetur Sess. ult. inter alias propositiones, quæ suspectum aliquem hæresis Hussiticæ faciunt, etiâ hæc ponitur: *Papa canonicè electus, non est successor Petri, nec habet in Ecclesia Dei supremam auctoritatem.* Agnoscit ergo Concilium supremam in Pontifice auctoritatem, non autem supra esse, si aliam haberet, cui subesset: tunc enim suprema potestas non Papæ, sed Concilij foret: sicut enim cælum Empyreum supremum dicitur, & ignis supremum elementum, & rectum supra pars domûs; quia supra se aliud in genere suo superior non habent, ideo & suprema potestas in Papa, quia nulli subest: sicut etiam in Republica, qualis erat olim Romana, & statu Democratico, nemo dixerit, supremam potestatem esse penes Consules, aut Senatum, sed penes populum: in Aristocratia verò penes Senatum & Magnates.

Ad ea porro, quæ ex dictâ Constantiensis Synodi Sess. 39. & 45. fuerunt in contrarium allata, præallegatus Author in dicto §. 16. respondet in hunc modum, statuisse quidem Concilium, singulis decenniis Concilia Universalia iudici, sed nullo modo id futuro Pontifici imperare aut voluisse, aut potuisse: quamquam in Concilio sit potestas, statuendi leges, quæ etiam Pontificem quoad vim *directivam* obligent; maximè cum ordinantur ad observantiam Divini & naturalis juris, earumque transgressio pacem, quietemque publicam offendit: quâ ratione, quamvis nemo sibi subiectus sit, seque ipso inferior, communis tamen sententia habet, Principem suis legibus obligari. S. Thomas 1. 2. q. 96. a. 5. ad 3. Suarez l. 3. cap. 35. de leg. S. Ambros. lib. 5. ep. 32. & sumitur ex Matthæi c. 23. Cap. Quæ contra. d. 8. Cap. Instum. d. 9. Cap. Cum omnes. De constitut. ff. Quod quisque juris. L. Digna vox. C. de leg. l. 23. De Legat. 3. Ad appellationem à Papa ad futurum Concilium, nomine Regis Poloniæ factam, non potest melius responderi, quam ipse Martinus V. responderit, ut habetur in Actis Concilij Sess. 47. cum enim animadverteret, Legatos Poloniæ, & Lithuanicæ ex Synodi Constantiensis doctrinâ animos sic appellandi sumpsisse, ut ad ipsas radices securim poneret, continuo respondit: *Se, quæ in puncto fidei contra Wicleffum & Hussam à Patribus essent Conciliariter decreta, sanctè observaturum, & rata & confirmata habere: non verò, quæ ad fidem non pertinerent, aut quæ non Conciliariter, hoc est, cum debito examine, discussione, imisque suffragiis, essent definita.* Nec contentus Papa hæc appellantis Legatis, & Concilio præsentibus respondisse, voluit insuper hanc suam protestationem, & responsionem in Acta publica Concilij referri, & ab eisdem Concilij Notarijs, & Actuarijs solennia, & authentica instrumenta confici: & re ipsâ in Bullâ, Concilij confirmatoriâ, quæ ad calcem ult. Sess. habetur, Martinus V. ex Actis in Concilio Constantiensi nihil aliud confirmavit, quam damnationem errorum

Wicleffi & Hussi à Patribus Synodally factam. In quo Martinus V. suorum Prædecessorum exempla imitatus est; nam & Leo sanctissimus Papa, & tot encomijs à Patribus Chalcedonensibus cumlatus, noluit Concilium Chalcedonense, nisi quoad illa, quæ in materia fidei sancita fuerant, confirmare, ut videre est in epistola ejusdem B. Leonis circulari ad Patres Concilij 61. & ad Anatolium 45. quæ habentur to. 2. Concilior. Verum, ut ex verbis ipsius Concilij Constantiensis res melius intelligatur, credaturque, placuit ea hic atterere. Sic ergo Sess. 45. & ult. sub initium habent: *Quibus sic factis, sanctissimus Dominus noster Papa dicit, respondendo ad prædicta, quod omnia, & singula determinata, conclusa & decreta in materia fidei per præsens Concilium, Conciliariter tenere, & inviolabiliter observare volebat, & nunquam contraire quoquo modo: ipsaque sic Conciliariter facta approbat, ratificat, & non aliter, nec alio modo. Et illud iteratò fecit dici per organum D. Augustini de Pisis, Fiscalis, & sacri Consistorij Advocati prædicti, qui nomine Papæ à Protonotarijs ad scribendum Acta Concilij ordinatis, & deputatis, petijt instrumenta publica fieri.*

His taliter constitutis, idem Author tandem concludit in hæc verba. Cum igitur ea sententia, quæ Concilium Pontifici præponit, non tantum de fide non sit, sed etiam à communi Doctorum, praxi Ecclesiæ, testimonijs Patrum, sacræque Scripturæ plurimum aliena sit, imò à sanctis etiam Patribus graviter perstricta, & à Concilio licet asserta, nunquam tamen confirmata fuerit à Martino V. qui expressè professus est, sibi animum non esse, Concilium confirmandi, nisi quoad illa, quæ fidei sunt. Idcirco non videri, quâ ratione Patres Conventus Parisiensis induciti fuerint, ut dicerent: *Non probari ab Ecclesia, quæ Decreta Concilij Constantiensis Sess. 4. & 5. ad casum schismatis detorqueant, eorumque robur confringunt, tanquam sint dubie auctoritatis, minusque approbata.* Quali verò nos Decreta Concilij ad casum schismatis restringamus; & non ipsum Concilium, tot tam claris, tamque repetitis verbis restringat, ut planè vim Concilio faciat, qui ad hunc casum schismatis non restringit: aut Concilium illi detorqueant; qui nihil Concilio addi volunt, nihil detrahi, sed ipsum eo sensu intelligi, quo loquitur. Verba Concilij sunt Sess. 4. *Ipsa Synodus in Spiritu sancto legitime congregata disponit, statuit, decernit, declarat, ut sequitur: & primò quod quilibet, cujuscunque status, vel dignitatis, etiam si Papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti schismatis, & reformationem generalem Ecclesiæ Dei in Capite & membris.* Eadem repetuntur Sess. 5. ubi videmus, Concilium ipsum suam definitionem limitare ad casum & statum, in quo tunc temporis Ecclesia versabatur; si enim limitare noluisset, poterat tot verbis parcere, & absolute dicere: *Teneri Papam Concilio Universali obedire.*

Quibus ita se habentibus, duo præcipua hic veniunt discutenda. 1. *An vi primi in Constantiensis Synodi Sessione quartâ editi decreti fuerit*

fuerit acephalo huic Concilio potestas à Christo immediate proveniens, ad procedendum adversus Papam dubium? 2. Vtrum decretum Constantiensis Synodi in quarta Sessione editum de Concilij superioritate supra Papam, sit restrictum ad statum Papae dubij & incerti, ac tempus durantis schismatis?

S. II.

Referuntur argumenta circa quartam Sessionis Constantiensis Concilij primum decretum.

6. Hujus difficultatis status singulariter dependet ex ijs, quæ inter Maymbourgum ex parte Gallicani Conventus Ecclesiastici, & Emanuelem à Schelstrate ex parte sacrae Vaticanæ Bibliothecæ, sive ex hujus Manuscriptis fuerunt in certamen deducta. Hic nempe Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus anno 1683, ediderat dissertationem, in qua ex indubitata fidei manuscriptis codicibus ostendebat, tantum abesse, quod decreta Constantiensia ab Oecumenica Synodo fuerint edita, & comprobata à Sede Apostolica, ut potius constet, quod decretum primum Sessionis quartæ ex compilatione Basileensium corruptum, ad manus nostras pervenerit sub hoc tenore: *Primo declarat, quod Synodus in Spiritu sancto congregata, legitime Generale Concilium faciens, Ecclesiam militantem representans, potestatem à Christo immediate habet, cui quilibet, cuiuscunque status, vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad extirpationem dicti schismatis, & reformationem Generalem Ecclesiæ Dei in Capite & in membris.* Ipsissimum hoc decretum renovatur in Sess. V. dictæ Synodi, eidemque subijcitur alterum, cujus juxta Basileensium compilationem, tenor præcit. §. 1. n. 5. refertur. De quibus proinde Sessionis quintæ duobus decretis, præcitatus à Schelstrate ostendit, edita fuisse, contra protestantibus Cardinalibus, & Regis Galliarum Oratoribus, omniaque insuper à Concilio nondum Universaliter pronuntiata, quæ proinde ab ipsius Constantiensis Concilij Patribus post trium obedientiarum unionem non sint recepta, & ab ipso etiam Martino V. infirmata.

7. Hanc Vaticanæ Bibliothecæ Præfecti dissertationem oppugnandam suscepit anno 1685. Maymbourgus in suo historico de Romana Ecclesia tractatu à cap. 22. usque ad cap. 26. illum coarguens, quod in ea destruere voluerit, quidquid à Galliarum Clero de decretis Constantiensibus erat statutum, adjungens deinde, quod acta authentica Concilij Constantiensis, & Basileensis perperam traducatur. Hujus igitur inter Maymbourgum & Emanuelem à Schelstrate concertationis argumenta, & responsiones sub formam methodicam aliquantulum reducta, prius audire placeat, ut propositæ difficultatis status ex solidis fundamentis tandem valeat determinari.

* *

* *

ARGUMENTUM

Ex parte Maymbourgii ubi supra oppositum.

Hic igitur Gallicus Author argumentatur in hunc modum. Quamvis gesta & acta authentica, quæ Concilij Constantiensis & Basileensis continentur, omnium manibus terantur, ac plura, quam à ducentis sexaginta annis pro verissimis habita sint, nec quisquam toto illo tempore se unquam ijs opponere somniaverit, voluisse tamen Emanuelem à Schelstrate sibi disputare hanc legitimam pacificam possessionem.

Responsio.

AD hanc objectionem responder prænotaminatus Vaticanæ Bibliothecæ Præfectus, rectè animadvertendo, præsentis concertationis statum reduci ad hoc punctum; *An scilicet Constantiensis Concilij decretum Sessione 4. factum, & ex Basileensium compilatione editum, fuerit adulteratum?* Maymbourgus ex rationibus inferius deducendis contendit, non solum Basileenses sinceram fidei usos, nihil addidisse, nihilque detraxisse de verbis illius Decreti, sed & genuinam esse lectionem, quæ ex ipsorum compilatione posteriorum memoriæ consecrata fuit. Econtrario Emanuel à Schelstrate in tract. de Decretis Constantiensibus dissert. 1. cap. 1. duo in se suscepit, quorum primum est, quod Acta Constantiensia ex Basileensium compilatione primum ad manus nostras pervenerint. Cum enim Basileenses post electionem Felicis V. in locum Eugenij IV. per ipsos assumpti vidissent, auctoritatem suam contemni, & toto orbe Catholico dimini coepisse, eam Actis Constantiensibus restituendam esse crediderunt, & illorum compilationem septem è suis ad id specialiter deputatis mandarunt. Compilatione itaque à Deputatis facta, pauci, qui Basileæ permanserant, illam autoritate suâ reboarunt, & speciali Bullâ eidem partim præfixâ, partim postpositâ præceperunt, compilationi suæ eandem fidem adhibendam esse, ac si ab ipsis Patribus Constantiensibus facta, & eorundem Bullâ authenticâ munita esset: *Statuimus, inquit, ac decernimus, & mandamus, quatenus præfatis decretis, Gestis superius insertis in iudicij & extra ubicunque producta, exhibitaque fuerint, vel ostensa, in omnibus, & per omnia stentur, ac fides plenaria adhibeatur, perinde ac si Bullâ ejusdem Constantiensis Synodi bullata forent, nec ad illorum probationem aliud administrandum quomodolibet requiratur.... Datum Basileæ pridie Nonas Februarij Anno à Nativitate Domini 1442.*

Ita Basileenses in ea parte Bullæ, quæ compilationi Actorum Constantiensium à Deputatis suis factæ subijungitur. Cum autem Actorum istius compilationis exemplar authenticum cum Bullâ plumbeâ in cordula ferici pendente asservatum fuisset in Germania usque ad annum 1490. eo ipso anno Joannes Huober ex Inderdorff, Artium Liberalium Magister, & sacrae Theologiæ Baccallarius,

illud propriâ manu descripsit, ejusque copiam cum Originali convenire, testatus est Mathias Strinbach publicus autoritate Apostolicâ Notarius, ut patet ex hoc ejus testimonio: *Concordant Sessiones & Decreta superscripta sacri Generalis Concilij Constantiensis cum exemplari de pergamento Bullâ plumbeâ sacre Generalis Synodi Basileensis modo, formâ, & Notarij, quibus supra, bullato & auscultato, factâ unâ cum præfato Magistro Joanne infrascriptorum Scriptore collatione diligenti per me Mathiam Strinbach Clericum Elstetensis Diocesis, publicum sacri Apostolicæ autoritate Notarium subscriptum, rogatum, & requisitum, in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum factâ in 123. folijs præsentis in numero computato, quod protestor manu, & signo solito meo propriis.* Extat hoc testimonium in Constantiensis Concilij editione; quæ anno 1500. in Imperiali oppido Hagenovæ ad fidem supra dictæ copiarum cum Originali fideliter collatæ typis prodijt.

Atque hæc est omnino prima Actorum Constantiensium editio, quæ ut ex compilatione Basileensium primùm typis descripta apparuit, ita & in sequentibus editionibus servata fuit, ut post diligentem earum collationem cuique constabit. Prima enim editio nullo verbo addito, nullo detracto, anno 1511. operâ Zachariæ Ferrerij Abbatis Vicentini, annis 1524. & 1537. Parisijs curâ Jacobi Merlini Doctoris Sorbonici, uti & anno 1530. Colonia typis Quenteliani iterum excusa fuit. Petrus Crabbe, qui post hæc Actorum Constantiensium editiones anno 1538. novam Conciliorum collectionem duobus Tomis in folio edidit, eandem planè compilationem Actorum Constantiensium servavit, sed addito ad Decretum primæ Sessionis quartæ verbo *Ad fidem*, quod in præcedentibus editionibus deerat, & adjunctis per modum Appendicis plurimis alijs, quæ in manuscripto Codice Colonienfi invenerat, cum quibus à cæteris Conciliorum Collectoribus Synodi Constantiensis Acta binde typis descripta fuerunt. Hoc tamen diligenter postscriptores observârunt, quod Acta, quæ Petrus Crabbe ex manuscripto Codice Colonienfi in Appendicem retulerat, illi juxta textum suis locis diverso caractere inseruerint. Compilationem enim Actorum Constantiensium à Basileensibus factam semper integram, & intactam servare voluerunt Conciliorum Collectores, qui, licet priorem partem Bullæ Basileensium abstulerint, in hujus tamen veritatis confirmationem posteriorem partem retinuerunt. Videri possunt collectio Conciliorum, quæ anno 1588. Venetijs prodijt apud Nicolinum: Collectio Conciliorum, quæ Romæ anno 1628. typis Rever. Cameræ Apostolicæ quatuor Tomis in folio excusa fuit: Editiones Conciliorum Colonienfes, quas Severinus Binius post Romanam adornavit: Collectio Conciliorum Luparea, quæ triginta septem ingentibus Tomis ex Typographia Regia Parisijs edita fuit: Labbejana demum, quæ quartâ parte auctior publicam lucem aspexit: manifestumque fiet, in his omnibus editionibus posteriorem partem

Bullæ Basileensium, & testimonium Notarij Apostolici supra relatum nunquam omiſſa fuisse, sicque verum esse, quod in dissertatione meâ nuper annotavi, Decreta Constantiensia, prout ad manus nostras pervenerunt, à Basileensibus compilata fuisse.

Alterum proinde, quod dictus Emanuel à Schelstrate probandum suscepit, in eo se tenet, quod in primùm Constantiensis Concilij Sessionis IV. decretum ex primâ per Basileensium superius relatum compilationem anno 1500. factâ editione duo irreperint errores, quorum primus consistit in omissione vocis *Ad fidem*, quam adesse debere, ex manuscriptis Constantiensis Concilij codicibus indicaverat ille Vaticanæ Bibliothecæ præfectus. Secundus vero error consistit in additione illorum verborum: *Et ad reformationem Ecclesiæ Dei in Capite, & in membris.* Quæ abesse debere, sic ostenditur.

Tres nempe codices manuscripti, continentes Acta Constantiensis Concilij à Notarijs ipsius conscripta, ex quibus Basileenses decreta compilârunt, non habent illa verba in primo decreto Sessionis quartæ: *Et ad reformationem generalem Ecclesiæ Dei in Capite & in membris.* Codices quatuor manuscripti, continentes Gesta indubitata Constantiensis Synodi, quorum duo circa ipsius Constantiensis Concilij tempus conscripti sunt, licet habeant multò plura, quam hæctenus edita, nullam tamen mentionem faciunt in Decreto Sessionis quartæ *de reformatione Ecclesiæ in Capite & in membris.* Quinimò in uno ex istis Codicibus post hæc Decreti verba: *Ad fidem, & extirpationem dicti schismatis*, notatum erat: *Iste (nimirum articulus) imperfectè fuit factus, ut sequitur, ideo suppletur in Sessione sequenti.* Quibus indicator, clausulam *de reformatione Ecclesiæ in Capite & in membris*, abesse debere à Decreto primæ Sessionis quartæ, ideoque illud Decretum renovatum fuisse in Sessione quinta, in qua solummodò clausula illa adjungenda est, ut statim videbimus. Duo demum Codices, continentes Regestum Actorum Constantiensis Concilij, quorum unus circa tempus ipsius Concilij scriptus, spectavit ad Eminentissimum Cardinalem Sirletum, alius antiquo caractere Italico conscriptus est, licet omnia Acta contineant à prima Sessione usque ad electionem Martini V. nullam tamen mentionem faciunt in Decreto Sessionis quartæ *de reformatione in Capite & in membris.* Cæteros, quos vidi, Codices recentiores præterea, in quibus tamen omnibus prædicta verba desiderantur, ut indubitatum sit, à Basileensibus erroneè Decreto Sessionis quartæ adjuncta, & à Collectoribus Conciliorum errore Basileensium deceptis, typis fuisse edita.

Exceptio Maymbourgi.

Excipit hic Author cap. 23. sue hist. pag. 235. non quidem primùm negando errorem, sed secundum, atque verba illa *de reformatione Ecclesiæ in Capite & in membris* decreto Sessionis quartæ adesse debere, tam pertinaciter

contendendo, ut codices ab illo de Schelstrate citatos pro nihilo ducens, errorem Basileensibus ab ipso tributum, verterit eidem in crimen. Unde, inquit, ipse habet, quod codex manuscriptus, quo pro compilatione Actorum usi sunt Basileenses, non continuerit ista verba. Quare sine certâ causâ accusat illos imposturâ? Nōne quotidie videmus, quod plures manuscripti codices ejusdem operis differant, sic ut reperitur in uno, quod omissum erat in alio, & quod hâc ratione corrigantur.

Responsio.

45. **E**manuel à Schelstrate cit. cap. 1. pag. 21. reponit, totum hoc posse obijci etiam de voce *Fidei*, cujus tamen omissionem à Maymbourgo tribui potius tabellario, quam Basileensibus. Unde enim hic Author accepit, quod codex manuscriptus Basileensium, ex quo prima editio Actuum Constantiensis Synodi prodijt in Imperiali oppido Hagenovv, habuerit vocem *Fidei*? Quare sine certa scientia accusat tabellarium erroris? An ignorat forsan, quod copiam ex manuscripto ipsorum Basileensium manu Joannis Huober ex Inderdorff sacrae Theologiae Baccalarei extractam, cum suo Originali concordare testatus sit Mathias Strinbach publicus auctoritate Apostolicâ Notarius? Cur sine firmo fundamento Notarij Apostolici fidem non solum in dubium revocat, sed aperte fugiliat, eumque, qui pro veritate ex officio testimonium tulit, falsitatis arguit? An ignorat quoque, post decem annos à prima editione Actuum Constantiensis Concilij ex Basileensium compilatione venisse ad manus Zachariae Ferrerij Abbatis Vicentini, quodque ipse in editione Mediolanensi anni 1511. non solum omiserit vocem *Fidei* in primo Decreto Sessionis quartae, sed & illud ipsum in compendium redigens, his verbis retulerit: *Quod Constantiensis Concilium potestatem habet immediatè à Christo, & eidem quicumque, etiam Papalis dignitatis, subijcitur in pertinentibus ad extirpationem schismatis, & reformationem Ecclesiae in Capite & membris.* Hic D. Maymbourg videre poterat, Abbatem Ferrerium non magis in compilatione Basileensium vocem *Fidei* invenisse, quam Mathiam Strinbach publicum auctoritate Apostolicâ Notarium. Nōne legit Merlinum Doctorem Parisiensem, quod eodem modo juxta Basileensium compilationem omiserit vocem *Fidei* in collectione Conciliorum editionis Parisiensis anni 1524. apud Galliotum à Pratis, Colonienfis anni 1530. ex Aedibus Quentelianis, & Parisiensis anni 1535. apud Franciscum Regnavit?

46. Hi autem omnes, cum Acta Constantiensis Concilij juxta Basileensium compilationem ediderint, quid respondebit D. Maymbourg. si ab ipso petatur, undenam habeat, Tabellarium potius, quam ipsos Basileenses vocem *Fidei* in Decreto primo Sessionis quartae omisisse? Nōne fateri debuit, hoc gratis, & sine ullo fundamento ab ipso assertum esse? Numquid negare poteris, me rectius eorum,

qui compilationem Basileensium viderunt, testimonio innixum dicere potuisse, in ea perperam omissam esse vocem *Fidei*, quam in Manuscriptis Constantiensis Concilij codicibus ante tempora Basileensium conscriptis extare constat; proindeque à Petro Crabbe anno 1538. in editione Conciliorum non immeritò adjunctam fuisse?

Sicut autem quoad omissionem vocis *Fidei*, ita quoad clausulam: *De reformatione Ecclesiae in Capite & in membris*, Decreto primo Sessionis quartae à Basileensibus adjunctum errorem irrepsisse, ex ipsdem manuscriptis codicibus Constantiensis Concilij, nisi mea me fallat opinio, ostenderelicuit. Neque percipere potui, quid sibi velit D. Maymbourg, dum mihi varias Codicum lectiones obijcit, ac si negassem, reperiri posse in uno, quod deest in alio: quasi verò ego ipse non ostendissem, in Actis Constantiensis Concilij reperiri vocem *Fidei*, quae omittitur in compilatione Basileensium, & contra in Actis Constantiensibus non reperiri clausulam *De reformatione*, quae in compilatione Basileensium adjuncta. An forte credit, manuscritos codices reperiri posse, in quibus aliquid deest, quod ex alijs suppleri debeat: & reperiri non posse, in quibus aliquid adjunctum fuit, quod omitti debuerat? Ultimum circa clausulam *de reformatione* in compilatione Basileensium contigisse, ex manuscriptis indubitatae fidei codicibus, Acta Concilij Constantiensis continentibus, clarius monstraveram, quam ut negari poterit. Jam enim non modò ostenderam, illa verba in ijs deesse, sed positivè probaveram, ea planè excludi debere.

Replicatio Maymbourgi.

17. **P**ergit hic Author loco proximè citato. Cum varia sint Acta Constantiensis Concilij, omnesque codices manuscripti non eandem Actuum collectionem contineant, petendo ab eodem Vaticanae Bibliothecae Praefecto: *Vnde habeat, quod codex manuscriptus, quo pro compilatione Actuum Constantiensium usi sunt Basileenses, non continuerit illa verba, quae primo decreto quartae Sessionis indebitè adjecta fuisse praetendantur?*

Responsio.

19. **E**manuel à Schelstrate pag. 24. huic objectioni reponit, hoc evinci ex eo, quod tres codices manuscripti continentes Acta Constantiensis Concilij à Norarijs conscripta, ex quibus Basileenses decreta compilarunt, non habeant illa verba, in illo primo Sessionis quartae decreto ita sonantia: *Et ad reformationem Generalem Ecclesiae Dei in Capite & in membris.* Num enim potuisset clarius quid asseri, ad probandum, undè habeatur verba illa, quibus Basileenses usu sunt, deesse? Basileenses namque usi sunt Actis à quatuor Protonotarijs Constantiensis Synodi collectis, ut in titulo suae compilationis ipsimet fatentur: in Actis autem, quae ab ipsa Constantien-

si Sy-

fi Synodo per Protonotarios ad id deputatos collecta fuerunt, verba illa deesse, ex tribus ejusdem collectionis manuseriptionibus probavi: neque quidquam, ut puto, ad confirmandam rem nostram expressius dici, vel afferri potuit. Ne autem quisquam suspicetur, codices à me supra allatos dubiæ fidei censendos esse, monere placuit, illos antiquissimos esse, & inter eos reperiri, qui ante tempora Basileensis Concilij scripti fuerunt, contra quos ne unum quidem antiquum codicem manuseriptionum, Acta à quatuor Notariis Constantiensis Concilij scripta continentem, D. Maymbourg attulit, sed nec unquam adferre poterit, in quo Decretum primæ Sessionis quartæ cum clausula De reformatione exhibetur.

Quamvis autem vel sola Acta Notariorum Constantiensium sufficere debuissent, ad Basileensem compilationem erroris convincendam, volui tamen in Dissertatione mea alios manuseriptiones codices adferre: prioribus namque tribus adjuncti quatuor alios indubitæ fidei, Gesta Constantiensia continent, quorum duos circa tempus ipsius Concilij scriptos fuisse, constat. Citavi insuper duos Codices antiquissimos, Regestum Constantiensis Synodi continentem, quorum unus circa tempus Constantiensis Concilij scriptus, ad Eminentissimum Cardinalem Sirletum spectavit, alter antiquo caractere Italico exaratus est, in quibus eadem verba desunt in Decreto primo Sessionis quartæ. Quod si hi non sufficient, ad jungerem possunt celeberrimum codicem Capranicensis, qui ad usum Cardinalis de Capranica Basileensis Concilij temporibus scriptus videtur, & quo Philippus Labbeus sæpius usus est in Appendice ad Synodum Constantiensis: in hoc enim, ut in reliquis omnibus supra citatis deest clausula: *De reformatione Ecclesie in Capite & membris*. Accedit alius codex planè antiquissimus, qui ex Bibliotheca Eminentissimi quondam Cardinalis Ludovisij in Bibliothecam Eminentissimi Cardinalis Ottoboni migraverat, ejusdemque Romanæ Ecclesie Principis liberalitate in Bibliotheca Vaticana repositus fuit, in quo eadem omnino desiderantur. Demum ommissis alijs, testari possim, quod inter omnes manuseriptiones codices Constantiensis Synodi, quos magno numero me vidisse contigit, nullum reperirim, in quo verba illa habentur, præterquam unum recentiori manu ex Sirleti codice transscriptum, in quo Tabellarius, cum Originale difficili caractere exaratum esset, Acta ex editis codicibus descripsit, & verba illa contra fidem Originalis manuseriptionis Decreto primo Sessionis quartæ adjunxit.

Instantia Maymbourgi.

ii. Auctor iste pag. 236. instat, se reperisse in Gallia codicem manuseriptionem Constantiensis Concilij, qui verba illa, ad reformationem Ecclesie in Capite & in membris, habeat adjecta ad finem decreti Sessionis quartæ. Hoc ipso momento, inquit, quo hæc scribo, in mea com-

moratione apud S. Victorem Parisijs, ubi annuentibus Dominis Canonicis Regularibus hujus Regalis Monasterij, mihi delegi secessum honestum, & professioni ac modo vivendi conformem, præ oculis habeo celebre illud Manuseriptionum famosæ ipsorum Bibliothecæ, ex quo D. Spondanus desumpsit rariora historia sua de Constantiensi Concilio, de quo procul dubio pulcherrimus est magni sui Operis locus. In hoc itaque manuseriptione, quod est antiquissimum eorum, quæ haberi possunt, lego hoc Decretum de verbo ad verbum, sicut est in Actis typis descriptis, & in ultimis editionibus, quæ exactiores sunt, & correctiores. Sed ecce, quod magis urget. Habemus in istis manuseriptionibus sancti Victoris extractam Sessionum, quas, ut celebrabantur, illi, qui pro parte Nationis Gallicæ Concilio aderant, Lutetiam mittebant, ut Decretum hoc Sessionis quartæ afferretur ibi eodem modo, quo illud habemus. D. Schelstrate dicitur, Concilium Basileense, quod pluribus annis post Constantiense habitum fuit, hæc extracta corripuisse? Quid ad ista respondere poterit?

Responsio.

Emanuel à Schelstrate præf. pag. 29. reponit in hæc verba: Quid respondere possim, inquit Maymbourgus, ac si duorum Manuseriptionum suorum testimonia irrefragabilia essent, & posterioris authoritati nihil opponi valeat, cum tamen faciliter ei satisfiat. Si enim verum est, quod observat, quosdam pro Natione Gallicæ Constantiæ exsistentes, Acta Sessionum eo modo Lutetiam misisse, quo in illo codice continentur. Respondedo, à Natione Gallicana præcipitanter conclusum fuisse, ut Decretum cum istis verbis Sessione quartæ publicaretur, & Decretum illud eo modo in ipsa Sessione Cardinali Florentino, ut publice ab eo legeretur, oblatum fuisse. Cardinalem tamen, cum inter legendum ad illa verba: *De reformatione* venisset, substituisse, & ut testatur Panormitanus in tractatu, cui titulus est: *Sententia finalis*, noluisse illa verba legere, tanquam præter communem deliberationem addita: Decretum autem ab ijs, qui pro Natione Gallicana Constantiæ erant, Parisios missum fuisse, prout in Natione sua conclusum erat, & ita facile auctorem codicis S. Victoris Parisijs commorantem decipi potuisse, qui ipsemet conqueritur de inverbo quandoque ordine eorum, quæ de Actis Constantiensis Concilij in Codice suo deicriptæ. Quod ultimum, si D. Maymbourg querat, unde habuerim, id à fidissimo, & oculato teste me accepisse, reponam, & si necesse sit, nomen ejus adducam. Ipse interim codicem suum revidere poterit, ad ejus authoritatem confirmandam pag. 237. ita contra Manuseriptionem à me allata subjungit: *Ne demum nobis opponendam putet multitudinem suorum Manuseriptionum, numerat enim usque ad novem, dicam ipsi, Parisijs plus quam decem reperiri, quæ consonant huic codici sancti Victoris, qui vel solus pluris valet, quam omnes sui*. Verum fallitur D. Maymbourg, & de re sibi incompetè loquitur: licet enim codicem sancti Victoris merito ceteris Manuseriptionibus Parisijs asseratis, quæ se vidisse

asserit, præferre potuerit, immeritò tamen codicibus manuscriptis à me citatis, quos nunquam vidit, præponi debere contendit, cum vix ullum codicem manuscriptum citaverim, qui non præstet codici sancti Victoris ab ipso allato, nec mihi solùm, sed & alijs notissimo.

23. Cæterùm hæc responderi possunt, supposito, quòd D. Maymbourg verum dicat de clausulâ in codice sancti Victoris adjunctâ, quòd ideo repeto, non quia dubito de ejus fide, ac si nos decipere voluisset, sed quia suspicari licet de non adhibitâ sufficienti diligentia, cujus defectu ipse deceptus fuit, & Sessionem quartam cum quinta confundit. Utenim mentem meam clarè exponam, vix credere possum, verba de reformatione Ecclesiæ in Capite & in membris, reperiri Sessione quartâ in codice sancti Victoris, vel alio quopiam antiquiori ex omnibus ijs, quos Auctor se vidisse, & Parisijs asservari, testatus est. Neque mihi imputare debet D. Maymbourg, quòd ita de scriptis suis sentiam, sed sibi, quando tam asseveranter pro se citat Joannem Gerlonium Universitatis Parisiensis Cancellarium, cujus verba, tanquam oculati testis, putat esse irrefragabilia.

Objectio iterata Maymbourgi.

24. Hic igitur Author ubi *suprà pag. 238.* objicit, quòd Joannes Gerlonius, Universitatis Parisiensis Cancellarius, de cujus fide dubitare non liceat, & cujus Manuscripta penes se existant, pluribus in locis referat illud primum quartæ Constantiensis Sessionis decretum, prout habetur in Manuscripto sancti Victoris, & Actis editis, retuleritque illud in sermone facto coram toto Concilio pro Viaggio Regis Romanorum, ubi cum integrum recitasset cum hac clausula: *Ad reformationem Ecclesiæ Dei in Capite & in membris*, immediatè dixit ad Patres Concilij, exponens opinionem suam his verbis omninò efficacibus: *Conscribenda propterea mihi videtur in eminentioribus locis, vel insculpenda per omnes Ecclesias saluberrima hæc definitio, lex, vel regula &c.* Rogo nunc D. Schellstrate, ut mihi sincerè dicat, an audeat credere, Cancellarium Parisiensem tam impudentem fuisse, ut recitasset in sermone coram Patribus Concilij Decretum Sessionis quartæ aliter, quàm ipsimet illud fecerant? Ut adjunxisset impudenter hæc verba: *Ad reformationem Ecclesiæ in Capite & in membris*, quæ Concilium ipsum non adjunxerat, & ad ipsos subinde locutus fuisset eo modo, quo jam retuli. Habeo illam pro viro nimis honesto & prudenti, quàm ut unico momento hæc cogitet. Et nullatenus dubito, quin Deo gloriam tribuat, admittendo, quòd, cum Gerlonius coram toto Concilio recitavit hoc Decretum, sicut est in Actis editis, omninò evidens sit, ita à Concilio factum fuisse, neque ullatenus falsificatum esse, cum Concilium alioquin illum impudentem falsificatorem expulisset.

25. Hæc D. Maymbourg, qui jam dicta putat testimonio inniti, cui nihil omninò op-

poni potest: adeò certò namque supponit, Joannem Gerlonium Cancellarium Universitatis Parisiensis citasse Decretum primum Sessionis quartæ, ut ne dubitari quidem ea de re sinat, meque planè victum existimet: prolequitur proinde argumentum, & adjungit alium locum ejusdem Gerlonij ex sermone, quem habuit coram Concilio secundâ Dominicâ post Epiphaniam ad hunc textum Evangelij: *Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ.* Ubi post alia dicit: *Nunquid non ideo sacra hujus Synodi Constantiensis impugnantur judicia, quæ sic habent, Primò declarata &c.* Et adducit hic integrè Decretum Sessionis quartæ cum hæc clausula: *Ad reformationem Ecclesiæ in Capite & in membris.* Ecce, inquit subinde ad Patres Concilij, *Decretum, quod fecistis.* Post hæc autem D. Schellstrate audebitne adhuc dicere, quòd Basilienses falsificaverunt hoc Decretum, adjungendo illi hæc verba? Citaverat in margine pag. 239. ultra loca allata ex eodem Gerlone tractatum *De potestate Ecclesiastica*, & tractatum, *An, & quomodo liceat appellare.* Et subjungit pag. 245. Et ne D. Schellstrate dicat, hujus Doctoris textum falsificatum esse, adjungitis ei his verbis: *Et ad reformationem Ecclesiæ in Capite & in membris:* declaro ipsi, quòd tractatus *De potestate Ecclesiastica*, ubi magnus ille vir hoc Decretum asserit, collatus sit cum quatuor Manuscriptis, duobus Bibliothecæ sancti Victoris NN. S. & MM. II. uno Collegio Navarræ, & altero Bibliothecæ D. Colbert sub numero 99. Quòd tractatus, *An, & quomodo appellare liceat à Summo Pontifice*, ubi idem Decretum reperitur, omninò consonet duobus Manuscriptis, uni sancti Victoris signato NN. 9. & alteri Bibliothecæ Navarricæ. Quòd sermo pro Viaggio Regis Romanorum fuerit pariter collatus cum Manuscripto S. Victoris signato in antiquis catalogis NN. II. alio Bibliothecæ Navarricæ, & uno Bibliothecæ D. Colbert sub num. 99. Quòd demum id, quòd legitur in serm. super Evangelium *Nuptiæ factæ sunt*, ubi Gerson coram Patribus Concilij recitavit Decretum Sessionis quartæ, reperiat in antiquissimo Manuscripto sancti Victoris signato NN. 19. de verbo ad verbum, sicut editum est. Et hæc mihi sufficere videntur, ut D. Schellstrate cedere cogatur.

Responsio.

Emanuel à Schellstrate præcitati operis sui pag. 26. 25. reponit sequentia. Cum in toto tractatu Maymbourgi nihil invenerim toties repetitum, ac tanto labore cum manuscriptis codicibus collatum, quàm quòd nunc præ manibus habemus ex Joannis Gerlonij locis desumptum, operæpretium judicavi, loca cum tanto verborum apparatu proposita ex Gerlonis operibus adducere, eaque cum verbis anterioribus à D. Maymbourg omisis in medium asserre. Primus itaque Gerlonis locus ex sermone ejus pro Viaggio Regis Romanorum delumptus est, ubi sic loquitur: *Prima lex, sive directio liberans iter nostrum à primo scandalo, quæ*

19. que data est in Sessione publica sexto Aprilis, anni presentis: Concilium Generale potestatem immediate à Deo habet, cui quilibet, cuiuscunque status, vel dignitatis, etiam si Papalis existat, obediens tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem schismatis, ac generalem reformationem Ecclesie Dei in Capite & in membris: conscribenda prorsus esse mihi videretur &c. Ex tractatu De potestate Ecclesiastica desumptum est aliud Gersonis testimonium sequens: Confirmant hanc sententiam statuta & practicata in hoc sacro Constantiensi Concilio, præsertim 6. Aprilis anni 1415. in Sessione publica, cuius inter alia sunt hæc decreta duo prima: & primo declarat, quod ipsa in Spiritu sancto legitime congregata &c. Item declarat, quod quicumque, cuiuscunque status, vel dignitatis &c. Eadem omnino duo Decreta retulit sermone habito Dominica secundâ post Epiphaniam, & demum in tractatu; An, & quomodo appellare licet à Summo Pontifice, ubi Gerson agit de determinatione Concilij, quæ multipliciter facta est, & practicata, & specialiter in Sessione publicâ celebrata die 6. Aprilis, anno 1415. quæ sic habet inter cætera: & primo declarat, quod sancta Synodus in Spiritu sancto legitime congregata &c. Item declarat, quod quicumque &c.

17. Hæc sunt loca Ioannis Gersonis à D. Maymbourg allata, quorum priora verba omisit, quod forsitan ea nihil ad rem facere crediderit, cum tamen ex ijs questio nostra decidenda sit. Agimus enim de Decreto Sessionis quartæ, quæ celebrata fuit Anno 1415. die 30. Martij, qui tunc incidebat in Sabbatum sanctum, seu Vigiliam Paschæ, ut fidem faciunt omnia Acta Constantiensis Concilij tam edita, quam inedita, tam in Gallijs, quam in Italia conservata. Gersonius autem locis supra allatis loquitur expressè de Decreto, quod anno 1415. die 6. Aprilis in Sessione publica editum fuit. Dies autem sextus Aprilis non fuit Vigilia Paschæ, sed Sabbatum post Pascha, ut habent Gestæ Constantiensis Concilij: Sessio quoque publica sexti Aprilis non fuit Sessio quartæ, sed quinta, de qua sola Ioannes Gersonius loquitur, ut cognosci poterat ex secundo Decreto de auctoritate coactivâ prioris subjuncto. Cum namque Ioannes Gersonius ex eadem Sessione duo Decreta allegaret, & secundum non nisi Sessione quintâ publicatum fuerit, nimis manifestum erat, Gersonium citasse Decretum Sessionis quintæ, quam ut id ipsum à quopiam ignorari poterit.

22. Iam triumphum canat D. Maymbourg, qui se victorem asseruit, antequam pugnavit, meque cedere oportere credidit, priusquam in arena constitutum aspexit: *Voilà, inquit, ce me semble, de quoy obliger M. Schelstrate à se rendre.* Poteratne cum majori certitudine factum aliquod proponi, cum firmiori de victoria securitate urgeri, cum plurimum verborum apparatu plebi inculcari, quam illud de Decreto Sessionis quartæ ex locis Ioannis Gersonis desumptum? Quid alij de eo iudicaturi sint, nolim conijcere, id unum fateor, me, ubi primò errorem hunc notaveram, satis mirari non potuisse, quomodo factum sit, quod

Author ille scribens de re gravissimâ, tam visibiliter lapsus fuerit, neminemque Parisijs invenerit, qui in conferendis locis Gersonis cum manuscriptis codicibus errorem animadvertent. Cum autem vel ex hoc constet, D. Maymbourg Sessionem quartam cum quintâ confudisse, sibi imputare debet, quod non ita facile ipsi fides habeatur asserenti, clausulam de reformatione in cæteris Manuscriptis S. Victoris ab eo citatis reperiri in Decreto primo Sessionis quartæ. Quinimò, dum fatetur, eo modo reperiri in Manuscriptis S. Victoris, aliisque codicibus, quo à Ioanne Gersono citatur, Decretum autem cum clausula: *De reformatione* ab ipso Gersono citetur tanquam Sessionis quintæ; consequitur profectò ex ipsius Auctoris verbis, etiam in codicibus suis manuscriptis reperiri Sessionem quintâ potius, quam quartâ; quod ipsum testati sunt illi, qui plures ex illis codicibus manuscriptis Parisijs viderunt, eoque Decretum primum Sessionis quartæ sine mentione: *De reformatione* continere, asseverarunt: ut nihil sit, quod me cedere cogat, nihil, quod Manuscripta à me allata defectuosa ostendat; sed plurimum, vnde D. Maymbourg errorem suum hæc legendo agnoscat, & agnoscendo corrigat.

Iterata replicatio Maymbourgij:

Conqueritur iste Author tractatus sui pag. 234. Emanuelem à Schelstrate argumento negativo traduxisse Basileensium fidem.

Responsio:

Præfatus Vaticanæ Bibliothecæ Præfatus 1. dissertat. sua cap. 2. à pag. 40. ita reponit. Quamvis argumentum negativum censendum non sit, quod ex codicibus, manuscripta Acta Constantiensis Synodi continentibus desumpti, cum in illis clausula controversa debuisset reperiri, si Decreto primo Sessionis quartæ à Patribus Constantiensis Synodi adjuncta fuisset. Videamus tamen, an aliud protulerim, ex quo de rei veritate constare poterat.

Notaveram in Dissertatione cap. 1. articulo 1. quod in codice Manuscripto Constantiensis Concilij post hæc Decreti verba: *Ad fidem, & extirpationem dicti schismatis*, adjunctum erat: *Iste (nimirum articulus) imperfectè fuit factus, ut sequitur, ideo suppletur in Sessione sequenti:* quibus verbis, ut ibidem notavi, indicatur, clausulam: *De reformatione Ecclesie Dei in Capite & membris*, abesse debere à Decreto Sessionis quartæ, ideoque illud Decretum renovatum fuisse Sessione quintâ, in qua solummodo clausula adjungerida est. Et ne D. Maymbourg hujus codicis testimonium in dubium revocet, adjungendum est aliud Authoris celeberrimi, qui tempore Constantiensis Concilij vivebat, & prout Patres Constantiæ Acta publicabant, ea ipsa ad posterorū memoriam litteris mandabat. Hic ergo de Decreto Sessionis IV. ita ad annum 1415. notat: *Penultimâ die Martij, quæ fuit Vigilia Paschæ, fuerunt pronuntiatæ quidam articuli per unum de Cardinalibus nunciis sus-*

fieri

ficienter: quapropter 6. die mensis Aprilis idem articuli per unum alium de Concilio, Rege presente, pronuntiati sunt reformati. Primus hic erat: Synodus in Spiritu sancto congregata, Generale Concilium faciens, Ecclesiam Catholicam militantem representans, potestatem immediate habet à Christo, cui quilibet, cuiuscunque status, vel dignitatis, etiam si Papalis existat, tenetur obedire in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem schismatis, ac reformationem Ecclesie Dei in Capite & in membris. Tertius articulus, dimissis cæteris, fuit de irritatione gratiarum per Joannem Papam factarum per recessum suum à Concilio &c. Qui hoc testimonium posteris reliquit, est Gobelinus Persona Decanus Bilsfeldiensis, & Officialis Paderbornensis, qui testatur circa finem operis, illud à se sub Bonifacio IX. inchoatum, & sub Martino Papa V. anno Pontificatus ejus primo, die primâ mensis Junij anno Domini Nativitatis 1418. Illustrissimo Sigismundo Romanorum, Teutoniarum, & Vngariæ Regnorum in sceptris agente, consummatum fuisse.

32. Hic jam rogo D. Maymbourg, an clarius testimonium desiderare posset pro confirmandis illis, quæ ex Manuscripto codice nostro supra retulimus? Gobelinus, qui Constantiensis Concilij Acta eo ipso tempore, quo statuebantur, habuit, & cum fine Constantiensis Concilij scribendi finem fecit, testatur, penultimâ die Martij, quæ fuit Vigilia Paschæ, quosdam articulos pronuntiatos fuisse per unum de Cardinalibus minus sufficienter; quod ipsum testatur codex Manuscriptus à me citatus, qui eadem Vigiliâ Paschæ, quâ Sessio IV. celebrata fuit, refert de articulo 1. eum imperfectum pronuntiatum fuisse, sine illis nimis verbis: *Et ad reformationem generalem Ecclesie Dei in Capite & in membris.* Addit Gobelinus, quia articuli minus sufficienter pronuntiat fuerant per unum de Cardinalibus in Sessione IV. ideo 6. die Aprilis eisdem per unum alium de Concilio pronuntiatos fuisse reformatos: quod idem codex Manuscriptus à me citatus his verbis affirmat: *Imperfectè fuit factus, ideo suppletur in Sessione sequenti.* An manifestius convenire poterat Manuscriptus codex cum Gobelino? Quid ad hæc respondere poterit D. Maymbourg?

33. Quod si plura desideret, erit, quo abundè ei satisfiat: Concilium enim Basileense, cujus autoritatem tanti facit, refert ex Gestis Constantiensis Concilij, quod ob diversas opiniones de potestate Concilij Generalis in his, quæ ad reformationem Ecclesie, super primâ definitione præscriptis omisiss fuerat articulus de hoc faciens mentionem, & sequens, qui ex primo dependet. Quid clarius? Quid manifestius? Quid in rem nostram expressius scribi, vel afferri potuit? Probavimus ex Manuscripto codice, & Gobelino Personâ, in Decreto 1. Sessionis IV. non reperiri clausulam: *De reformatione.* Gestâ ipsius Constantiensis Synodi testantur, id mirum videri non debere, quia ob varias opiniones de autoritate Concilij circa reformationem Ecclesie Sessione IV. super primâ definitione præscriptis fuerat omisiss articulus de hoc faciens mentionem: adduntque, ob omisiss Sessione V. articulum illum, Decretum ex in-

tegro aliâ Sessione pronuntiatum fuisse, quod & omninò dicendum esset, licet ex testimo- nijs à nobis allatis minimè constaret. Cur enim Decretum illud Sessione V. repetitum fuisset, si illi nihil omninò in Sessione IV. defuisset?

Iterata instantia Maymbourgi.

URget hic Author pag. 248. in Manuscripto ipsius Schelstrate legi in Præfatione decreti, sicut in Actis penes se extantibus: Hæc sancta Synodus Constantiensis, legitime congregata pro extirpatione præsentis schismatis, & unione, ac reformatione Ecclesie Dei in Capite & in membris, ad consequendam facilius, securius, uberius, ac liberius unionem, ac reformationem Ecclesie, ordinat, desinit, & declarat, ut sequitur, quod scilicet quilibet, cuiuscunque dignitatis sit, etiam Papalis, obedire tenetur Concilio in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti schismatis. Et quis non videt, pro sensu integro, juxta intentionem & expressâ Concilij verba, non ibi hærendum esse, sed necessariò adjungi debere. Et ad reformationem Ecclesie in Capite & in membris? Et hoc est in codicibus nostris, qui sunt veri, & deest in codicibus suis: quæ omisiss, cum nullo modo sustineri queat, eos defectuosos esse, ostendit.

Responsio.

IDem Schelstrate cit. cap. 2. pag. 46. replicat. Hæc irritò conatu sibi opponi. Si enim verum esset, quod Maymbourgus ex illa præfatione deducit, sequeretur, à Decreto 1. Sessionis IV. abesse debere vocem *Fidei*, utpote de qua in Præfatione per ipsum allatâ nulla mentio facta est. Cum autem ex voce *Fidei*, quæ in Decreto adest, & in Præfatione non extat, omninò lequatur, Decretum Præfationi in omnibus correspondere non debere; videat, quæso, cui fundamento argumenta sua innitantur, & quàm debili ratione concludat, codices meos defectuosos esse. Non solum à manuscriptis codicibus verba: *De reformatione* abesse, sed & abesse debere, ijs testimonijs comprobavi, quæ nemo prudens contempserit. Et quamvis sequatur, quod 1. Decretum Sessionis IV. non fuerit integrè pronuntiatum, id nihil obstabit, cum id factum esse, testentur Gestâ ipsius Concilij, & confirmet Gobelinus. Unde constat, quod omnes manuscripti codices, qui articulum *De reformatione* adjunctum habent, defectuosi sint, illique veri, ac genuini, qui nullam ejus articuli mentionem faciunt.

Et hæc sufficienter de corruptione 1. Decreti Sessionis IV. prout ex compilatione Basileensium ad manus nostras pervenit, quod emendatione indigere, nimis clarum, & manifestum est, quàm ut in dubium revocari possit. Quod enim D. Maymbourg adjicit de Concilio Basileensi, & ejus Præsede Juliano Cardinali, ac si Decretum 1. Sessionis IV. Constantiensis citassent cum clausula: *De reformatione Ecclesie Dei in Capite & in membris*, eodem vitio laborat, quo cæterâ loca superius examinâ-

ta: citant enim Basileenses, eorumque Præses Julianus Cardinalis Decretum primum non Sessionis IV. sed V. quas, cum Author noster confuderit, mirum videri non debet, quod manuscriptos codices nobis objecerit: mirum tamen videbitur, si, postquam eos cum editis contulerit, & quandam Sessionem IV. habita sit, diligenter notaverit, eos obijcere perrexit: tunc enim non solum codices suos errasse, sed (quod longè ab ipsius mente alienum puto) eum quoque errare velle, & ex prædictis constabit, & ex codicibus Gallicis, quorum auctoritatem infringere non audebit, confirmari poterit.

37. Neque enim desunt manuscripti codices Gallici, in quibus Decretum primum Sessionis IV. sine clausula: *De reformatione*, exhibetur: præterquam enim, quod plures ex illis, quos ipse D. Maymbourg vidit, clausulam illam non continere, sciam, notum est, Parisijs asservari Manuscripta Authoris gravissimi, qui tum vivebat, cum Synodus Constantiæ celebrabatur, in quibus Decreta ex speciali Galliæ Legatorum relatione exhibentur, & sine mentione istius clausulæ posteriorum memoriæ consecrantur. Cum enim Auctor Decretum illud descripsisset, aliaque ad annum 1415. spectantia attulisset, subiungit: *Redeo ad Concilium Generale Constantiæ celebratum pro pace & unione Ecclesiæ, ut indicem res notatu digniores hujus anni, de quibus cum certitudine instructus fui per hujus Corona Legatos.* Ita Author in opere manuscripto, quod ante aliquot annos ex Bibliotheca Thuana Parisijs prodijt, & non semel, sed centies à D. Maymbourg in scriptis suis citatum fuit: adeoque, si dubium aliquod ex codicibus à me deductis hucusque habuerit, ex Manuscriptis, & editis codicibus Gallicis dubium suum auferre poterit, quinimò, nisi Legatorum Galliæ, qui Concilio Constantiensi adfuerunt, testimonium in dubium revocare velit, auferre debebit.

38. Ex quibus jam facile est, respondere ad exprobrationem illam, quæ in præsentis argumenti initio à Maymbourgo fuit opposita; quasi Emanuel à Schelstrate Acta Concilij Constantiensis & Basileensis, quæ plusquam à ducentis sexaginta annis pro verissimis habita sunt, inculpando de sui depravatione, atque adulatione, perperam niteretur in controversiam trahere eorundem legitimam & pacificam possessionem trium ferè sæculorum auctoritate firmatam.

39. Ad hanc, inquam, exprobrationem parata est responsio ab eodem Schelstrate sui de scriptis Constantiensibus tractatus pag. 8. reposita, quod nempe Acta & gesta Conitantiensis Synodi, quæ ex manuscriptis indubitata fidei codicibus adduxisset, veritatem contineant, quæ, Tertulliano lib. de præscript. teste, sempiterna quadam res est, cui nemo præscribere potest, non spatium temporum, non patrocina personarum, non privilegia nationum ei præjudicare possunt. Imò Acta, ex quibus Basileenses suam collectionem compilarent, nullibi repugnant cum ijs, quæ Schelstrate ex manuscriptis codicibus attulit, licetque confirmant potius, quod errores

in Acta, prout ex compilatione Basileensium posteritati tradita sunt, irrepserint: sicque cum S. Augustino enarrat. in Psal. 61. dicere licet, quod veritas quidem latere poterit, vinci non poterit. Quare juxta aliam Tertulliani regulam de præscript. dici oportet, in hoc etiam rei statu, id esse verum, quod est prius traditum, id verò extraneum & falsum esse, quod est posterius immissum.

40. Quà de causâ illud primum Sessionis quartæ Constantiense decretum sub hac verborum formula accipiendum est. *Primo declarat, quod ipsa Synodus in Spiritu sancto congregata legitime, Generale Concilium faciens, Ecclesiam militantem representans, potestatem à Christo immediatè habet, cui quilibet, cuiuscunque status, vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti schismatis.* In quo aded decreto expendendo, discussione singulari dignum occurrit; *Quomodo Synodus illa, cum non fuerit convocata per aliquem certum Papam, dici poterit in Spiritu sancto congregata legitime? Quomodo iterum esset Generale Concilium, Ecclesiam militantem representans? Quomodo asseverare poterit, sibi esse potestatem immediatè à Christo? Quomodo quilibet, etiamsi Papalis existeret potestatis, in his, quæ ad fidem & extirpationem schismatis pertinent, ipsi obedire teneretur? Quæ universa tum in proxima conclusione, tum in subsequentibus S. S. discutiemus.*

CONCLUSIO.

41. Constantiensis Synodus in statu *acephali* licet Concilij adhuc constituta, habebat potestatem *immediatam* à Christo. ad statuendum, quæ ad fidem ac extirpationem schismatis pertinebant.

Explicatur. Hæc equidem conclusio non caret difficultate propter ea, quæ in antecedentibus dixeramus de statu *acephali* Concilij, quod nempe tota ejus autoritas consistat ex jurisdictionibus Episcopalibus pro publico Ecclesiæ Bono in unum collatis, ex *intrinsicâ* tamen ratione suâ *transcendentali* coordinatis ad universale Bonum, adeoque pacem, ac tranquillitatem Ecclesiæ. Quandoquidem igitur jurisdictio Episcopalis *formalis*, & *actualis* immediatè derivetur ex Papalis potestatis plenitudine, Episcopos in Pastoralis sollicitudinis partem vocantis. Quomodo jam verificari potest, Concilij Constantiensis adhuc *acephali* potestatem in his, quæ ad fidem, ac extirpationem schismatis pertinebant, fuisse *immediatè* à Christo?

42. Difficultatem augere videtur, quod Author *Regalis Sacerdotij* cit. lib. 2. §. 9. post medium n. 2. disserit: *Si, inquit, objiciatur, Concilium Papæ oppositum, adhuc pollere auctoritate quasi Papali sibi à Christo immediatè collatâ, sicq; aded non esse corpus truncum, seu acephalum, cum habeat plenam, integrâq; potestatem.* Responderi debere; hæc utique dici, repetiq; sed nunquam probari, nec unquam fore probanda; quippe cum nec unus quidem sacra Scripturæ apex adferri possit, quod

quod hanc plenitudinem potestatis acceperit Concilium acephalicè sumptum; veluti patet ex sanctis Ecclesiæ Doctrinibus, & ex Concilio, ipsam quoque Constantiensi Synodo Sess. 8. ubi apicem potestatis à Christo in Papam, non in Concilium immediatè collatum legi: Petro namque, ejusque Successori, non Concilio dictum esse: *Tibi dabo claves Regni caelorum: super te aedificabo Ecclesiam meam: confirma fratres tuos: si amas me, pasce oves meas.* Quandoquidem igitur Jura nolint, Principis delegatam fidem haberi, nisi suæ delegationis tabulas ostendat; cum delegatio sit Facti. Cap. Cum in Jure. 31. ff. De offic. Deleg. Idcirco nobis credendum non esse, quod Concilio sit plena in Ecclesiam potestas à Christo delegata, nisi tabulas & chirographum Principis, verbum sacre Scripturæ exhibeat: & ideo nullum Concilium, sedente legitimo Papâ, hanc potestatem sibi usurpasset.

PROBATIO I.

In qua ostenditur, quomodo potestas Concilij Constantiensis in statu Papæ dubij fuerit immediatè à Christo.


43. Indubitatum namque est, potestatem Episcopalis characteris esse immediatè à Christo, in eoque radicatum esse jurisdictionem Pastoralem, nuncupari solitam radicalem in Corpus Christi mysticum, nempe Ecclesiam, ejusque fideles potestatem Spiritualem, seu Ecclesiasticam: ad quam Paulus Apostolus *1 Cor. 20.* volebat, intentos esse universos Ecclesiæ Præfules, dicendo: *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* In quantum ergo character Episcopalis immediatè à Christo, seu principali causa collatus, intrinsecum, ac essentialem habet ordinem ad Corpus Christi mysticum, in tantum Spiritus sanctus in vi ipsius Episcopalis characteris posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei: quemadmodum etiam vi characteris Sacerdotalis, quæ protenti super Corpus Christi mysticum, ut sic importat fori penitentialis propriam potestatem absolvendi à peccatis. At verò hæc ipsa Sacerdotalis à peccatis absolvendi potestas, in ordine ad peccata mortalia, ut fortiri valeat suum effectum, indiget quidem actuali, seu formali per Episcopum seu Papam concedendâ jurisdictione, & tamen absque hujus delegatione, seu collatione specificâ pro casu necessitatis prodire potest in effectum validæ absolutionis moribundo impendendæ. Sic proinde Pastoralis in characterè Episcopali radicata potestas, ex intrinsecâ naturâ suâ eatenus respicit Corpus Christi mysticum, Sanguine Christi redemptam Ecclesiam, ut in ordine ad actuale sui exercitium secundum viam ordinariam indigeat aliquâ sui morali actuacione, per jurisdictionem formalem & proximam à Papa derivabilem faciendâ. Nihilominus vi ejusdem characteris Episcopalis ex naturâ suâ intrinsecâ respicientis Corpus Christi mysticum, sicque ex substantiali suâ habitudine ordinati ad Universalis Ecclesiæ Bonum publicum, in casu extraordinariæ necessitatis, quæ maximè urget, dum nullum noscitur Ecclesiæ sanctæ Caput Occu-

menicum, pro tunc resultat obligatio providendi publico Ecclesiæ Bono, estque adeo vi ejusdem characteris Episcopalis, & in hoc radicata gubernativa erga Christi Ecclesiam potestatis libera & expedita Episcoporum, ut sic à Spiritu sancto pro Ecclesiastico regimine ordinatorum facultas, ad prospiciendum fidelibus, Ecclesiæque sanctæ in ijs, quæ fidem, ac extirpationem schismatis, atque Capitis certi provisionem concernunt. Quia proinde generalis quædam Episcoporum illo Christi characterè insignitorum, & in hujus à Spiritu sancto ad Ecclesiæ sanctæ regimen ordinatorum congregatio præsentabatur in Synodo Constantensi, ad schismatis, fideique errorum extirpationem coadunata, rectè dicitur fuisse congregata legitime in Spiritu sancto, à quo scilicet omnes illi Episcopi ad Ecclesiæ regimen, ejusque Bonum publicum erant ordinati, eratque proinde Synodi istius potestas immediatè à Christo, utpote coalescens ex Episcoporum ibi aggregatorum pro publico Ecclesiæ sanctæ Bono, nempe hæresum ac schismatis extirpatione in unum collatis à Christo eadem causâ primariâ, unâ & Spiritu sancto immediatè promanantibus characteribus.

PROBATIO II.

In qua ostenditur, quanta ex vi characteris Episcopalis à Christo immediatè competat potestas ad publicum Ecclesiæ regimen, & hujus Bonum universale, pro casu Papæ certi ac indubitati, suo tamen Pastoralis munere debite non fungentis.

44. EO ipso, quod Episcopi vi characteris à Christo immediatè accepti, sint à Spiritu sancto positi ad regendam Ecclesiam, ideoque pro casu necessitatis urgeat ipsos stricta & gravis obligatio ad providendum publico Ecclesiæ Bono, in gravissimum discrimen conjici solito ex hæresibus præcipue, dum Papa vel in his refellendis, seu perveris tranquillitatis publicæ turbatoribus coercendis, esset negligens, vel pravis suis exemplis alios facile traheret in perniciem tum animarum, tum cuiusvis generis pravæ machinationum. Idcirco pro eo etiam Ecclesiæ statu, quo certus ac indubitatus noscitur Papa, urgente præinsinuata, vel simili Ecclesiæ necessitate, obstruuntur Episcopi tam sigillatim, quàm collectim ad quævis remedia non equidem coactiva, utpote spheram inferioris authoritatis excedentia, sed directive ad excitandum Papæ officium, instando etiam, ubi opus fuerit, pro Concilij Oecumenici à Papa indicendi convocacione, aliaque opportunè præstando, quæ conducere videri possint ad Ecclesiæ mala averten-
dam, ejusque pacem & unitatem seu conservandam, seu restituendam.



S. III.

In quo examinatur Synodi Constantiensis Sessioe quarta editum primum decretum, quod scilicet de Concilij superioritate non aliter statuatur, nisi Papam superioritate non aliter statuatur, nisi sub restrictione ad statum Papæ dubij & incerti, ac tempus schismatis.

45. **A**udiamus hæc de re Emanuelem à Schelstrate præcitat Tractatus de sensu & autoritate decretorum Concilij Constantiensis disert. 1. cap. 3. ita differentem. Notaveram, inquit, in dissertatione mea cap. 1. art. 2. pag. 41. 42. & 43. quod post fugam Joannis Papæ XXIII. tres nationes credentes, solâ viâ coactionis schisma extirpari posse, tumultuosè concluderant, celebrandam esse Sessionem IV. tumque designaverant duo Decreta eadem Sessione publicanda, quorum primum agit de autoritate Constantiensis Concilij, cui quilibet, cujuscunque autoritatis, licet Papalis, obedire deberet in his, quæ spectant ad fidem, extirpationem præsentis schismatis, & reformationem Ecclesiæ in Capite & membris. secundum verò, quod quicunque, licet Papalis autoritatis exiit, hujus, live alterius Concilij Generalis statuti quoad prædicta obedire contumaciter contempserit, à Concilio puniri possit. & legitimæ poenitentiae subijci. Observavi insuper, his Decretis sese opposuissent Cardinales, aliosque, qui tam constantiter resisterunt eorum publicationi, ut consentientibus Nationibus, à primo Decreto ablata sit illa clausula: *Et ad reformationem Ecclesiæ Dei in Capite & in membris*; & secundum Decretum de autoritate coactivâ Conciliorum omnino omissum fuerit.

46. Neque hæc desumpseram ex suppositiis scriptis, seu dubijs quorundam testimonijs, sed ex manuscriptis indubitatae fidei codicibus, Acta Constantiensis Concilij hæcenus inedita continentibus, ex quibus quisque colligere poterat, Cardinales Capitulis Sessione IV. publicandis noluisse subscribere, quinimò die 29. Martij apertè declarasse Regi Romanorum, quod nolabant ad Sessionem IV. die sequenti celebrandam venire, nisi sub conditione: *Quod non fierent, neque statuerentur alia capitula, nisi capitula infra scripta*: cumque die 30. Martij horâ septimâ ante meridiem, convenissent in Palatio Episcopali Constantiensi, Domino Rege Romanorum, Dominis Cardinalibus, & Nationibus, fuisset plurimum super infra scriptis, & alijs capitalibus altercatum, tandem horâ circiter decimâ ante meridiem, inchoatâ jam Sessione, mediante Rege Romanorum, convenisse inter Dominos Cardinales, & Deputatos Nationum: *Divino flamine inspirante, in unam sententiam convenerunt, quod tantum capitula infra scripta in dictâ Sessione statuerentur*. Inter capitula autem inferiùs relata, est primum Sessionis IV. sine mentione: *De reformatione Ecclesiæ in Capite & in membris*, & non reperitur secundum de autoritate coactivâ Conciliorum, quo Pontifices quoad prædicta obedire detrectantes, legitimæ poenitentiae subijci possint.

47. Quod ex Regesto, hoc etiam constat ex Gestis Constantiensis Concilij, quæ referunt, non Cardinales tantum, sed Legatos quoque Regis Galliarum unum, idemque sensisse, nam inquit Gestis illa, quia die 30. Martij ante initium Sessionis Cardinalibus adhuc non fuerat plenè aperta materia agendorum in illa Sessione, nec etiam Ambassadoribus Regis Franciæ, præfati Cardinales, & Ambassadors erant deliberati, non interesse in Sessione, & licet Rex multum instaret apud Cardinales, quod interessent, tandem cum Prælati sederent in Concilio cum Mitris & Pluvialibus, Rex tractavit cum Cardinalibus, & per ejus medium adhibito quodam moderamine in expediendis in illa Sessione, Cardinales consenserunt interesse, & fecerunt, quod etiam intersuerint Ambassadors Regis Francorum, cum quibus Cardinales se conjunxerunt, & illi cum Cardinalibus. Ita Gestis ipsa Constantiensis Concilij, in quibus refertur, omissum fuisse tam articulum: *De reformatione, quàm secundum Decretum de autoritate coactivâ*, prout & duo ista inter Decreta Sessionis IV. in ipsè Gestis relata desiderantur.

Quibus præsuppositis, iterum descendere placeat in arenam certaminis inter dictum Schelstrate & Maymbourgum conditi.

Argumentum Maymburgi.

48. **A**uthor hic præf. hist. suæ pag. 250. ex præinsinuato per Regem Romanorum adhibito moderamine, argumentatur in hunc modum. Nempe quatuor articuli examinandi erant quoad dictum decretum. *Primus*; An Concilium recepisset immediatè à Jesu Christo potestatem, cui Pontifex ipse obedire teneretur in his, quæ spectant ad fidem, & extirpationem schismatis? *Secundus*; An in decreto poni deberet, quod spectat ad reformationem Ecclesiæ Dei in Capite & in membris? *Tertius*; An, quando Pontifex noller obedire, puniri possit? *Quartus*; An hæc omnia æquè bene intelligi deberent de omni alio Concilio Universali, ac de Constantiensi, quod tempore schismatis celebrabatur? Quantum ad primum omnes Nationes facile convenerunt, sed quantum ad alios tres, aliqui, & præcipuè Cardinales, qui volebant quoad hoc saltem Papæ gratificari, sese opposuerunt. Moderamen autem ab Imperatore Sigismundo repertum pro uniendis omnibus fuit, quod Decreto 1. Sessionis IV. non declararentur alij, quàm duo primi articuli, & quoad duos alios, de illis videretur postea, quid sequenti Sessione faciendum esset. Hoc manifestum fit ex Actis manuscriptis nostris, & Manuscripto ipsius D. Schelstrate, &c.

Responsio.

49. **E**manuel à Schelstrate cit. cap. 3. à pag. 54. reponit in hunc modum. Ponamus, Maymbourgum ex Manuscripto meo rectè deduxisse, quod moderamen à Rege Romanorum adhibitum in eo constiterit, ut in Decreto 1. Sessionis IV. statueretur, Concilium Constantiense à Deo potestatem accepisse, cui

quilibet, licet Papalis autoritatis, obedire reneatur quoad fidem, & extirpationem schismatis: ponamus quoque, duos ultimos articulos de potestate *coactiva*, & de autoritate Constantiensis Concilij alijs etiam Synodis Generalibus adjudicandâ, pro Sessione sequenti relictos fuisse. Ponamus demum, hæc planè constare ex Actis editis & ineditis, Manuscriptis Gallicis & Italicis. Hæcine placitis Illustrissimi Cleri Gallicani convenient, & ad confirmationem declarationis ipsius facient?

50. Dicat, obsecro, D. Maymbourg, si Decretum Sessionis IV. solum restringatur ad Concilium Constantiense, cujus tempore tres de Papatu contenebant, quomodo salvabitur articulus *secundus* à præfato Clero anno 1682. Parisijs editus, & *suprà* à nobis allatus, in quo dicitur, quod de autoritate aliorum Conciliorum Generalium intelligendum sit Decretum Sessionis IV. neque ab Ecclesiâ Gallicanâ probetur sententia eorum, qui illud ad solum schismatis tempus referunt? Si omnia Acta Constantiensis Concilij tam edita, quam inedita, tam Romæ, quam Parisijs asservata, à quatuor Protonotarijs Concilij Constantiensis conscripta, quam à Basilienensibus compilata innuant, Decretum IV. solummodo agere de autoritate Constantiensis Concilij tempore schismatis celebrati; quâ ratione, quo fundamento improbari poterit sententia illorum, qui illud ad solum schismatis tempus retulerunt? Quid hic ager D. Maymbourg? Quibus verbis articulum *suprà* dictum quoad Decretum Sessionis IV. salvabit? Ego sanè in dissertatione mea solum monstraveram, Decretum I. Sessionis IV. corruptum, ad manus nostras pervenisse, unde ad summum deduci poterat, ab Ecclesiâ Gallicanâ improbari non posse, qui illud, prout hucusque typis descriptum fuit, dubiæ autoritatis esse, judicant. At nunc ex omnium Manuscriptorum, & editorum codicum fide etiam constare dicitur, Concilium Constantiense *primo* suo Decretum Sessionis IV. non egisse de Conciliorum extra tempus schismatis celebratorum autoritate, unde sequitur, neque à Gallicana Ecclesiâ improbari potuisse eos, qui illud ad solum schismatis tempus referunt.

51. Quamvis autem vix dubitem, quin hæc perpensis, D. Maymbourg facile agnosceret, quod Acta à me allata causæ suæ minimè favent, non tamen sibi persuadere debet, quod ab omni difficultate sese extricaverit, dicendo: quod, etiam si verba illa: *Et ad reformationem Ecclesiæ in Capite & in membris*, non fuissent posita in Decretum I. Sessionis IV. id tamen nihil faceret ad punctum difficultatis, quandoquidem re ipsâ sint in Decretum Sessionis V. cum nihil referat ad validitatem Decreti, quânam Sessione statutum sit. Huic enim objectioni facile satisfieri potest, cum plurimum faciat pro confirmatione Decreti Constantiensis, quod Sessione V. potius, quam IV. editum sit; licet enim duæ illæ Sessiones ab una tantum ex tribus Obedientijs factæ sint, & in eo convenient, quod plenum robur habere non

possint; in eo tamen Sessio V. differt à IV. quod V. contradicentibus gravioribus de Obedientia Ioannis XXIII. Patribus, celebrata sit, ubi IV. consentientibus omnibus, habita fuit, ut *dissertatione sequenti* fusiùs ostendemus.

Nec quemquam posthæc reperendum puto, quin plurimum interesse iudicet, quod Decretum cum clausula *De reformatione solum* Sessione V. publicatum fuerit. Cum enim non agatur de Decretum Concilij Generalis, ad quod omnes fideles tenentur, sed de Decretum Concilij non Generalis, quod ob varias rationes in dubium revocatur, quod plures rationes militent contra illud, eò magis infirmari, necesse est. Ultra rationes autem, ob quas Decretum Sessionis IV. in dubium revocatur, reperitur contra Decretum Sessionis V. & illa de plurium Patrum contradictione: sicque Decretum, quia solum Sessione V. cum clausula *De reformatione* publicatum fuit, minime firmum & dici potest, & dici debet. Itaque non parum interest, quâ Sessione Decretum cum clausula *supradictâ* editum fuerit.

Ex ijs, quæ à Schellstrate hæctenus dicta fuerunt de decreto *primo* Sessionis *quartæ*, jam facile patet, quàm malè concluderit Maymbourg pag. 253. quod scilicet *ipse non debeat corrigere Concilium Constantiense juxta ea, quæ in Manuscriptis à dicto Schellstrate allatis reperuntur, sed hunc e contra debere textum juxta sua Manuscripta corrigere.* Hoc namque Maymbourg dictum quàm remotum est a vero, tam alienum est ab æquo, quippe Schellstrate ostenderit ex manuscriptorum indubitata fidei codicibus, & æqualium Scriptorum testimonijs, non solum dubium esse decretum *primum* Sessionis *quartæ*, sed etiam corruptum ad manus nostras pervenisse, adeo ut emendatione omnino indigeat, & quod factâ istâ emendatione, nihil planè ad Conciliorum Generalium, sed solum ad auctoritatem Concilij Constantiensis, tempore schismatis celebrati faciat.

CONCLUSIO.

Decreta Constantiensia *quarta* & *quinta* Sessionis de superioritate Concilij, uti re verâ sunt restricta ad tempus schismatis, & erga Papam dubium, ita si eorundem ulterior extensio prætenderetur, excipi posset; non esse decreta Oecumenica Concilij, ac Synodo Constantiensi nullam fuisse auctoritatem decernendi super Oecumenicâ Synodi, vel Papæ autoritate.

Explicatur. Quid enim interfit, ut ex fundamentis solidis à Schellstrate hæctenus deductis firmum ac fixum teneatur, *primum quartæ* Sessionis Constantiensis (nam de *quinta* Sessionis decretis examinandis *seq. disquis.* majora adhuc argumenta proferentur) coarctari ad tempus schismatis, atque ad statum Papæ incerti ac dubij, satis constat *ex antecedentibus*. Hoc enim principio firmato, Cleri Gallicani articulus *secundus* eo etiam ex capite

corruet.

corruet, quod super illis Synodi Constantiensis decretis fundet auctoritatem Conciliorum Generalium, quam tamen Vicario Christi nomine, Papæ proprio, non interveniente, minime dici posse Oecumenicâ, *superius* est probatum; acque adeo ex ipsis terminis redditur evidens, si decretum illud Constantiense sit restrictum ad tempus schismatis, sub quo nullus noscitur certus & indubitatus Papa, qui Concilio Generali impertiat suam Apolliticam auctoritatem Christi Vicariam, & Oecumenicam, nullatenus habere locum circa Concilia *completè* Generalia, ac *formaliter* Oecumenica. Quam etiam ob rationem merito improbat in dicto Cleri Gallicani articulo *secundo*, quod Synodum Constantiensem *absolute* & *simpliçiter* vocet Oecumenicam, utpote quæ sub illis præsertim IV. & V. Sessionis decretis eatenus delituebat characterem Papali, nomen Christi Vicarium in terris præferente, ut ex hujus ceu animæ Concilij, quæ Oecumenicè *formaliter* constitutivæ defectu, ad lumen quasi *materialiter*, vel etiam *dispositivè* denominari poterit seu Generalis, seu etiam Oecumenica, nec adeo, dum eidem non accessit auctoritas Pontificia, eorum confirmatoria, vim habere pollunt sanctionis Oecumenicæ.

PROBATIO I.

In quâ ostenditur, etiam præscindendo à manuscriptis codicibus ex Schelstrate adductis, & insitendo Basiliensium de Synodi Constantiensis Actis compilationi, nec non Cleri Gallicani verbis *secundo* suo articulo expressis, adhuc evinci, quod decreta IV. & V. ejus Concilij Sessionis sint restricta ad tempus schismatis, & ad statum Papæ dubij.

55. Tenim prætaxatæ Sessionis IV. proloquium extat hæc verbis conceptum: *Hæc sancta Synodus Constantiensis, Generale Concilium faciens, pro extirpatione præsentis schismatis, & unione ac reformatione Ecclesiæ Dei in Capite & in membris fensâ, ad laudem Omnipotentis Dei in Spiritu sancto legitimè congregata, ad consequendum facilius, securius, liberius, & uberius unionem & reformationem Ecclesiæ Dei, ordinat, disponit, statuit, decernit, & declarat, ut sequitur.*

56. Sub quâ verborum formulâ disquirere inprimis lubeat, cum Sessionis *Quarta* ac *Quinta* Decreta sint concepta, postquam Ioannes Papa suam Papatûs cessionem jam fecerat, sed penitentia ductus, Constantiâ clam recesserat, nec adeo quisquam seu certum, seu etiam dubium Apostolici Pontificatus characterem Christi Vicarium præferens intervenerat, quomodo ea Synodus pro tali statu in Cleri Gallicani Declaratione dici poterit Oecumenica, quippe cum istius forma sit ex nomine seu characterem Christi non *per se corporaliter*, sed *per Vicarium suum* interris visibilem præfidentis? Verùm illius dubij reolutio est in promptu, si expendatur, Synodum illam Constantiensem in præfato proloquio in tantum dicere, se pro extirpatione præ-

sentis schismatis, & unione ac reformatione Ecclesiæ Dei in Capite & in membris facere Generale Concilium; ut per hoc manifestè supponat, Synodum ejusmodi pro tali statu substituisse absque certo Capite, imò ad certum Ecclesiæ Caput constituendum, in Spiritu Sancto legitimè congregatam esse. In aperto igitur est, Decreta ejus Synodi pro tali statu condita, non habere locum, nisi in casu schismatis, seu de Ecclesiæ legitimo Capite dubietatis statu. In qua adeo rerum peristati Synodus Constantiensis faciebat Generale Concilium non in *statu consummato ac perfectò*, utpote Vicarium Christi characterem exigente, sed in *statu tendentiæ* ad consequendam unionem ac reformationem Ecclesiæ in membris, & Capite primùm constituendo: sub quâ proinde tendentiâ ita erat Synodus illa legitimè in Spiritu sancto congregata, ut ejus tamen quæ Concilij Oecumenici perfectio, & omnimoda infallibilitas minime subsisteret, quousque tandem supervenisset Vicarius Christi character, Decreta ab ea Synodo condita approbans, suaque municiens auctoritate.

57. Neque verò ista Pontificiæ Christi Vicariæ auctoritatis adjectio latius extendenda est, quàm ipsa Decretorum formula disertis verbis præ se ferat. Sic igitur se habet istius *Quarta* Sessionis præinsinuatam Decretum: *Ipsa Synodus in Spiritu sancto congregata legitimè, Generale Concilium faciens, Ecclesiam Catholicam Militantem representans, potestatem à Christo immediatè habet, cui quilibet, cujuscunque status, vel dignitatis, etiamsi Papalis ex stat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem & reformationem Generalem Ecclesiæ Dei in Capite & in membris.*

58. Circa quod proinde Decretum liquidò constat, esse editum pro statu, in quo non erat certum Ecclesiæ Caput. Quomodo igitur Ecclesiam Catholicam non ex membris dumtaxat, sed etiam ex Capite visibili, quo Ecclesia Militans, quoad certitudinem saltem, delituebat, constantem pro tunc representabat? At sicuti Synodus illa non erat in *perfectò* Concilij Oecumenici statu, sed erat in *statu tendentiæ* ad hujus ex Capite Christi Vicario characteris perfectionem; sui que cum legitimo tandem Capite unionem consequendam, sic universalis Ecclesiæ representatio nondum erat *consummata*, sed ejus consummatio quærebatur ex schismatis extirpatione, generali que Ecclesiæ Dei in certo Capite & membris reformatione. In quo proinde statu, clarum est, loqui Decretum: unde sicut nullus dignitatis Papalis characterem cum certitudine saltem præferens tunc existerat, sic Decretum illud nequit intelligi, quod afficiat verum ac certum Papam, quippe cum diserte dicatur, omnem cujuscunque, etiamsi Papalis existat, dignitatis, teneri ad obediendum in his, quæ ad extirpationem schismatis, & generalem in Capite & membris Ecclesiæ reformationem etiam pertinent. Cujusmodi adeo restrictiones aliud non respiciunt, nisi perturbatum illud ex Capitis incertitudine resultans tempus.

59. Et licet fidei dogmatum in Synodo illâ Constantiensi faciendorum obedientia sub eo Decreto exigatur etiam à Papa, uti tamen Synodus illa, sic ejus quoque sanctiones Dogmaticæ pro tunc erant in statu tendentiæ, per characterem Christi Vicarium in terris, haud certò tunc subsistentem, sed ipsiusmet Concilij in hunc finem legitime in Spiritu sancto congregati autoritate, tandè consequendum, quo superveniente, in his, quæ ad fidem pertinent, eatenus succedebat sanctionis dogmaticæ consummatio, ut omni, etiam si Papa lis existat dignitatis, sit in eis obediendum. Cujus tenoris sunt etiam Decreta *Quintæ Sessionis*, uti clarè patet legenti, diserteque in horum prologo dicitur: *Synodus Constantiensis, Generale Concilium (tunc inchoativè, postea autem per certi Vicarij Christi characteris accessum consummativè) faciens, legitime in Spiritu sancto congregata pro extirpatione schismatis ac unione, & reformatione Ecclesiæ in membris & in Capite: ad quem etiam finem, ibidem asseritur, ordinari subsequenti Decreta, ut hinc prorsus manifestum evadat, istas ordinationes esse ad hujus finis mensuram restrictas, ac ordinatas ad eam Oecumenicæ sanctionis consummationem, quæ non nisi ex Summi Pontificis, ad quem constituendum collimabat ea Synodus, mediante Vicario Christi characterè obtinenda esset. Iuxta quem adeò sensum accipi quoque debere dictam Cleri Gallicani Declarationis articulum secundum, liquido constat ex ejusdem verbis proprijs, utpote quibus Synodi Constantiensis Decreta non aliter, quam ex Sedis Apostolicæ, atque adeò Summi Pontificis postea subsecuti comprobatione dicuntur, valere tanquam Oecumenica, siquæ immota subsistere.*

PROBATIO II.

In quâ ostenditur, Concilium Constantiense pro statu IV. ac V. Sessionis non fuisse *strictè*, ac *formaliter* Oecumenicum, seu Generale, nisi cum addito diminutivo *materialiter*, ac *dispositivè*.

60. EX dictis superius constat, quomodo Concilium dici possit Generale secundum denominationem generalitatis tum *formalis*, tum *materialis*. Generalitas *materialis* importat quandam coactionem Episcoporum ex universo Christiano orbe convocatorum, quorum character Episcopalis importat quidem aliquid etiam de *formali* erga universale Ecclesiæ sanctæ regimen ordine quasi *radicali* & *transcendentali* in Ecclesiæ publicâ necessitate, sub schismatis præcipuè tempus ad debitam provisionem universos Episcopos tam *sigillatim*, quàm *collectim* constringente, ita tamen, ut ejusmodi regiminis Ecclesiastici ordo hierarchicus in characterè Episcopali fundatus, nullatenus protendi valeat super Papæ autoritate Oecumenicâ, quin potiùs ista super illius tam aduactione, quàm exercitio *moralis* extendatur. Quamdiu ergo Concilium constat ex

solis Episcopis, quantumvis ex toto Christiano orbe essent convocati, nequit dici perfectè Oecumenicum, vel Generale, nisi vel *materialiter* duntaxat, vel secundum quandam adhuc incompletam *formalem* generalitatis, quæ characteri Episcopali inexistens, sed quoad sui aduactionem & moralitatem omnimodam supremo Ecclesiæ Capiti Romano Pontifici subordinatæ denominationem: siquidem ex *Matth. 18. capite* si pius jam fuerit à nobis ostensum, quomodo neque prima Concilij Oecumenici ratio subsistat, nisi ex Vicario Christi nomine, Papæ in terris proprio, neque præminencia consummata in fidei dogmatibus decidendis infallibilitatis locum habeat, nisi ad hierarchici Ecclesiæ Corporis Decretum Conciliare accedat Capitis consensu; neque *indefinita* Papali autoritati compar ligandi & solvendi autoritas Apostolis *collectivè* sumptis pro perpetuo Ecclesiæ statu promissa, competere possit Concilio, nisi quæ indivisibiliter & Papam, & Apostolorum in Episcopali characterè successores *collectim*, & in unam Synodum aggregatos complectenti. Quàm parum ergo corpus organicum hominis dici potest humanum, nisi *materialiter* & *dispositivè*, quamdiu ipsi deest anima, seu forma in Esse humani corporis *essentialiter*, ac *formaliter* constitutiva: sic neque Concilium potest *completè*, ac *formaliter* Oecumenicum, seu *generale* denominari, nisi Ecclesiæ Corpus hierarchicum ex Episcopis ac Præsulibus Ecclesiæ in Synodo aggregatis consistens, sit unitum Romano Pontifici seu suo, & sanctæ Ecclesiæ Capiti Universali ac Oecumenico. Quandoquidem igitur Concilium Constantiense pro statu schismatis, & Papæ dubij perinde habendum fuerit, ac si nullius eidem interesset verus Papa, Capitis Oecumenici characterem præferens in facie sanctæ Ecclesiæ, in ò tempore IV. & V. Sessionis ne dubij quidem Papæ character intervenerit, quinimò, ne quidem Episcopi dubiorum Paparum obedientijs diversimodè additi, universi ibi adhuc præterites extiterint, meritò jam sciscitari licet, quomodo pro tali statu Synodus illa uti potuerit titulo Generalis Concilij, nisi quoad generalitatem quasi *materialem*, & *incompletè* duntaxat *formalem*, quæ Episcopali characteri inistam, subsistentem pro tunc sub statu tendentiæ, tum ad omnimodam *materialem* ex duorum Paparum obedientijs coactionem, tum ad perfectam ex Papa certo sufficiens, suisque Conciliaribus Decretis accessuro substitutam *formalem* generalitatem. Sub cuiusmodi adeò restrictione poterat eadem Synodus pro eo statu dici repræsentans Ecclesiam Catholicam militantem, quatenus scilicet Ecclesiæ hierarchicum, sed incompletum & Capite certo destitutum corpus repræsentabat sub ordine tendentiæ ad istam sui ex Capite integritatem recuperandam.

§. IV.

Corollarium.

Operæpretium ducò, ut coronigis loco hîc examinetur, quòd Maymbourgus pag.

217. &

217. & 254. scriptis de Concilio Pisano, ac si quaestionem de auctoritate Synodi Generalis supra Pontificem decidisset pro Concilio. Ita enim iste Author trad. sui hist. cap. 21. cit. pag. 217. scribit de Concilio Pisano. Celebris Doctor Petrus Plaouft unus ex Deputatis Universitatis Parisiensis, quæ tunc maximi apud omnes fiebat, habuit in plena Congregatione longam & doctam orationem, in qua pluribus rationibus probabat, Ecclesiam universalem, & consequenter Concilium generale ipsam repræsentans, esse supra Papam, adjungendo, hæc esse sententiam Universitatis Parisiensis, & cæterarum omnium Universitatum Galliarum. Vix è cathedra descenderat, cum Episcopus Novariensis eam ascendit, & legit altâ voce scriptum, quo declarabatur, centum & tres Doctores, & Licentiatos in Theologia ex ijs, qui Deputati erant ab Universitatibus, convenisse de mandato Cardinalium, ut deliberarent super hæc materiâ, quodque omnes communi voto amplexi essent sententiam Universitatis Parisiensis. Asseverabat enim, quod præter Universitates Galliarum, ita quoque sentiret celebris Universitas Bononiensis, cuius litteræ habebantur, & Universitas Florentina, quæ sententiam suam dederat in scripto a 120. Doctoribus subsignato. Hæc D. Maymbourg ex Actis Pisani Concilij, prout edita fuerunt tomo XI. Conciliorum Philippi Labbei, & tomo VI. Spicilegiorum Lucae d'Acherij, quorum Authorum editiones citat pag. 216. in margine.

62. Cui proinde Maymbourg oppositioni solidis rationibus occurrit Schellstrate; prius tamen, quam de re ipsa iudicet, adferens illas Concilij Pisani editiones inter se plurimum discrepantes. Nam prior minus correctæ, à Philippo Labbeo ex alia anteriori editione Parisiensi exhibita, refert de Petro Plaouft, quod anno 1409. die 29. Maij orationem habuerit, quâ mentem suam de iupremâ auctoritate Ecclesiæ in publicâ Congregatione exposuit, sed addit, quod post orationem attulerit opinionem Universalitatis Parisiensis: Et postmodum posuit opinionem Universitatis Parisiensis, videlicet, quod Petrus de Luna est schismaticus pertinax, & hereticus, etiam accipiendo hæresim propriæ & Iriacæ, præcisus, ab Ecclesia Dei, ejedus à jure Papatus, & privatus, ac per Concilium de factis tanquam talis ejiciendus & privandus, & hæc declaravit pluribus rationibus. Et subiunxit, quod de eadem opinione erant Universitates, Andegavensis, & Tholosana. Ipso autem descendente de Cathedra, ascendit quidam Episcopus Italus, qui opinionem tredecim Magistrorum, & plurium Licentiatorum, & Baccalaeorum Formatorum, ac Universitatis Bononiensis in quadam scheda publicavit, quæ est conformis opinioni Universitatis Parisiensis. Ita Acta Pisana prioris editionis, quæ Lucas D'Acherius his verbis to. VI. Spicilegiorum integrè reddidit ex tribus codicibus Bibliothecæ Gemmeticensis,

63. Decima tertia Sessio fuit die Mercurij 29. Maij, quæ fuit in septimana Pentecostes, in qua post Missam & Invitatus Magister Petrus Plaouft pro Universitate Parisiensi dixit, & declaravit, opinionem

Universitatis esse, istos duos contendentes debere reputari schismaticos, & antiquati schismatis nutritores, & hereticos pertinaces, firmans auctoritatem Concilij ad decidendam hæc causam, & declarandum, eos esse ab Ecclesia præcisos & abjectos, & eos, quantum opus est, abjiciendos &c. sumens thema suum: Congregabuntur filij Juda & Hierusalem, & ponent sibi caput unum. . . Postea immediatè unus Episcopus Italus, dictus Novariensis, legit quandam schedulam facientem mentionem, qualiter secundum ordinationem Dominorum Cardinalium per D. Cardinalem Mediolanensem fuerunt simul congregati omnes Magistri in Theologia, & Licentiati, & Baccalaei Formati, qui ad dictum Concilium de multis partibus & Universitatibus convenerunt, & inter eos fuerat plena deliberatio super istâ materiâ, & postea in eadem opinionem convenerunt, & concordantes fuerunt, videlicet quod dictos ambos contendentes tenent schismaticos & hereticos pertinaces &c. ut supra. Et omnium & singulorum nomina recitavit, quorum multi sunt Episcopi & Prælati, & faciebant omnes numerum centum & trium. Item postea dixit, quod in eadem opinione fuit Universitas Florentina, in qua fuerunt centum & viginti Magistri subscripti. Idem etiam deliberavit Universitas Bononiensis, quæ de hoc misit litteras. Idem Universitates, sive studij, Aurelianiensis, & Andegavensis & Tholosana per suos Ambassiatores ibidem. Hæc omnino sunt Acta Pisana, quibus usus est D. Maymbourg, ut probaret, Universalitatem Parisiensem, juxta Petrum Plaouft, sententiam tulisse pro auctoritate Concilij supra Pontificem, ejusdemque opinionis fuisse alias Universitates ab Episcopo Novariensi allatas.

Illatio.

64. EX Concilij Pisani Actis præallegatis nullatenus constat, Universalitatem Parisiensem egisse de auctoritate Concilij supra indubitatum Pontificem, sed solum de tempore schismatis statuisse; velut ostendere pergit præcitatæ Schellstrate cit. cap. 1. à pag. 69. Id Acta, inquit, prioris editionis expresse innuunt, dum his verbis referunt Universalitatis Parisiensis opinionem: Quod videlicet Petrus de Luna est schismaticus, pertinax, & hereticus præcisus ab Ecclesia Dei, & ejedus à jure Papatus, ac per Concilium de factis privandus. Acta correctiora per Lucam D'Acherium edita testantur non solum de Petro de Luna, sed de duobus contendentibus Universalitatem Parisiensem sensisse: Debere reputari schismaticos, & antiquati schismatis nutritores, & hereticos pertinaces. Hæc & non alia in Actis Pisani Concilij dicitur Parisiensis Universalitatis sententia per Petrum Plaouft allata, ut videre non possim, undenam D. Maymbourg habuerit, Universalitatem Parisiensem egisse de auctoritate Concilij supra verum, & indubitatum Pontificem. Quo loco enim id habent Acta Pisana? Quibus verbis id testantur? A quo tempore id in memoriâ prodiderunt? Quandonam id in illis legi cœpit?

65. Ante paucos sanè annos nondum id habebant, neque id in ijs legerat Auctor ille, dum libro de magno schismate Occidentis, historiam

riam Pisani Concilij exponendo retulit de Petro Plouff. *Declarabat & confirmabat opinionem Universitatis, quod nimirum duo contententes haberi deberent pro veris schismaticis, qui nutriebant infortunatum illud schisma; quin & pro hæreticis, destruendo, quantum poterant, articulum Symboli, quo unitas Ecclesie creditur; & conclusit demum, quod Concilium illos pro talibus habere, excommunicare, & deponere debebat de Papatu, de quo per schisma & hæresin jam exciderant.* Hæc tunc D. Maymbourg, quæ cum ipsis Actis conveniunt, & ex adverso pugnant cum ijs, quæ in recentiori suo tractatu de sensu Universitatis Parisiensis adduxit. Unde pater profecto, Auctorem illum contra fidem Actorum Pisani Concilij scripsisse, quod inter cæteras Gallie & Italiae Universitates de illa questione conveniret, cum de ea ab illis tunc actum non fuerit.

66. Neque ad rem facit, quod Concilium Pisani de duobus contententibus sententiam tulerit, prout D. Maymbourg ex Joanne Launoio, quem ubique in tractatu suo historico secutus est, objicit. Quamvis enim notet ex eisdem Launoij Epistolâ ad Henricum Barrillonium, Concilium Pisani sententiam tulisse conformiter ad Decretum, quo antea definiverat, sese repræsentare Universalem Ecclesiam, & supremum, ac unicum in terris Judicem habendum esse, ad quem hujus causæ judicium spectabat, sicque depositi fuerint duo de Papatu contententes, quorum unus verus Pontifex erat: negari tamen non potest, quin de singulorum Pontificatu plures dubitarent, indeque neuter contententium pro certo à totâ Ecclesiâ agnosceretur. Et hoc est, quod Universitas Parisiensis in datis anno 1394. ad Carolum Francorum Regem litteris respondit ijs, qui partium studio ducti, unum pro certo & indubitato Pontifice ab omnibus haberi volebant, eoque modo Pontificem suum à judicio Synodi extimere studebant: *Sic certum, inquit Universitas, videte, ne verbo abutimini, qui id certum appelletis, de cuius obscuritate, atque ambiguitate tanta semper fuit, & est apud tantam fidelium portionem contentio.* Ponamus itaque, Pontifices, quos tempore schismatis Romana Ecclesia secuta est, fuisse veros Pontifices, non tamen apud omnes de ijs constabat, & aliæ obedientiæ illos non agnoscebant, unde certi & indubitati tunc dici non poterant: quod etiam in causa fuit, quod plures Orbis Catholici Provinciæ cum Collegio Cardinalium, & Patribus Pisani Concilij, tam ei, cui Romana Ecclesia tunc parebat, quam ejus Competitori obedientiam subtraxerint, & ipsum Pisani Concilium de duobus contententibus, tanquam de dubijs Pontificibus sententiam tulerint.

67. Falsum itaque est, in Synodo Pisana actum fuisse de indubitato Pontifice: falsum, questionem de superioritate Concilij supra certum & indubitatum Pontificem ibidem decisam fuisse, & de ea Parisiensem Universitatem tunc egisse. Utriusque sanè Obedientiæ Cardinales in illis litteris, quibus anno 1408. Gregorium X. ad Concilium Pisani convocavit,

adducunt conclusiones Universitatum Parisiensis & Bononiensis, in quibus solummodo mentio fit questionis de auctoritate Concilij supra duos de Papatu contententes, de quibus propter dubia Facti & Juris ignorabatur, uter verus Pontifex censendus erat. Unde quia illarum Universitatum conclusio fuit: *Quod stante dubio Papatus inextricabili propter dubium Facti & Juris, ne in subversionem fidei Ecclesia sic remaneat divisa perpetuo cum tanto scandalo, & animarum perditione, provisio spectat ad Concilium & Ecclesiam Universalem, ut utrumque, eis non cedentibus, possit à Papatu ejicere.* Ita Universitates Parisiensis & Bononiensis in conclusionibus, quæ ad unam usque agunt de casu duorum contententium tempore schismatis, ut videre licet in Cardinalium litteris apud Lucam D'Acherium tomo. V. Spicilegiorum editis, & à Philippo Labbeo iterum excusis.

Quamvis autem nunc communiter admittatur in scholis, Concilium tempore inveterati schismatis judicare posse de Pontificibus dubijs, & in tempore Concilij Pisani in sententiam illam Italiae & Gallie Universitates propenderint; voluit tamen Concilium Pisani ulterius inquiri, an duo contententes non solum tempore schismatis viverent, sed ipsius schismatis nutritores, & veri hæretici contentendi essent? Cum enim quisque propter hæresin extra Ecclesiam, vel, ut cum Paulo loquar, *foris constituitur*, & inter omnes conveniret, hæreticum ipso factò ab Ecclesia præiudici; voluit Concilium Pisani inquiri, an dubij illi Pontifices hæretici reputandi essent, ut sub illo etiam titulo tantò certius à Papatus regimine ejicerentur, quantò magis inter omnes constabat, Pontifices à fide devios omnijure Papatus destitui, & re ipsâ privatos censeri.

Tantæ molis erat, tempore Pisani Concilij sententiam ferre in dubios Pontifices, quos tanquam de Papatu colludentes, & articulum fidei de unitate Ecclesie non quidem dogmatizando, sed operando, destruentes, ab omni dignitate Ecclesiasticâ excidisse, Synodus judicavit; cuius tamen judicio non acquievit totus Orbis Catholicus, cum plures Provinciæ Gregorium & Benedictum sequi perrexerint, & viri doctissimi sententiam hujus Synodi revocârunt. Nolim hic repetere, quæ Salmanticensis Universitas cum Hispaniarum Ecclesijs pro Benedicto XIII. allegavit, neque quid alij ex Obedientia Gregorij XII. contra Synodum Pisani scriptum reliquerint. Videri potest Divus Antoninus Archiepiscopus Florentinus, qui parte 3. *Chronicorum* titulo 22. cap. 5. §. 2. uti & in alijs locis omnino contendit, Gregorium malè hæreseos accusatum fuisse, & ideo non immeritò ab illo Joannem Dominicum missum fuisse ad Sigilmundum Imperatorem: *ut cum eo secretè tractaret de modo tenendo in congregando Concilium aliud: ubi ex toto auferretur schisma, quod ubi per Pisani Concilium, vel Conciliabulum (cum hoc non esset auctoritate alicujus eorum, qui se gerebant pro Pontifice, congregatum) non erit ablatum*

tum ipsum schisma, sed augmentatum, ex duobus, tribus jam pro Papa se gerentibus.

65. Dicit D. Antoninus, per Pisanum Concilium schisma non extinctum, sed adauctum fuisse, eò quòd, ubi ante illud duo duntaxat de Papatu contendebant, post electum in eorum locum Alexandrum V. tres de Papatu contententes apparuerint: ita ut de Occidentem tunc dici potuerit, quod Magnus Hieronymus epistolâ ad Damasum olim de schismate Orientali scriptum reliquit: *Vetustis Occidentem populorum furore collisum, indiscissam Domini tunicam minutatim per frustra discerpisse.* Dicit potuit, post Pisanum Concilium minus inter multos constituisse, apud quem incorrupta Petri servaretur successio: licet namque Benedictus, Gregorius, & Ioannes cathedram Petri suam esse dicerent, & unaquæque Obediencia se Petri Successorem sequi assereret, ob dubium tamen *Facti & Iuris* super Papatu, plures Catholici de tribus contententibus accipere fuerunt. Unde ipsum Constanriense Concilium nunquam induci potuit, ut unum ex illis tanquam indubitatum Pontificem toti Ecclesiæ proponeret, sicut ex Actis & Gestis ipsius statim citandis constat.

DISQUISITIO VII.

Quantum pro Concilij supra Papam superioritate probanda, valeat, decretum Concilij Constantiensis Sessione V. editum?

§. I.

1. AD præsentis ac præcedentis disquisitionis statum melius intelligendum, haud parum conducit, nôsse historicam rei seriem, quæ decretis tum IV. tum V. Sessionis in Concilio Constantiensi ansa & occasio fuit, ex authenticis manuscriptis codicibus descripta à Schellstrate in *suo de eisdem decretis tractatû compendio Chronologico.* Nempe Clemens V. in Romanum Pontificem electus, Sedem Apostolicam anno 1305. translulerat Avenionem: sed Gregorius XI. anno 1378. rediit ad Urbem, ubi cum fati functus esset, Cardinales ad instantiam plebis, Papam Italum petentis elegerunt Archiepiscopum Barensis, qui se Urbanum VI. nominavit, Cardinales verò Galli, cum tribus Italis, prætexendo, ac sille fuisset per metum electus, Fundis congregati elegerunt Robertum ex Comitibus Gebenensibus, qui Clementis VII. nomen assumpsit, Cathedramque transfusa Avenionem transferre conatus est. Ex pluribus M. SS. Codd. Bibliotheca Vaticana, & Actis Pisani Concilij editis tom. 6. *Spicilegiorum* Lucae d' Acherij, & tomo XI. *Conciliorum* Philippi Labbei.

2. Ex horum duorum electione ortum habuit magnum & horrendum schisma, cui nullum simile fuit neque temporis diuturnitate, neque causâ & rei dubietate, neque Reg-

norum & Provinciarum divisione. Clementi enim VII. adhererunt omnes Gallia ab Alpibus inclusivè, usque ad Belgium, & Oceanum Britannicum, Scotia, Hispania cum Insulis eidem subditis, Cyprus, Rhodus, & Iannua. Urbano autem paruerunt reliqua Regna & Provinciae, Italia nimirum cum suis Insulis, Germania, Belgium, Bohemia, Hungaria, Polonia, & Anglia. Ex *appendice ad Constantiense Concilium* tomo XI. Philippi Labbei, & plusquam sex manuscriptis Bibliotheca Vaticane codicibus.

3. Mortuo Romæ Urbano VI. à Cardinalibus istius Obedienciae quarto Nonas Novembris electus est in ejus locum Bonifacius IX. cui anno 1404. successit Innocentius VII. qui, unâ cū Cardinalibus in Conclavi existentibus, se se juramento adstrinxerat ad cedendum Papatu, quoties alterius Obedienciae Pontifex idem faceret. Quòd juramentum præstitit quoque Innocentij Successor Gregorius XII. Anno 1406. mense Decembris in Pontificem electus, sicut & præstitit Avenione Petrus de Luna Benedictus XIII. in Clementis VII. Successorem anno 1394. substitutus. Ex Actis Pisani Concilij, Leonardo Aretino, & Theodorico Niemi Scriptoribus contemporaneis.

4. Gregorio XII. & Benedicto XIII. promissionem cedendi Pontificatui non adimplentibus, Cardinales utriusque Obedienciae ab ijs recesserunt, & duos illos de Papatu contententes ad Concilium pro extirpatione schismatis, & unione Ecclesiæ anno sequenti habendum evocarunt. Ex Actis Pisani Concilij tom. 6. *Spicilegij* Lucae d' Acherij, & tomo XI. *Conciliorum* Labbei editis, ubi ipsa Cardinalium epistolæ hæc de re Liburni hoc anno editæ exhibentur.

5. Benedictus XIII. post subtractam sibi per Gallia Regem obedienciam fugit in Aragoniam ad Perpignianum, & se se Concilij iudicio subiectum non esse, respondit. Gregorius verò XII. Senas retrocessit, ad se Concilij convocationem spectare constanter asseruit, ipsosque Cardinales ad aliud Concilium in Provincia Aquilejensi evocavit. D. Antoninus *par. 3. Chron. tit. 22. §. 3.* & hujus *Tract. Dissert. 2. cap. 2.*

6. Celebratur ab utriusque Obedienciae Cardinalibus Pisanum Concilium, in quo tantum abest, decisam fuisse quaestionem de superioritate Concilij, ut ne quidem decisa fuerit quaestio de autoritate Concilij supra Papam tempore schismatis. Licet enim Universitatum Parisiensis, & Bononiensis sententia esset, quòd, *stante dubio Papatus inextinguibilis propter dubium Facti & Iuris*, provisio spectet ad Concilium, & Ecclesiam universalem; Patres tamen Pisani non ausi fuerunt hoc titulo duos de Papatu contententes deponere, sed voluerunt primùm probari, Gregorium & Benedictum ad invicem colludere, & non quidem docendo, sed operando contra articulum Symboli de una Ecclesia Catholica, schisma fovere, eosque proinde tanquam schismatis nutritores, & veros hæreticos censeri debere. Ex Actis Pisani Concilij à Notarijs conscriptis hætenus non

P p

non

non editis; uti ex Actis tom. 6. Spicilegiorum Lucæ p' Acherij, ac tomo XI. Conciliorum à Philippo Labbeo editis, ex quibus ultimis id ipsum traditur ab Auctore magni schismatis Occidentis ad hunc annum. Vide *Dissertationem nostram 2. cap. 1. art. 1.*

7. Die 5. Junij Sessione 15. Patres Pisani visis, & diligenter inspectis omnibus & singulis productis, probatis & agitat in præseni causa, habitaque prius inter se ipsos, & demum cum copiosa multitudine Magistrorum in S. Theologia, atque utriusque juris Doctorum pluries diligenti collatione, tandem deliberatione maturâ in prædictos tanquam de Papatu colludentes, schismaticos, & veros hæreticos sententiam depositionis pronuntiant, & die 26. Junij Cardinales in eorum locum eligunt Petrum de Candia, Ordinis Minorum, qui se Alexandrum V. nominavit. Ex Actis Pisani Concilij editis & ineditis.

8. Depositis in Concilio duobus contendentibus, & in eorum locum suffecto Alexandro V. schisma non extinctum, sed adauctum fuit, nihilque aliud Patres Pisani assecuti sunt, quam ut duobus de Papatu contendentibus tertium adjecerint. Non obstante enim dictâ depositione, Benedicto adhæserunt Regna Scotiæ, Navarræ, Castellæ & Arragonum cum Sardinia, Majorica, & Canarijs Insulis, aliisque terris tam Regi Arragonum, quam Comitibus Fuxi, & Armeniaci subiectis: Gregorio verò XII. dudum post Pisani Concilium paruerunt Regnum Sicilia, & Regnum Neapolitanum, & usque ad Sessionem XIV. Constantiensis Concilij in ipsius obedientia fuerunt Carolus de Malatestis cum Romanodiola, Duces Bavarix, cum pluribus Episcopis Germaniæ, ultra plures timoratos, qui Gregorium usque ad cessionem Papatus pro vero Pontifice habuerunt; ut testis est D. Antoninus Archiepiscopus Florentinus par. 3. Chron. tit. 22. ubi affirmat, Gregorium XII. non colluisse, nec schismaticum, aut hæreticum fuisse. Vide *Dissertationem 2. cap. 1. art. 1. infra.*

9. Mortuo Alexandro V. ab ejus Obedientia Cardinalibus in Pontificem eligitur Balthasar Cossa Legatus Bononiensis, qui Ioannis XXIII. nomen assumpsit, & cum Imperatore Sigismundo Laudam anno 1413 convenit, ubi pro extirpatione schismatis, & unione Ecclesiæ Concilium Constantiense ad annum sequentem convocavit. Ex Bulla convocationis Sessione 1. Constantiensis Concilij.

10. Ioannes die 28. Octobris publicè Constantiam intravit, & 16. Mensis Novembris primam Sessionem habuit, in qua nihil omninò actum est de materia unionis, sicut nec post illam Sessionem usque ad finem Ianuarij anni sequentis, quia apud aliquos erat morbus: *Noli me tangere*, ut testantur Gestas Constantiensis Concilij in quatuor manuscriptis codicibus, quibus consonant ea, quæ edita sunt à Philippo Labbeo in *Appendice.*

11. Die 19. Novembris ante valvas Conventus Augustinianorum, qui pro habitatione Legatorum Gregorij XII. parabatur, affiguntur insignia, vulgò Arma, ejusdem Pontificis, quæ sequenti nocte de mandato forsan Io-

annis XXIII. amota fuerunt, ob quod gravis quæstio exorta est inter Patres Concilij, quorum aliqui arma prædicta à Legatis apponi non potuisse, alij rectè apposita fuisse, existimârunt: omnes autem in eo convenerunt, quod Gregorius ipse, si personaliter Constantiam advenisset, Arma Pontificia, non obstante Ioannis XXIII. præsentia, potuisset affigere. Ex Regeſto Constantiensis Concilij in tribus manuscriptis codicibus. Vide *Dissertationem III. cap. 2.*

Legati Gregorij petunt salvam conductum à Rege Romanorum, & Ioannes Dominici cum capello rubeo, tanquam Cardinalis, publicè Constantiam ingredi cupit. Variæ hanc in rem inter Patres exortæ sunt disceptationes, & quamvis Ioannes XXIII. indubitatus Pontifex haberi volens, Gregorium inlat Pseudopontificis ob hæresim Pisis damnati, e jusque Legatos minimè audiendos putaverit, Concilium tamen Ioannis mentem in hoc minimè secutus fuit, & quæstionem de jure Pontificatus intactam relinquens, Joanni Dominico in habitu Cardinalitio Constantiam die 21. Ianuarij ingredi permisit. Ex Regeſto *suprà*, & Actis Constantiensis Concilij in Bibliotheca S. Victoris Lutetiæ Parisiorum asseſvatis. Vide *Dissertationem III. cap. 2.*

Cum Ludovicus Bavarix Dux pro Obedientia Gregorij XII. obrulisset Patribus Concilij, quod sese uniret, & Gregorius ipse personaliter ad Concilium accederet, si Ioannes XXIII. à præsentia ipsius amoveretur, nonnulli Patres exinde aniam arripuerunt agendi de materia unionis. Circa initium itaque Mensis Februarij cum Cardinalis S. Marci schedulam publicasset, quæ de varijs vijs, quibus ad unionem perveniri potest, mentem suam exponebat, & de via coactionis nonnulla conscripſisset, quæ Ioannis XXIII. auctoritatem lædere videbantur, pro auctoritate ejusdem Pontificis tres schedulæ editæ sunt, in quibus pro hæretico habendus esse dicebatur, qui indubitatum Pontificem, de nullo hæresis crimine diffamatum, ad Pontificatum cedendum cogi posse, tuetur. Quibus schedulis per nonnullos privatim Constantiæ editis, aliam schedulam vulgavit Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracensis, in qua per modum conclusionum de aliorum opinionibus mentem suam exposuit. *Ac primâ* quidem conclusione supponit, agi de Pontificatu, quem licet Obedientia Ioannis XXIII. eidem canonicè competere existimabat, alia tamen duæ Obedientia probabiliter contrarium tenebant; quodque in ea opinionum diversitate non essent minores difficultates *Juris & Facti*, quam erant ante Pisani Concilium. Statuit autem conclusione VI. quod attentè perplexitate casûs præsentis, contendentes pro pace Ecclesiæ accelerandâ, possint compelli, & nolentes cedere, deponi; eamque Cardinalis Cameracensis opinionem Concilium postea secutum fuisse, ex *infra* dicendis constabit. Ex Gestis Constantiensis Concilij in quatuor manuscriptis codicibus, & *Appendice* ejusdem Synodi apud Labbeum *10. XI. Conciliorum.*

Con-

Concilium, prætermissis tunc supradictis
 14. rum examine, solam viam cessionis tentan-
 dam esse credidit, & pro ea apud Ioannem
 XXIII. instare cœpit, qui die 2. mensis Martij
 in Sessione publica obtulit, se Papatui cessa-
 rum pro unione Ecclesiæ, casu, quo alij duo de
 Papatu contententes per se, vel per Procurato-
 res suos cederent. Ex Gestis manuscriptis,
 Regesto, & Actis editis.

15. Die II. Martij cœpit Rex Romanorum
 com Nationibus Gallia, Germaniæ, & Angliæ
 instare apud Ioannem XXIII. quod vellet
 constituere Procuratores ad cedendum Papa-
 tui, ubi, & quando Concilio videretur ex-
 pedire. Quod, cum Ioannes animadver-
 teret, excogitatum ad ipsum ante duos alios
 Pontifices contententes Pontificatu privan-
 dum, nihil intentatum reliquit, ut hoc telum à
 se averteret, obtulitque die 15. ejusdem Mens-
 is, se Papatui cessorum pro Unione Ecclesiæ, &
 casu, quo per ipsum staret, quod minus Unio
 fieret, tunc ab omnibus haberi vellet pro non
 Papa, & perinde, ac Papatui expressè renun-
 tiasset. Verùm persistentibus Germaniæ &
 Angliæ Nationibus in petendo Procuratorio,
 & die 19. Martij accedente ad eam con-
 clusionem majori parte Nationis Gallicanæ,
 Papa hoc sentiens, post mediam noctem inter
 diem Mercurij & Iovis 21. Martij fugam arripuit,
 Duce Frederico illum conduci faciente,
 & Schaffusam quatuor miliaribus Germanicis
 à Civitate Constantiensi distantem pervenit.
 Ex Gestis Concilij hucusque non editis, qui-
 bus consonant cætera Acta, & monumenta istius
 temporis.

16. Magna animorum turbatio oritur Con-
 stantiæ ex discessu Papæ, & ex eius mandato,
 quod statim post suam fugam misit Constantiam
 affigi valvis Ecclesiæ, quo omnes Romanæ
 Curie Officiales, suosque familiares Schaffusa-
 sam evocabat. Unde Collegium Cardinalium
 die 22. Martij nominavit tres Cardina-
 les Legatos ad Papam, ne Concilium dissol-
 veret, sed Procuratores ad renunciandum
 Papatui constitueret. Legatis autem die se-
 quenti ad iter se parantibus, monentur
 omnes Cardinales pro parte Regis Romano-
 rum, & Nationum, ut vellet interesse Mis-
 sæ S. Spiritus pro unione Ecclesiæ, & extir-
 patione schismatis. Postquam Missam habuit
 sermonem Ioannes Gersonius Universitatis
 Parisiensis Cancellarius in derogationem ju-
 risdictionis Apostolicæ, ut fidem facit Rege-
 stum Actorum Constantiensium in tribus ma-
 nuscriptis codicibus, & fassus ostenditur *Dif-
 fert. II. cap. 1. art. 2. hujus Tractatus.*

17. Occasione hujus sermonis à Ioanne Ger-
 sonio die 23. Martij coram Patribus habiti
 orta est quæstio tam Schaffusæ, quam Con-
 stantiæ de potestate Ecclesiastica. Cum enim
 tres Cardinales Legati eodem die 23. Constania
 discessissent, & unà cum illis Archiepiscopus
 Rhemenfis, Ludovicus Bavaricæ Dux, & Ni-
 colaus de Calvilla Regis Galliarum Oratores ad Io-
 annem pervenissent, ac de sero cum eodem lo-
 cuti fuissent, Papa amaro animo conquestus
 est cum Oratoribus prædictis, quod Ioannes

Gerfonius unus ex ipsorum Collegis quædam
 contra Sedis Apostolicæ autoritatem effutire
 ausus fuisset, aliosque Patres ad falsa & erronea
 contra Romanum Pontificem concludenda
 incitasset. Hæc autem querela apud Orato-
 res Christianissimi Regis interposita effecit,
 quod eade re cum Cardinalibus egrint, &
 sese cum ijs conjunxerint, ac Decretis contra
 Apostolicæ Sedis autoritatem edendis obsti-
 terint. Ioannes verò eodem die 23. Martij da-
 tis ad Uladislauum Polonia Regem, aliosque
 Principes litteris, conquestus est inter alia,
 quod suffragia Patrum neque libera essent, ne-
 que singulorum vota in Sessionibus audirentur,
 sed quatuor suffragia Nationum per earum
 Præsides lata, totam autoritatem Concilij re-
 præsentarent. Ex Regesto, & Manuscriptis
 Constantiensis Concilij Romæ asservatis; uti
 ex Actis Parisijs in Bibliotheca S. Victoris cu-
 stoditis: item ex Turrecremata *lib. 2. de Ec-
 clesiæ*, cuius testimonium vide *Difert. 2. cap. 2.*

18. Archiepiscopus Rhemenfis Constantiam
 redux, frustra offert Regi Romanorum, &
 Nationibus Procuratorium nomine Ioannis
 XXIII. Exacerbatis enim ob ipsius fugam Pa-
 trum animis, cuncta, quæ pro illo offereban-
 tur, figmentorum instar habita sunt. Et feriâ
 tertiâ post Palmas, quæ fuit 26. Martij, cele-
 brata est ante meridiem Tertia Sessio, cui non
 interfuerunt nisi duo Cardinales, Cameracensis
 nimirum & Florentinus, reliquis omnibus aut
 Schaffusæ constitutis, aut indecorum reputan-
 tibus eidem assistere, ut fidem faciunt Acta
 Victorina Parisijs asservata. Statutum fuit in il-
 la Sessione, Concilium Constantiense per re-
 cessum Ioannis XXIII. dissolutum non fuisse,
 sed nec dissolvi debere ante extirpationem
 schismatis, nec ad alium locum sine consensu
 Concilij transferri posse; nemini demum sine
 justa causa ante finem Concilij discedere lice-
 re. Quæ omnia Petrus de Alliaco Cardinalis
 Cameracensis, & Franciscus Zabarella Cardi-
 nalis Florentinus non aliâ ratione publicari
 permiserunt, nisi sub conditione, quod Ioan-
 nes XXIII. ea ratificaret. Omissam hæc de re
 à Basileensibus in compilatione Actorum Con-
 stantiensium protestationem habes in Regesto
 ejusdem Constantiensis Concilij, & in manu-
 scripto codice Capranicensi, ex quo eam edi-
 dit Philippus Labbeus in Appendice ejusdem
 Synodi *Tomo XI. Conciliorum.*

19. Post III. Sessionem eodem die 26. Martij
 Constantiam reversi sunt tres Cardinales Le-
 gati cum duobus alijs, qui de sero coram Rege
 Romanorum, & quibusdam Patribus agere
 cœperunt de autoritate Ioannis XXIII. qui sibi
 tanquam verò & indubitato Pontifici autori-
 tatem dissolvendi Concilium competere existi-
 mabat, eaque occasione locuti sunt contra
 ipsum Concilium, scilicet, quod dissolutum ef-
 set propter absentiam, & discessum Papæ.
 Cum verò nonnulli Patres sese acriter oppone-
 rent, suscitato contra Cardinales clamore, Car-
 dinales, insalutato hospite, abierunt. Theo-
 doricus Niemi in *vita Ioannis XXIII. Francofurti
 anno 1620. edita.*

Die Mercurij post Palmas, Cardinales & 20.
 P p 2 Am.

Ambassiatore Regis Francorum volentes lenire, quæ præcedenti die pronuntiaverant, retulerunt Nationibus, & Regi in congregatione publicâ, quod Ioannem induxerant ad dandum Procuratorium, & continuandum Concilium, & non fugiendum ad loca remotiora, dummodo ipsi præstaretur securitas. Quæ parum accepta fuere Nationibus, & Regi; omnia enim tanquam ludicra & fidè pro parte Ioannis oblata credebantur. Unde multe altercationes tam ipsâ die 27. quàm 28. sequenti fuerunt inter Dominos Cardinales & Nationes, fuitque ibidem exclamatum: *His non obstantibus, fiat Sessio, fiat Sessio.* Gesta Concilij in 4. manuscriptis codicibus, & Regestum eiusdem Synodi in tribus Manuscriptis.

21. Die Veneris sancto Ioannes à Schaffusa de novo aufugit: unde turbatis contra ipsum cunctorum animis, plures ex Nationibus Germanicâ, Gallicâ, & Anglicanâ deliberarunt, in crastinum celebrare Sessionem IV. & in ea statuere primò, quod Concilium Constantiense potestatem habeat immediatè à Deo, cui etiam Papa obedire teneatur in his, quæ spectant ad fidem, extirpationem schismatis, & reformationem Ecclesiæ in Capite & in membris. secundò, quod cogi possit, si obedire contumaciter contempserit. Tertio alia complura. Quæ omnia, contradicentibus pluribus Patribus, apud Nationes conclusa sunt. Cùm autem non solùm Nationi Italianæ displicerent, sed & sacro Cardinalium Collegio ad deliberandum oblata non fuissent, noluerunt dicti Cardinales, & Ambassiatore Regis Galliarum ad Sessionem venire, nisi inter alia Capitula secundum ommitteretur, & in 1. Decreto non fieret mentio reformationis Ecclesiæ in Capite & in membris. Ex manuscriptis Gestis, & Regesto Constantiensis Concilij, Eugenio IV. in sua Apologia contra Basileenses, Turrecremata lib. 2. De Ecclesiâ cap. 99. & Roderico Calaguritano in Dialogo de autoritate Romani Pontificis; quorum testimonia vide Dissert. 2. cap. 2. huius Tract.

22. Sabbato in Vigilia Paschæ, cùm Patres iam parati essent cum Mitris & Pluvialibus ad celebrandam Sessionem IV. mediante Rege Romanorum, adhibuit quoddam moderamen in expediendis in illa Sessione, quod nimirum inter cætera Decreta ommitteretur secundum de potestate coactivâ Concilij, & in 1. Decreto nulla fieret mentio de reformatione Ecclesiæ, sicut re ipsâ observatum fuisse, testantur contra Maymbourg omnes codices manuscripti Romæ reperi, quorum Catalogum hoc tractatu reperies præter alios omnes in Bibliotheca Cæsarea Viennæ, & alios in Bibliotheca Salemitana propè Constantiam, ac in reliqua Germania, & ipsamet Gallia Lutetiæ Patrisiorum asservatos, quibus consonant Authores contemporanei, quos videre licet Dissert. 1. cap. 2. & 3. infra.

23. Cùm Cardinalis Florentinus, ad quem tanquam ultimum Cardinalem spectabat pronuntiare Decreta in Sessionibus publicis, venisset ad verba de reformatione Ecclesiæ in Capite & in membris, quæ Nationes in schedula deletere omiserant, substitit, eaq; falsa esse, & præter communem deliberationem addita asseruit. Unde

non solùm tunc omissa fuit clausula de reformatione, sed eadem Sessione IV. Cardinales monuerunt Nationes, quod suspenderet ad tempus materias illas, quæ habent magnas difficultates, & maturam exigunt deliberationem. Abbas Panormitanus in sententia finali, & Regestum Constantiensis Concilij in tribus manuscriptis codicibus.

24. Post IV. Sessionem Patres Constantienses non instituunt de articulis, & Decretis controversis examen publicum, neque statuunt, coram Concilio ipso habendum, sed quasi de re parvi momenti ageretur, nominarunt aliquos, qui cum Cardinali Florentino desupee agerent: ubi tamen inter eos aequaliter disputatum est, Depotati quatuor Nationum die 2. Aprilis inter alia multa statuerunt, quod proximâ Sessione omnes articuli & clausulæ concordata per Nationes in ultimâ Sessione prætermissa expediantur. Regestum Concilij in tribus manuscriptis codicibus.

25. Cùm Cardinales nullatenus Nationibus consentirent quoad articulos & clausulas Sessione IV. prætermittas, eaq; se invitis, Sessione V. publicandas esse perciperent, statuerunt primùm, non venire ad Sessionem, sicut & quatuor Cardinales ad eam venire noluerunt: ubi autem alij animadverterunt, omnes sine publico scandalo, & periculo dissolutionis Concilij, abesse non posse, statuerunt, ad Sessionem venire, præmissâ tamen protestatione secretâ in Camera Paramentorum Palatii Constantiensis, quod propter scandalum evidendum ad Sessionem ibant, non animo consentiendi his, quæ audiverant, in ea statui debere. Eandem protestationem fecerunt quoque Legati Regis Galliarum, qui sese quam strâillimè cum Cardinalibus conjunxerant: adeò, ut non solùm contra mentem Joannis XXIII. sed & contra sententiam totius sacri Cardinalium Collegij, & ipsorum Galliarum Legatorum publicata sint Decreta de potestate Ecclesiastica, quæ D. Maymbourg de superioritate Concilij intellecta, non solùm indubitatè autoritatis, sed instar dogmatum fidei habenda esse credebatur. Ex Regesto Constantiensis Concilij in tribus manuscriptis codicibus.

26. Præmissâ protestatione, ad Sessionem V. venerunt Cardinales, & inter eos Cardinalis Florentinus Canonistarum sui temporis facilè princeps, ad quem tunc spectabat Decretorum publicatio, qui rogatus, ut Decreta legeret minus illud exequi recusavit: electus itaque Pohnanienis legit Decreta per modum Constitutionum Synodaliū, quia Cardinalis Florentinus ea legere noluit. Postquàm autem Decreta per modum Constitutionum recitasset, idem electus Pohnanienis legit aliâ in materia fidei contra hæreses Wicleffii, Hus, & Hieronymi de Praga. Ita Gesta Constantiensis Concilij in quatuor manuscriptis codicibus, Acta Protonotariorum in tribus manuscriptis, & alia in editis. Vide Dissert. 1. cap. 2. & Dissert. III. cap. 3.

27. Lectis Decretis tanquam prius (ante Sessionem IV.) apud Nationes deliberatis & conclusis, dicere quidem potuerunt quatuor Pontifices, quod illorum publicatio placeret majori parti Nationum.

Nationum, non tamen Collegio Cardinalium. Cùm enim Cardinales post fugam Ioannis XXIII. frustra petissent pro facto Collegio suffragium à Nationum suffragijs distinctum, separarunt se à Nationibus, earumque Congregationibus interesse noluerunt. Unde factum est, quòd Nationes sine Cardinalibus deliberarint, & concluderint; sicque à III. Sessione usque ad VII. inclusivè, penè in omnibus Decretis Concilij factum est Cardinalibus, quòd tam arcto, & brevi tempore ostensa sint Decreta jam conclusa in Nationibus, ut non fuerit in eorum potestate, sufficienter deliberare, & in magnum contemptum habiti fuerint. Acta manuscripta Constantiensis Concilij in Bibliotheca Regis Christianissimi Parisijs asservata. Item Gesta ejusdem Concilij in quatuor manuscriptis codicibus Romæ reperiuntur.

Quibus ita se habentibus, cùm præfens disquisitio se teneat in examinandis Decretis V. Constantiensis Sessionis, duo hæc expendemus. I. An ista Decreta, consentientibus omnibus, quorum intererat, publicata sint? Cui quæstioni subiungetur conclusio, in qua videbimus, qualiter Conciliares congregationes hanc dici possint celebrari à Spiritu sancto, quando receditur à formâ Concilij per Christum præscriptâ, sicque aded locus aperitur tumultuosis concertationibus. 2. An Patres Constantienses in Sessione V. sufficienter representarint Ecclesiam, ut eorum Decretis esset ab omnibus parendum? Cui quæstioni subnectetur conclusio, in qua iterum fiet discussio quædam illius characteris, sub quo Concilia dici queant representare universam Ecclesiam.

S. II.

Referuntur argumenta Maym-
bourgi cum eorundem respon-
sionibus circa Decreta V. Ses-
sionis.

28. Emanuel à Schelstrate in sua Dissert. Antwerpensi cap. 1. art. 2. ostendit ex Regesto Constantiensis Concilij, tam tumultuosè apud Nationes Decreta prætractæ V. Sessionis fuisse conclusa die 27. Martij, ut non solum magna animorum concertatio inter Patres orta fuerit, sed & Cardinales cum Regis Galliarum Oratoribus noluerint venire ad Sessionem IV. die 30. Martij celebrandam, nisi sub conditione, quòd auctoritatem Pontificiam spectantia in ea ommitterentur, prout consentientibus Nationibus, ommissa fuerunt. Monstravi insuper ex Gestis Constantiensis Concilij, quòd Cardinales, unâ cum Regis Galliarum Ambassiatoribus iterum dissentientem fecerint interessendi Sessioni V. in qua Nationes sine matura deliberatione, & novo examine Decreta prius conclusa publicare volebant: & licet postea ad Sessionem venerint, ostendit ex Regesto, quòd ante Sessionem illam in Camera Paramentorum secretam protestationem fecerint, quòd propter scandalum evitandum ad Sessionem ibant, non animo consentiendi his, quæ audierant, in ipsa statui debere.

Hæc igitur dicto modo, vel etiam per æ-

qualium Scriptorum testimonia à Schelstrate comprobatis, sequentia opposuit Maymbourgius tract. sui hist. pag. 254. quæ unâ cum oppositis responsionibus deinceps proferemus.

Argumentum Maymbourgi.

29. Hæc igitur Auctor loco cit. ita argumentatur. Scio equidem, quòd super decretis illis magnæ contentiones habitæ fuerint, & quòd Cardinales sese opposuerint. Concedo quoque ipsi id, quod invenit in suo Manuscripto, & quod asserit, nunquam antea notum fuisse, & forsitan verum non est, Cardinales, & ipsos Galliarum Oratores in camera paramentorum fecisse protestationem secretam: Quòd propter scandalum evitandum, ad Sessionem ibant, & non animo consentiendi his, quæ audierant, in ipsa statui debere. Quid potest inde concludere? Hæc ibi Auctor ille, petens subinde, numquamne legerim historiam de aliquo conclavi, vel pervolverim librum famosum Pauli Suavis de Concilio Tridentino, in quibus refertur, quòd post magnam animorum contentionem omnes convenerint de certo Pontifice eligendo, vel Decreto in Sessionibus publicando: sic, inquit, factum est in Constantiensis Synodo: ponamus, fuisse magnas oppositonas, contellationes, protestationes secretas, & omne id, quod placuerit D. Schelstrate nos ex Manuscripto suo docere. Post hoc Cardinales, alijque omnes, qui contestati, & secretè protestati sunt, venerunt ad Sessionem V. Et sicut Spiritus sanctus unit omnium animos in Concilio, ut dici possit: Visum est Spiritui sancto, & nobis, sic postmodum duo Decreta hujus Sessionis communi sensu statuta fuerunt; prout referunt Acta, quibus D. Schelstrate nihil habet, quod ex Manuscriptis suis opponat. Sic enim in Actis legitur: Quibus articulis, sive constitutionibus lectis, Concilium eos, & eas uniformiter approbavit, & conclusit.

Responsio.

30. Emanuel Schelstrate sui præcitati tractatus Dissert. 2. cap. 2. à pag. 94. respondet in hunc modum. Apparet ex prætracto discursu, quòd D. Maymbourg non solum Basileensium sententiam de confirmandâ decretorum illorum auctoritate, sed & artem eorum in eâ contra objectiones propugnandâ, imitari voluerit. Quod, ut clarius constet, animo repetenda sunt, quæ dissertatione meâ de Basileensibus notaveram: cùm enim illi Orbi Catholico obtrudere conarentur, quòd Decreta Constantiensis Concilij summo animorum consensu, nemineque penitus discrepante, publicata fuerint, Eugenio IV. contrarium asserenti, Gesta ejusdem Synodi hæc arte objecerunt, ut verba pro se facientia asserrent, causæ verò suæ minimè faventia omitterent. Verba, quæ Basileenses pro se facientia attulerunt, indicavi, fuisse sequentia: Licet iterum major pars Cardinalium faciebat difficultatem interessendi, omnes tamen, præter infimos, venerunt ad Sessionem, præfente Rege Romanorum in Imperialibus insignijs, pp 3 præ-

presidente Cardinali de Urbis Episcopo Albanensi, & celebravit Missam de Dominica Raynaldus Archiepiscopus Rhevenensis. Verba autem cause suæ minimè faventia, quæ omiserant, ostendi, esse illa superioribus immediatè subjuncta: *Fuerunt pronuntiatæ dispositiones sequentes per electum Poznanensem, quia Cardinalis Florentinus illas noluit pronuntiare.* De quibus ultimis verbis cum sedulo inquisivissem rationem, cur à Basileensibus omissa essent, aliam non inveni, quam quia instituto suo minimè faverent: ubi enim ex verbis per ipsos citatis colligi poterat, omnes consensisse, ibi ex verbis subsequenti- bus constabat de oppositione Cardinalis Florentini, & omnium ipsi adherentium, ex quibus planè colligebatur contrarium.

31. His præmissis, videndum est, quàm manifestè D. Maymbourg vestigia Basileensium insecutus fuerit. Admittit Auctor ille verba Gestorum Constantiensium, quibus asserit, quòd, non obstantibus Patrum contradictionibus, & Cardinalium protestationibus secretè factis, omnes tamen ad Sessionem V. venerint: omittit verò, quæ de Cardinali Florentino, ejusque sequacium oppositione ex ipsidem gestis adjunxeram: & tunc asserit, de communi omnium consensu Decreta fuisse publicata, nihilque in manuscriptis codicibus reperiri, quòd his Actorum verbis opponere poterim: *Concilium ea uniformiter approbavit, & conclusit.* Manifestiàs, ut puto, Auctor ille lequi non poterat artem Basileensium in referendis ijs, quæ pro se faciunt, & silentio prætereundis, quæ menti ipsius contradicant: nulli- bi tamen incautus, quàm hic egit, cum eundem errorem, quem in Basileensibus notaveram, ipse committere voluerit. Neque mirari sanis possum, quòd tam asseveranter scripserit, me nihil habere, quòd ex manuscriptis codicibus opponam: cum ex illis, & æquili- um Scriptorum testimonijs expressè ostenderim, Cardinalem Florentinum cum sequacibus, ac ipso imprimis Joanne XXIII. repugnasse. Quæ ut clariùs consent, fuliùs comprobanda sunt.

32. Et de Joanne quidem constat ex Appendice Constantiensis Concilij *tom. XI.* collectionis Philippi Labbei, quòd sese pro certo, & inhabitato Pontifice haberi volens, nonquam probavit eorum sententiam, qui Concilio auctoritatem aliquam super ipsam tribuebant. Notæ sunt cedule ex parte Joannis XXIII. initio Constantiensis Concilij publicatæ, in quibus per modam conclusionis quærebatur: *An Papa verus & Canonicus, de hæresi non infamatus, nec suspectus possit contra ea, quæ sunt sui juris, ab aliquo compelli, vel aritari: cumq. non hereticum condemnantes, heretici sint censendi?* Et responsum ad hoc conclusione 3. datum: *Hoc fore manus ponere in Christum Dominum, neque immeritò dubitari, an ille, qui talia pijs auribus ingerere ausus erat, bonus Catholicus censeri poterat.* Cùmque Petrus de Alliaco Cardinalis Ceme- racensis in casu schismatis, ut tunc erat, de Joanne judicari posse contenderet, fateatur in *Tractatu de auctoritate Cardinalium*, se hanc ob- rem, gravi, & periculosam dicti Joannis Papa o-

diu incurrisse: quòd Joannes semper existi- mavit, se pro indubitato Pontifice haberi de- bere, proindeque à Concilio cogi non posse. Unde cum post II. Sessionem tres Nationes conclusissent, quòd ipse ad cessionem Pontifi- catûs ob schismatis extirpationem cogi posset, factum est, quòd ab ijs, qui Concilio inter- fuerunt, sese audivisse testatur Rodericus Ca- laguritanus Episcopus *Dialogo de auctoritate Pontificis*, Joannem XXIII. ea de causa infeliciter fugam arripuisse.

Post fugam autem illius contigit, quòd Cardinalis Turrecremata, qui in minoribus constitutus, Concilio Constantiensi interfuit, de gravi Joannis XXIII. querelâ memorizæ prodidit. Cùm enim post fugam ejusdem Joannis Cancellarius Parisiensis unus ex Gal- liz Oratoribus sermone coram Patribus in *diminutionem jurisdictionis Apostolicæ* habuisset, idque Cardinales à sacro Collegio ad Papam Schaffusæ constitutum missi retulissent: *Dominus Oratoribus Regis Franciæ visitantibus eum*, inquit Turrecremata, *amaro animo conquestus est Joannes, falsa quadam, & erronea adversus auctoritatem Romani Pontificis Decreta per annulos suos post recessum ejus esse conclusa.* Ita Scriptor ille, qui occasione Decretorum querelam il- lam interpositam putavit, cum tamen occasio- ne sermonis Gerlonij interposita fuerit, idco- que cum Collegis Gerlonij potiùs, quàm cum alijs conquestus fuerit. Neque hæc à Joannis XXIII. mente aliena, sed eadem omninò con- sone esse, firmatur ex testimonio Niehi, in *vita ejusdem Pape* referentis de Cardinalibus Schaffusâ Constantiam reversis, quòd Conci- lium ex mandato Joannis dissolvere voluerint, & auctoritatem dissolvendi eadem com- petere propugnârunt.

Verùm de Cardinalibus postea, redeamus ad Joannem, qui 24. Mensis Martij in epistola ad Poloniz Regem inter varias rationes, quibus fugam suam à Concilio excusat, hanc po- nit: *Quòd quorundam caeca, & inconsulta temeritas usque adeò ab ipso Concilij principio ita omnia pervertere, ita omnia perturbare concupivit, ut non concordiam, sed dissensionem, non unionem, & pacem Ecclesiæ, sed schismata, & scandala querere viderentur, qui nullo antiquorum Conciliorum rita observato, non publicè, sed sparsim, & privatim de rebus Ecclesiæ Conciliabula celebrabant in contemp- tum Sedis Apostolicæ, & in vilipendium nostrum scissas, dissensionesq. adversus nos seminantes, ac non per viam sancti Spiritûs, ut decet, sed per vim & strepitum, & contumelias in rebus singulis adver- sus nos molebantur, multa machinabantur indigna relatu contra decus Apostolicæ Sedis, & honorem nostram.* Ita immediatè post sermonem Ger- lonij Joannes XXIII. in litteris ad Ladislaum Poloniz Regem, juxta quam formam, & ad alios Reges de Constantiensi Concilio scrip- sisse creditor.

Clariùs mentem suam exposuit in articulis, quos unâ cum litteris ad Ducem Bituri- gum Schaffusâ Parisios misit. Eorum unus e- rat, quòd, licet in Concilij Generalibus non debeat fieri Nationum differentia, sed omnes & singulos sententiam suam publicè aperire oportet.

oportet, ut unius instructione informetur
huiusmodi: hoc tamen Constantiæ non fuerit per-
missum, quinimo statutum, quamlibet Na-
tionem unam tantummodo vocem, sive suffra-
gium habituram, etiam si in Natione Gallica
essent trecentæ voces notabiles, & in Italica
totidem, quoniam erant ex duobus illis Natio-
nibus ducenti Prælati personaliter ibi com-
parentes; & de Anglicana essent tantum tres
Prælati, ac cæteri Clerici novem numero. Al-
ter verò erat, quòd, cum in Concilij Genera-
libus secundum statuta Canonum jus suffragij
non comeret, nisi Cardinalibus, Patriarchis,
Archiepiscopis, & Episcopis, quorum suffragia
requærentia sunt in Sessionibus publicis, &
non in privatis consilijs, nihilominus quicunque
ad ejuismodi consilia fuissent admitti, nullo dis-
crimine personarum habito, omnium suffra-
gia, etiam Laicorum, subtrahitis Prælatorum
suffragijs, recepta sint utiqueque etiam Præ-
latis contradicentibus. Alius demum articu-
lus, ut ceteros omittam, erat, quòd, licet in
Concilij suffragia debeant esse libera, nihilomi-
nùs in illis exuterint cavillationes, & tub-
ornationes per minas, & terrores ab Impera-
tore procedentes.

35. Scripsit hæc omnia de prioribus Constani-
tensis Concilij Actis Ioannes XXIII. quæ re-
periuntur in duobus manuscriptis codicibus
Vindobonensibus, ubi D. Maymbourg ea legere po-
terit: à me autem hoc loco allata sunt, quia
Patris in publica Invocationis Congregatio-
ne lecta dicuntur, & non paucim conferunt ad
memorandum, quòd Ioannes XXIII. oblit-
eratis, quæ Constantiæ contra Sedis Apolto-
licæ autoritatem acta putantur, & nunquam
à sententiâ suâ hac in re discesserit, ut in oul-
tatione Antuerpiæ eadè indicavi. Meminit
Ioannes disensionem, cavillationem, & con-
tradictionem, quæ si ullibi, procul dubio
quòd Decreta Sessionum IV & V. locum ha-
buerunt: Sic enim testatur in apologia sua con-
tra Basilienses Romanæ Ecclesiæ Pontifex Eu-
genius IV. quòd contra Decreta de autori-
tate Conciliorum nonnulli reclamaverint gratia-
res, qui strepente multitudine superatis, sicut his no-
vis temporibus, quibus carnales exuberant pas-
siones, factum esse, manifestum est, audiri nequeve-
rum. Eadem esse et Rodericus Caiaguritanus
Episcopus in Dialogo de auctoritate, & potestate
Romani Pontificis, teste nimium audivisse à
magis auctoritatis viris, qui Concilio Con-
stantiensi interfuere, quòd contra Decreta
Sessionis V. reclamaverint complures Prælati &
Doctores: de quibus etiam affirmat Cardinalis
Tuscanensis lib. 2. de Eccle. cap. 99. quòd
plures Patres doctissimi non præstitere int-
contentum, aut assensum suum. Quæ ultima ver-
ba notanda sunt, quia ex Ioannis XXIII. arti-
culis confirmationem accipiunt, ubi dicitur:
privatis consilijs suffragia etiam Laicorum,
subtrahitis Prælatorum suffragijs, recepta fuis-
se, neque in Sessionibus publicis vota singu-
lorum, sed quatuor duntaxat Nationum audi-
ri consuevisse. Quòd ad perpetuum Cardi-
natum assensum probandum, quampluri-
mum conferre, ex Actis & Gestis hucusque

ineditis clariùs ostendemus, quàm ut à quò-
quam in dubium revocari possit.
Refertur in manuscripto codice Biblio-
thecæ Regis Christianissimi, quòd post recessum
Ioannis XXIII. Romani Cardinales à Nationibus petiverint, ut iporum Col-
legium quoad suffragia unum votum cum ipsis
haberet in Sessionibus publicis, eorumque
mentio fieret in litteris, & subscriptionibus
Synodicis. Illustrissimus Apameensis Episco-
pus Spondanus, qui hunc codicem Regium
vidit, testatur, Cardinales repullam passos fuis-
se, putatque, id solum intelligendum de men-
tione ipsorum in litteris, & subscriptionibus
Synodicis, non autem quoad suffragium in
Sessionibus publicis. Fallitur tamen vir e-
ruditus existimans, Cardinalem Præsidentem in
prioribus Sessionibus pro se & collegio Car-
dinalium per verbum Placet suffragium tulisse.
Tantum enim abest, id factum fuisse in
Sessionibus post recessum Ioannis XXIII. ut
Gesta Concilij hæctenus inedita ad Sessionem
VII. notent, quòd Cardinalibus vix unquam
communicata fuerint Decreta publicanda in
Sessionibus, ut de super deliberarent. Nam
inquirunt, penè in omnibus Decretis Concilij factum
est, Cardinalibus ita arcto & brevi tempore ostensa
sunt Decreta in Nationibus, ut non fuerit in eorum
potestate, sufficienter deliberare, imò in magnum
contemptum habitus sunt. Plures conquesti sunt
Cardinales de contemptu. Et finaliter petiverunt,
quòd, cum essent in Concilio quatuor Nationes, una
Anglicæ, in qua non erant viginti Capita, de quibus
tres solum Prælati, & Cardinales essent sexdecim,
& alij futuri, de quibus plures magni & insignes
Doctores propter dignitatem Collegij haberent vo-
cem, & auctoritatem tantam, sicut Natio Anglica-
na. Quod fuit recusatum, & dictum, quòd venirent
ad suas Nationes. Ita quòd nullam habent auctori-
tatem.

36. Magni omnino faciendum est hoc Ges-
tum indubitata fidei testimonium, quòd huc-
usque latuit Obsequium Catholicum: ex eo enim
non solum confirmantur, quæ superiori capite
notavimus de Decretis Sessionis V. præcipi-
tante, & sine matura deliberatione publica-
tis, sed & monstratur, rationibus destitutum
non fuisse, quòd contra Nationes de inæquali-
tate suffragiorum scripsit Ioannes XXIII. ac
patet, verissimum esse, quòd contra Sponda-
num probandum suscepti, Cardinales repul-
sam passos fuisse quoad suffragium in Ses-
sionibus publicis. Idem confirmatur ex Actis
Constantiensis Concilij tam editis, quàm in-
editis, in quibus ante Sessionem XI. nullibi re-
peritur, Cardinalem Præsidentem pro se, & sacro
Collegio suffragium tulisse, id, quòd primùm
Sessione XI. factum fuit; quamvis non sine
mytherio Gesta Constantiensis Concilij id pri-
mùm Sessione IV. contigisse referant. Affir-
mant enim, quòd pro unione Gregorij XII.
admissa fuerit nova Concilij convocatio, ac de
ea responderint quatuor Prælati pro quatuor
Nationibus Placet, & Cardinalis Ostiensis pro Col-
legio Cardinalium Placet: & hoc, inquirunt, nun-
quam responsum est ex parte Cardinalium. Quæ
ultima verba notanda sunt, non enim è .or
116

116
117
118
119
120
121
122
123
124
125
126
127
128
129
130
131
132
133
134
135
136
137
138
139
140
141
142
143
144
145
146
147
148
149
150
151
152
153
154
155
156
157
158
159
160
161
162
163
164
165
166
167
168
169
170
171
172
173
174
175
176
177
178
179
180
181
182
183
184
185
186
187
188
189
190
191
192
193
194
195
196
197
198
199
200
201
202
203
204
205
206
207
208
209
210
211
212
213
214
215
216
217
218
219
220
221
222
223
224
225
226
227
228
229
230
231
232
233
234
235
236
237
238
239
240
241
242
243
244
245
246
247
248
249
250
251
252
253
254
255
256
257
258
259
260
261
262
263
264
265
266
267
268
269
270
271
272
273
274
275
276
277
278
279
280
281
282
283
284
285
286
287
288
289
290
291
292
293
294
295
296
297
298
299
300
301
302
303
304
305
306
307
308
309
310
311
312
313
314
315
316
317
318
319
320
321
322
323
324
325
326
327
328
329
330
331
332
333
334
335
336
337
338
339
340
341
342
343
344
345
346
347
348
349
350
351
352
353
354
355
356
357
358
359
360
361
362
363
364
365
366
367
368
369
370
371
372
373
374
375
376
377
378
379
380
381
382
383
384
385
386
387
388
389
390
391
392
393
394
395
396
397
398
399
400
401
402
403
404
405
406
407
408
409
410
411
412
413
414
415
416
417
418
419
420
421
422
423
424
425
426
427
428
429
430
431
432
433
434
435
436
437
438
439
440
441
442
443
444
445
446
447
448
449
450
451
452
453
454
455
456
457
458
459
460
461
462
463
464
465
466
467
468
469
470
471
472
473
474
475
476
477
478
479
480
481
482
483
484
485
486
487
488
489
490
491
492
493
494
495
496
497
498
499
500

iste ad diminuendam, sed augendam potius Gestorum fidem facit, sicut latius, ubi, & quando necessitas urgebit, exponemus.

39. Hisce ex manuscriptis indubitata fidei codicibus præmissis, redeundum est ad Decreta, de quibus, sicut de ullis alijs, intelligenda sunt, quæ habent Gesta *superius* allata. De nullis enim alijs Decretis æquæ, ac de istis referunt, quod præcipitanter à Nationibus sint conclusa, & constanter à Cardinalibus eorum publicationi contradicendum fuerit. Testantur itaque, quod Cardinales noluerint ad Sessionem IV. venire, in qua Nationes ea publicare decreverant, quia *super illis non fuerant habita, nec sufficienter petita deliberationes eorum.* Additur in Regesto, quod, postquam Cardinales effecerant, ut illorum Decretorum publicatio tunc omitteretur, Sessione IV. publicè monuerint: *Vt omitterentur illa materia, quæ magnas habent difficultates, & maturam exigunt deliberationem.* Cumque animadvertissent, consilium suum à Nationibus negligi, & sine communi examine, ac nova deliberatione Decreta Sessione V. publicanda fore, testatur idem Regestum, quod Cardinales eodem die, quo Sessio illa habenda erat, protestationem secretè fecerint in camera Paramentorum Palatii Constantiensis: *Quod propter scandalum evitandum ad Sessionem ibant, non animo consentiendis his, quæ audierant, in ipsa statui debere.* Adjungunt Gesta Constantiensis Concilij, Decreta per ultimum Cardinalem in Sessionibus publicis pronuntiarî consuevisse, idque tunc spectasse ad Franciscum Zabarellam Cardinalem Florentinum, omnium sui temporis Canonistarum facillè principem; Decreta tamen Sessionis V. pronuntiatâ fuisse per electum Poznaniensem: *Quia Cardinalis Florentinus ea noluit pronuntiare.*

40. Scribat jam D. Maymbourg, Decreta Sessionis V. consentientibus omnibus obedientiæ Joannis XXIII. Patribus, publicata fuisse, meque nihil habere, quod ex manuscriptis codicibus opponam. Dicat, omnes illos, qui unquam contradixerunt, Sessione V. in unam, eandemque convenisse sententiam, idque etiam de Cardinalibus constare ex eo, quod Concilium dicatur, Decreta post eorum publicationem approbasse. Nónne ex jam dictis manifestè constat, approbationem Actorum per quatuor Prælatos ex parte Nationum fieri consuevisse, & Præsidentem pro solis Nationibus votum tulisse? Nónne testatur codex manuscriptus Regis Christianissimi, quod post recessum Joannis XXIII. Cardinalibus negatum sit votum speciale in Sessionibus publicis? Nónne ex septem codicibus manuscriptis, Gesta & Regestum Actorum Constantiensium continentibus, manifestum sit, Cardinales noluisse sese Nationibus conjungere quoad conclusionem Decretorum Sessionis V. sed separatim egisse, & totis viribus eorum publicationi obtulisse? Nónne ex tribus manuscriptis codicibus patet, Cardinales Sessioni V. interesse noluisse, nisi præmissâ protestatione secretâ, quod consentire nolint ijs, quæ audierant, in ea statui debere? Nónne ex Gestis Concilij habetur,

Cardinalem Florentinum, ad quem de more spectabat, Decreta pronuntiare, dissentium Cardinalium sufficienter indicasse, dum in Sessione V. à Nationibus rogatus, ea legere publicè recusavit? Nónne eadem Concilij Constantiensis Gesta perhibent, Cardinalem Præsidentem Sessione V. pro Cardinalium Collegio nullum votum tulisse, adeoque, licet quatuor Prælati juxta morem Constantiæ introductum, pro majori parte eorum, qui in quatuor Nationibus erant, per verbum *Placet* Decreta admiserint, neminem fuisse, qui pro Cardinalibus suffragium ferret? Nónne ex his omnibus clarissimè constat, non solum gravissimos Patres à contraclamante multitudine in Congregationibus Nationum superatos, per se nullum votum tulisse, sed nec Cardinales per alios consensum præbuisse?

41. Quid ad hæc respondere poterit D. Maymbourg? Quâ arte perget adstruere communem Patrum circa Decreta consensum? Quo fuso errore illum posthæc promovēbit? Conabatur quondam Basileenses Orbi Catholico obtrudere Decreta Sessionis V. ac si unanimi omnium Patrum consensu statuta, nemineque penitus discrepante, publicata fuissent: sed arte uti sunt, omittendo ea Gestorum verba, ex quibus de constanti gravissimorum Patrum dissentio constabat, ut ante biennium in dissertatione mea ostendi, & hoc capite contra D. Maymbourg ex manuscriptis codicibus Gallicis æquæ, ac Italicis iterum monstravi. Quibus ex quatuor manuscriptis codicibus, Gesta Constantiensis Synodi continentibus, adjungi pro coronide potest, quod Cardinalibus Decreta Sessionis V. improbantibus sese conjunxerint Oratores Regis Christianissimi, Ludovicus nimirum Dux Bavariae, Frater Reginae Franciæ, Kaynaudus Archiepiscopus Rhemensis, cæteri que per Monachum Sandionysianum, & alios relati. Cum enim Gersonius unus ex Galliæ Oratoribus die 23. Martij sermonem in diminutionem jurisdictionis Apostolicæ habuisset, & postea Ludovicus Bavariae Dux cum Raynardo Archiepiscopo Rhemensi, & Nicolao de Calavilla ad Joannem XXIII. Schaffusium pervenisset, idem Joannes Oratoribus Regis Franciæ visitantibus cum amaro animo conquestus esset, teste Turrecrematâ, *falsa quedam & erronea adversus auctoritatem Romani Pontificis post solum discessum Constantiæ proposita fuisse.* Quæ Joannis verba tantum valuerunt apud dictos Oratores, ut Constantiam reversi sese conjunxerint Cardinalibus, & non solum difficultatem fecerint veniendi ad Sessionem IV. sed etiam ad Sessionem V. venire noluerint, ut fidem faciunt Gesta Constantiensis Concilij.

42. Nec refert, quod postea ad Sessionem V. iverint: nam eos præmississe protestationem, testatur Regestum Actorum Constantiensium; quod idem de Regis Christianissimi Oratoribus affirmat, utpote qui una cum Cardinalibus in camera Paramentorum Constantiensis Palatii fecerunt protestationem secretam, quod propter scandalum evitandum ad Sessionem ibant, non animo consentiendis his, quæ audierant, in ea statui debere. Præclariora autem sunt hæc

hæc verba, quàm ut illa tanquam parum ad rem facientia missa faciamus. Agunt enim de protestatione contra Decreta Sessiois V. factâ ab ipsius Regis Christianissimi Oratoribus, quorum sententiam, si contra ulla Concilio- rum, Decreta quidquam valere posse, existimetor, contra indeliberata & tumultuosa Decreta Sessiois V. Constantiensis Concilij ab unâ Obedientiâ, eaque non integrâ statuta facere, Galli inprimis fateri debent. Et hæc sufficiant de Decretis Sessiois V. ut Orbi Catholico constet, non solum sine communi deliberatione tantæ rei debitâ, sed nec ab omnibus unius Obedientiæ Patribus, quin potius reclamantibus gravioribus, & contradicentibus Regis Galliæ Oratoribus, statuta fuisse, adeoque verissimum esse, quod in Dissertatione Antuerpiæ editâ notaveram, dubiæ saltem authoritatis ex hoc capite, & à nobis & à Gallis inprimis censenda esse.

CONCLUSIO.

43) **N**on mirum est, tam tumultuosè fuisse edita illa Sessiois V. decreta Constantiensia, dum in ijs recedebatur à formâ veri Concilij per Christum præscriptâ, ex cujus jam defectu non poterat ejusmodi Congregatio in Spiritu sancto celebrata esse.

Explicatur. Ponamus, illos, qui decretis Sessiois V. intervenerant, sub hisce prætendisse, definire Concilij super Papâ non dubio solum, ac pro tempore schismatis tunc intervenientis, sed absolute super Papâ in futurum etiam certo ac indubitato superioritatem. Ex hoc ipso tamen noscerentur in tantum recessisse à Concilij Generalis, cui Spiritus sanctus assistit, formâ per Christum præscriptâ, ut congregatio ejusmodi ne quidem *dispositivè* & quasi *materialiter* dici posset Oecumenica, seu esse etiam in via tendentiâ ad Synodum formalem Oecumenicam reintegrandam; prout patebit ex subsequenti probationibus.

PROBATIO I.

In qua ostenditur, quænam sit à Christo constituta forma Concilij, ut ipse unâ cum Spiritu sancto ei notetur assistere.

44) **E**tenim Christus Matthæi 28. Apostolos missurus ad docendas omnes gentes v. 20. eisdem promisit: *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*: Hæc igitur assistentiæ Christi promissio noscitur esse annexa characteri Apostolico usque ad consummationem sæculi in Ecclesia permanituro. At ea Christi promissio est ipsissima illa, quâ Christus iturus ad mortem Joannis 14. v. 16. fecerat eisdem Apostolis: *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis*. Ista igitur Spiritus sancti assistentiâ ex Christi orationis efficaciâ in

æternum persistit eatenus in Apostolis, quatenus semper est annexus characteri Apostolico. At verò iste character Apostolicus non consistit in præciso characteri Episcopali, sed in *indefinitâ* ligandi & solvendi autoritate; prout patet ex Matthæi 18. Neque verò iste Apostolicus *indefinitus* ad ligandum & solvendum potestatis character, juxta *disti cap. 18.* sacrum contextum, reperitur in aliquo Ecclesiastico Concilio, nisi sit aggregatum in nomine Christi, quod scilicet Apostolica seu Christi Vicaria autoritas præfert. Atqui sublatis Apostolis, cum solius Petri Apostolica autoritas antecesserit saltem ad Concilij Oecumenici aggregationem, reperitur in ejus Successore, evidenter notum est, non posse Oecumenicum Concilium, cui Christi ac Spiritus sancti assistentiâ sit Divinitus repromissa, ullatenus intelligi, nisi Petri, ejusve Successoris Apostolica interveniat autoritas. Quandoquidem igitur Sessiois V. Congregatio Constantiensis sibi vendicavit pro tunc autoritatem ejusmodi Apostolicam abique ullius Papæ interventu, atque adeò cum exclusione characteris Apostolici, prætendendo scilicet Concilij *cephali* super Papâ superioritatem, nequit pro tunc habuisse illam à Christo promissam sui ac Spiritus sancti assistentiâ, cum re verâ ex nullo Evangelij apice possit vel umbram adferre, ad probandum, quòd character Apostolicus, *indefinitus* ligandi & solvendi potestatem erga totum Christianum orbem præferens, conveniat Synodo, Christi Vicario soli Petri Successori proprio nomine non insignitæ. Et hinc mirum non est, tot tumultibus agitatum fuisse illam Sessioem, dum contrariâ se gerebat erga characterem Apostolicum, sub quo noscitur Concilio Ecclesiastico promissus Spiritus sanctus, unâ cum Christi, ejusque Patris æterni assistentiâ.

PROBATIO II.

In qua ostenditur, illam Sessiois V. Congregationem Constantiensem in eo se posuisse statâ, ut ne quidem *materialiter* & *dispositivè* dici posset Generalis ac Oecumenica Synodus.

45) **C**onstiterat ab initio hæc Synodus ex Episcopis Joannis Papæ dubij XXIII. obedientiæ addictis, ad providendum Ecclesiæ de certo Capite. Sub hoc statu ipsimet characteres Episcopales in unum collati, ex *intrinsicâ* naturâ suâ faciebant Synodo potestatem super Papis dubijs, ubi ad schismatis extinctionem id opus foret, etiam deponendis, & proficiendo de unius indubitati Pontificis suffragione; uti ex *antecedentibus* constat. Quæ nihilominus Synodus intenta erat de Papis dubijs removendis per spontaneam renuntiationem, sicque erat in statu tendentiâ ad characterem Apostolicum ex Papæ certi electione sibi conjungendum, poteratque adeò tunc dici *dispositivè*, & *materialiter* Generalis, utpote habens aptitudinem ad Concilij Oecumenici *formalem* ex Papa postea eligendo characterem

raherem obtinendum. Verum ubi Joannes XXIII. Constantiam aufugerat Schaffusium, non attento, quod iterato promississet renuntiationem, ad autoritativum processum descendit, non contra istum duntaxat dubium Papam, sed, uti ex parte adversa praetenditur, etiam ad decretum Concilij super Papam quoque certum superioritatis definitivum. In quo adeo statim Synodus illa se posuit in statu contrario erga characterem Concilij qua Oecumenici formaliter constitutum.

46. Probatur istud subsumptum. Si namque Adversarij totum evolvant Evangelium, non poterunt illum assignare apicem, qui secus ac *Matthaei 18.* est traditum, statuatur Concilij Oecumenici characterem ex alio, quam Christi nomine Vicario consistentem. Neque vero dicere fas est, Apostolicam autoritatem, Christi nomen praesertentem, ac sub *indefinita* ligandi & solvendi potestate consistentem, ex illo Apostolorum, si *divisim* spectentur, transisse in aliquem Successorem, excepto unico Petro, cui claves regni caelestis cum ordine ad perpetuum Ecclesiae statum, adeoque cum jure successione sunt collatae. Quae vero *indefinita* ligandi & solvendi potestas Apostolis *collectim* sumptis, qua Ecclesiam Universalem representantibus *cit. 18. Matth.* est promissa, non scitur ex sacro contextu non aliter subsistere, nisi Concilium fuerit congregatum in nomine Christi Vicario, antea habente ad Concilium, quippe cum istud debeat per hoc convocari, opusque adeo est ad illum Apostolicam plenitudinis characterem, Synodi, qua Oecumenica, formaliter constitutum, Apostolis *collectim*, qua Ecclesiam Universalem representantibus promissum *effectivè* obtinendum, ut Concilium fuerit convocatum sub nomine Christi Vicario, extra Concilium jam prius competente Petri Successori. Quia igitur Congregatio illa Constantiensis adversus istum Petri Successoris proprium characterem se oppoluit, ei, qui est Christo *immediatus* & *proximus* Vicarius, superponendo characterem Christo *immediatorem*, indeque adeo superiorem, dum Concilij super Papam superioritatem statuit, nequit pro tunc permanisse in statu etiam *materialiter* duntaxat Generalis, ac *dispositivè* Oecumenici Concilij, quamvis postea non ad istum solummodo statum redierit, sed tandem ex accessu Martini V. ad Synodum *complete* ac *formaliter* Oecumenicam statum ex Vicario Christi caractere, illi tunc certo Papae inexistente, pervenerit.

§. III.

An Patres Constantienses in Sessione V. Ecclesiam Universalem sufficienter, aut perfecte representaverint?

47. Emanuel à Schelstrate in sua Antuerpiana Dissertationis *cap. 1. art. 1.* probaverat, Patres Constantienses Sessione V. non sufficienter representasse Universalem Ecclesiam, ut eorum decretis omnes ubique fideles parere

debuerint. Quia ergo huic probationi opposuerit Maymbourgius *tractatus sui historici pag. 256.* in praesenti, una cum dicti Schelstrate responsionibus *praef. tract. Dissert. 2. cap. 3. repolitis*, hic proferre, animus est.

Argumentum Maymbourgi.

Hic Author *loco proxime citato* sic arguit. Tertium demum argumentum, quo Emanuel Schelstrate utitur ad infirmendam autoritatem decretorum Sessionis IV. & V. consistit in eo, quod in Concilio tunc duntaxat una Obedientia Joannis XXIII. fuerit, qua Ecclesiam Universalem representare nequivit. Ut autem demonstraretur nullitas hujus argumenti, quod procul dubio omnium pessimum est, duobus verbis ipsi dicam, id, quod supponit post Bellarminum (qui infirmas illas objectiones ei commodavit) esse *falsissimum*.

Responsio.

PRaelegatus igitur Schelstrate *dict. tract. pag. 113. ac seq.* ita respondet. In pluribus errat Maymbourgius: ac *primò* quidem in eo, quod argumentum nullitatis arguere praesumpserit, quod est longè validissimum. *Secundò* falsissimum dixerit, quod est verissimum. *Tertiò* demum, objectiones mihi à Bellarmino commodatas somniavit, quas ex solis Actis & Gestis Constantiensis Concilij, ac aequalium Scriptorum testimonijs desumpseram, ut sequentia legenti constabit. *Primum* enim testimonium, cui argumentum innititur, desumpseram ex duobus Auctoribus gravissimis, qui Constantiensi Concilio interfuerunt, & tredecim prioribus Sessionibus non nisi unam Joannis XXIII. Obedientiam adfuisse notarunt. Congregationem istius Obedientiae noluerunt alia duae pro Generali Ecclesiae conventu agnoscere, ut fidem faciunt Turretremata, & Summus Ecclesiae Pontifex Eugenius IV. quorum primus ea de re testatur his verbis: *Nullus dubitat, quod asserere, quod sola Obedientia Joannis faceret Concilium Universale Universalem Ecclesiam representans, esset temerarium ac scandalosum alijs duabus Obedientijs.* Secundus vero in *Apologia contra Basileenses* asserens: *Non dixit Obedientia Gregorij, non Benedicti, quae Christianitatis pars non modica erat, ante tempus conventionis plenarium fuisse Concilium, nec prius auctoritate quasi Synodi Generalis plenaria auctoritate suscepit.* Itaque oportuit, ipsis convenientibus, *primò* ab Obedientia Gregorij, deinde ab Obedientia Benedicti novum Concilium convocari; hinc, *universam* Ecclesiam concurrente, plenaria Synodi rem & nomen accepit. Quod ergo ante illum articulum ipsis à Patribus ibi *considentibus* actum est, *Universam* Ecclesiam non debet adscribi, sed eis tantum, qui *ibidem* considebant, & unius tantum Obedientiae Synodum faciebant. *Secundum* testimonium desumptum fuit ex Gestis Constantiensis Concilij hucusque inditatis, ex quibus ostendi, rem novam non esse, quod Concilium Constantiense ante trium Obedientiarum unionem Universale fuisse negetur, cum in ipso Concilio coram Patribus Con-

Constantiensibus publicè dixerint Legati Regis Arragoniæ: *Quòd quidem vellent se unire Concilio, non tamen reputare, esse Generale Concilium, neque agi de rebus Concilij Generalis, donec venirent Legati Regis Castellæ.* Ita in Gestis Constantiensis Concilij ad mensem Octobris anni 1416. in quibus referuntur quoque litteræ scriptæ à Rege & Regina Castellæ ad Congregationem quatuor Nationum in Constantia. Quæ litteræ cum hac inscriptione coram Patribus Concilij lectæ fuerunt, qui nullam sibi injuriam ex omisso titulo Generalis Concilij fieri existimârunt, nihilquæ ad illud responderunt: quin potius ante Unionem duarum Obedientiarum sese universam Ecclesiam non repræsentâsse, tacitè admiserunt.

54. Ostendi namque tertio loco ex Regesto Constantiensis Concilij, Gregorium XII. cum sua Obedientia noluisse Sessione XIV. unionem inire, nisi improbatâ convocacione per Joannem XXIII. factâ, & novâ Concilij convocacione admittâ. Extant ea de re Bullæ Gregorij XII. quarum prima inscribitur, *De potestate authorizandi istud Concilium.* Secunda directâ fuit ad Carolum de Malatestis, ut convocato de novo & autorizato Concilio, suo nomine de Pontificatu cederet. Quibus omnibus adjuncti ex Sessione XXII. Actorum Constantiensium, quòd Concilium ipsum juxta concordata Narbonæ cum Obedientia Benedicti XIII. inita, non solum tertiam convocacionem admiserit, sed in litteris, quibus Patres istius Obedientiæ ad Concilium vocabant, à titulo Universalis, seu Oecumenicæ abstinerit, & Patrum Hispanorum litteras receperit, ac receptas in publica Sessione legi, Actisquæ suis inseri jussit, licet nulla Generalis Synodi mentio in ijs fieret.

55. Hæc ergo in Dissertatione mea Antuerpiensi non quidem ex Bellarmino, ut putavit D. Maymbourg, sed ex Actis Constantiensis Concilij editis & ineditis, ac æqualium Scriptorum testimonijs, quæ clariora sunt, quam ut hic Author ea attingere, ne dum refutare ausus sit: maluit namque cuncta superioris allata sub silentio prætereire, quam ea in memoriam revocando, præjudicium aliquod opinioni suæ afferre. Quamvis autem illud palliandæ malæ ipsius causæ prodesse possit, à me nullatenus tacendum fuit, cum ex ijs clarissimè constet, Concilium Constantiense à duabus Obedientijs Gregorij XII. & Benedicti XIII. pro Universalis habitum non fuisse.

56. Ne tamen D. Maymbourg nimis harum Obedientiarum terminos restringat, memoriâ repetendum est; illas non modicam, ut cum Eugenio IV. loquar, *Christianitatis partem* constituisse; in obedientia enim Gregorij, conitatus, fuisse non ignobiles Italiæ Urbes: com totâ Romaniâ, ejusquæ Principe Carolo de Malatestis; celebres insuper Episcopatus Germaniæ, Wocmatiensis nimirum, Spirensis, ac Werdensens, qui omnes cum Duce Bavarie; alijsquæ paruerunt Gregorio usque ad sessionem Pontificatus. In obedientia verò Benedicti XIII. pater, fuisse quatuor integra Regna, Scotiæ nimirum, Navaræ, Castellæ, & Arragonum,

quorum Reges, unâ cum celeberrimis totius Hispaniæ Ecclesijs, & Universitatibus, Concilium usque ad Sessionem XXXVII. noluerunt pro Generali agnoscere, prout in ipso Constantiensi Concilio coram Patribus, nemine eorum contradicente, non semel, sed pluries exposuerunt. His autem, si adjungas Dominum de Fuxo & Armenico, cum populis Bearnæ ipsi subiectis, Insulas Majoricarum, Sardinia, & Corsicæ de Obedientia Benedicti; Joannem Dominicum Archiepiscopum Ragulinum cum alijs de Obedientia Gregorij: patebit profectò, eorum judicium contemnendum non esse.

Exceptio per Maymbourgum opposita.

54. Hic enim Author pag. 257. denuò objicit, omnes Cardinales duarum illarum Obedientiarum, qui sese univerant in Concilio Pisano, & duobus contentibus depositis, Alexandrum VI. in eorum locum elegerant, sub ejus Successore Joanne XXIII. Concilium Constantiense continuâsse.

Responsio.

55. Verùm dictus Schelstrate ibi à pag. 119. respondit, se nescire, cur Maymbourgus duarum Obedientiarum Cardinales objiciat pro firmânda autoritate Constantiensis Concilij, cum illos profus Decretis Sessionis IV. & V. refragatos fuisse, in Dissertatione Antuerpiensi ex Gestis Concilij ostenderim; id quod capite superiori rursus probavi. Complures enim Cardinales, quos nobis ex Obedientia Joannis XXIII. objicit, ipsi sunt, qui conclusioni Decretorum oblitterunt ante Sessionem IV. & contra eorum publicationem protestati sunt ante Sessionem V. Illi sunt, qui in camera Paramentorum, unâ cum Oratoribus Regis Franciæ, declarârunt, quòd *ad Sessionem ibant ob scandalum evitandum, non animo consentiendi his, quæ audiverant, in ea statui debere.* Illi sunt, qui Sessione V. coram Patribus ipsis recusârunt, ejus publicationi annuere. Acta enim typis edita referunt, per electum Poznaniensem pronuntiata fuisse, quia *Cardinalis Florentinus, ut Manuscripta Gestâ testantur, ea noluit pronuntiare.*

56. Quòd si pro cognoscendo sensu Cardinalium mens Cardinalis Florentini non sufficere videatur, audiendus est Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracensis apud Gallos celeberrimus, qui non anno 1415. ut putavit Illustrissimus Apamearum Episcopus Spondanus, sed anno 1417. ante adventum Legatorum Regis Castellæ scripsit Tractatum de Ecclesiâ, & Cardinalium autoritate, & p. 1. cap. 4. aliqua dubia proposuit, quæ dicebat, apud nonnullos magnam perplexitatem inducere. Primum dubium, an quatuor Nationes in hoc sacro Concilio sic distinctæ, videlicet Italica, Gallica, Germanica, & Anglicana, excluso dicto Cardinalium Collegio, faciunt Generale Concilium, cum sint plura Concilia particularia valde inæqualiter, & impropotionaliter divisa, & ad partem deliberantia, quæ deliberatio, exclusâ de.

sa deliberatione dicti Collegij, & non facta in communi Sessione collatione votorum, videtur multis non esse censenda deliberatio Concilij Conciliariter facta. Secundum dubium, an dicta Nationes, quae sunt nova Collegia particularia, quae multis videntur contra, vel praeter consuetudinem antiquam sacrorum Conciliorum instituta, licet ex rationabili causa, & sub debitis circumstantijs ita institui poterint, habuerint à jure Divino, vel humano auctoritatem privandi Romanam Ecclesiam, & sacrum Collegium ipsam representans (quod est antiquum Collegium, & antiquo jure, & in sacris Generalibus Concilijs, & in sanctorum Patrum Decretis fundatum) privandi, inquam, jure suo, habendi scilicet vocem in sacro Concilio, & Summum Pontificem eligendi? Hæc ibi Petrus de Alliaco affirmans, ista dubia à se proposita fuisse, ut super his Concilium deliberaret, ne in futurum Acta reprobandentur; quod sanè nunquam Cardinalis Cameracensis monuisset, nisi auctoritatem Constantiensis Concilij quoad aliqua decreta in dubium revocari posse, prævidisset.

57. Neque hæc singularis opinio Petri de Alliaco, sed communis totius sacri Collegij fuit, ut occasione Decreti de non eligendo sine Concilij assensu Pontifice, sufficienter constitit: cum enim Sessione XIV. editum eâ de re fuisset Decretum, non solum Cardinales se ad illud minimè teneri, existimârunt, sed unanimi totius sacri Collegij consensu contra illud protestati sunt, ut fidem faciunt Gesta Constantiensis Concilij hæctenus inedita, quæ notant post Sessionem XXXVIII. quod Cardinales attenderint constitutionem. Ubi periculum majus. De elect. in 6. & alia jura, & etiam Decreta Concilij super electione Papæ hæc vice, per quæ Concilium decrevit electionem sendam modo, & formâ, loco, tempore, & materiâ per Concilium ordinandis, & penas terribiles imponit contrarium facientibus, suspenditque omnia jura positiva in illa materiâ. Addunt, dictos Cardinales non reputasse, illa Decreta valere propter opiniones Doctorum ita dicentium. Et licet publicè ea impugnare noluerint, ne electio futuri Pontificis impediretur; Acta tamen affirmant, eos noluisse tacite, vel expressè juri scripto renuntiare, ideoque protestationem minoribus terminis fecisse, quibus concipi poterat, eamque coram singulis Nationibus de sacri Collegij mandato prælegi fecisse.

58. Jam videre incipiet D. Maymbourg, nisi mea me fallat opinio, Cardinales, quos ex Obedientia Joannis XXIII. adduxit, suo instituto non favere, cum Decreta Sessionis XIV. ipsimet in dubium revocârint, seseque illis non teneri, publicè coram singulis Nationibus exposuerint. Clariùs autem infirmitatem Decretorum illorum videre poterit ex alia protestatione Cardinalium postea contra Regem Romanorum, & Nationem Germanicam edita, in qua non solum fatentur: Quod Clerus & populus nonnullorum Regnorum, & Provinciarum nondum solidè & clarè Concilio adhaeserant, sed, ut communiter fatebantur, expectarent senda electionis Summi Pontificis eventum, ut, si electus foret Canonicè, illi obedirent, aliàs non. Nec non etiam, quod quorundam, qui eidem Concilio adhaeserant,

propter rumores discordiarum, & quasi impressionum, quas in eodem Concilio fieri audiebant, fidem jam de eodem Concilio vacillare: ideoque scriptum, & relatum tunc fuisse à pluribus Magnatibus, & alijs Zelatoribus pacis, & unionis Ecclesiae, in Italia plurimum dubitari, ne in Urbe Romana, prætextu rumorum, & dilationis, prædictorum aliquis pro Summo Pontifice assumeretur, cui forsitan, præmissis attentis, tota Italia obediret. Hæc ferè in terminis Cardinales ante Sessionem XXXIX. ex quibus patet, quænam tunc esset plurimum fidelium de Concilio Constantiensis opinio, quænam de admittendis ejus Decretis non Cardinalium duntaxat, sed totius ferè Italiae sententia, pro qua Nationem quoque Hispanicam adducere possumus, quod illa publicè cum Cardinalibus admiserit, ad electionem Pontificis procedi posse: Non obstantibus quibusdam hujus Concilij Decretis, quibus, inquit, Nos Hispanica Natio, etiamsi aliàs valida existerent, non ligamur. Quo nihil clariùs dici à Natione Hispanica potuit, nihîl manifestius de auctoritate Constantiensis Concilij, ante trium Obedientiarum unionem, in edendis de electione Pontificis Decretis posterorum memoriæ consecrari valuit.

Statuerat Concilium Constantiense ante unionem Hispanorum, à Cardinalibus procedi non posse ad electionem Romani Pontificis, nisi de consensu Concilij, quod Decretum non solum, tanquam invalidum, Cardinales impugnarunt, sed à tota Natione Hispanica rejectum hæc ratione fuit, quod etiamsi aliàs validum existeret, se illo minimè ligari, existimaret. Hæc post Sessionem XXXVIII. Natio Hispanica in publico Instrumento, quod nomine sacri Cardinalium Collegij, & duarum aliarum Nationum in Ecclesia Constantiensis Regi Romanorum, & Nationi Germanicæ prælectum fuit, & ab ipsâ Natione Gallicana negari non poterit, utpote, quæ una ex duabus illis Nationibus fuit, & non solum hanc Hispanorum sententiam protestationi suæ inseri, sed & per Archiepiscopum suum Bituricensis publicè legi permisit. Quæ omnia hic annotare placuit, ut videat D. Maymbourg, quàm longè à vero aberret, dum Decreta Sessionis V. tanquam Concilij Generalis statuta, ab omnibus accipienda esse voluit. Si enim, fatentibus in Constantiensis Concilio Gallicanæ Ecclesiae Episcopis, Natio Hispanica non tenebatur Decreto Sessionis XIV. quia eidem non adfuerat, multò minùs tenebatur Decreto Sessionis V. Sedes Apostolica, quæ non solum ei non interfuit, sed per tres sese pro Pontificibus Romanis gerentes, ac per plures de sacro Cardinalium Collegio, Romanam Ecclesiam representante, manifestè contradixit.

Neque responsum meretur, quod D. Maymbourg de Concilij Generalibus, & signanter Tridentino, objicit, ac si eorum auctoritas in discrimen vocaretur, vacillante auctoritate Constantiensis Synodi. Non sufficit enim ad Concilium Universale, quod omnes Episcopi convocati sint, prout falsò supponit Author iste; sed requiritur, quod legitima

timâ autoritate convocentur. De illa namque, si dubium exurgat, & variæ Catholicarum Regionum sententiæ reperiantur, quibusdam volentibus, ab illegitima autoritate Concilium convocatum esse, ideoque sese non teneri, nec velle ad illud accedere, sicut magna Italiae & Germaniæ pars cum Gregorio XII. & quatuor integra Scotiæ, & Hispaniarum Regna, multaque aliæ Regiones cum Benedicto XIII. sentiebant de Constantiensi Concilio; tunc auctoritas Concilij ex plurimorum Catholicorum absentia & contradictione infirmatur. Et hoc est, quod in Constantiensi Synodo à duabus Obedientijs non semel, sed sæpius dictum fuit, & ab ipsa Obedientia Joannis XXIII. negari non potuit, utpote quæ novam Concilij convocationem admisit, & in litteris, quibus Benedicti XIII. Obedientiam evocavit Constantiam, à Generalis Concilij titulo de communi quatuor Nationum suarum consensu abstinuit. Quod si Patres Constantienses, ipsaque Natio Gallicana morem gesserint Hispanis, Concilium ante trium Obedientiarum unionem pro particulari, & non Generali tenentibus: quid, quæso, nunc D. Maymbourg æquiparat hoc Concilium Universalibus, de quorum legitima convocatione nemo Catholicorum unquam dubitavit?

Iterata Maymbourgii instantia.

61. **A**uthor iste pag. 258. rursus instat. Si non sufficiat, convocari omnes ad Concilium, quemadmodum per Joannem XXIII. ad Synodum Constantiensem convocati fuerant Episcopi aliarum duarum Obedientiarum, tunc hæreticos objicere posse, præcipue contra Tridentinum Concilium, quod ibi neque adfuerint Episcopi Ecclesiæ Anglicanæ, neque Daniæ, neque Norvegiæ, neque Sueciæ, neque ex ea Germaniæ parte, quæ sequebatur Confessionem Augustanam: (dicere possent) non adfuisse Græciæ Antistites, non Orientis, neque Ægypti, qui omnes tempore Tridentini Concilij non magis dici poterant de Obedientia Pontificis, Concilium convocantis, quam erant tempore Constantiensi Synodi illi, qui Petrum de Luna, vel Angelum Corarium sequebantur.

Responsio.

62. **P**ræallegatus Schelstrate sui tract. pag. 128. respondet; Concilio quidem necessariam non esse præsentiam eorum, qui foris sunt, Angliæ, Græciæ, Orientis, & Ægypti Regiones in schisma, & hæresim prolapæ erant, ut illarum Episcopi æquæ, ac Germani Lutheranam hæresim sequentes, extra Ecclesiam constituti essent. Potuit itaque sine illis tota Ecclesia per Concilium Tridentinum representari, prout re ipsa representata fuit. Sed aliud erat de Constantiensi Concilio, à quo Catholici ipsi ex rationibus supra citatis aberant, quibus Concilio contradicentibus, & repugnantibus,

tota Ecclesia Constantiæ representari non poterat. Accedit, Caput defuisse Ecclesiæ, sine ejus consensu Decreta similia, qualia Sessione V. publicata feruntur, robore suo carere dicenda sunt: sicut Concilij II. canon pro Primatus honore Constantinopolitanae Ecclesiæ tribuendo, nullius roboris fuit, quia Sedes Apostolica neque per Legatos Concilio adfuit, neque per se Canonem probare voluit.

Replicatio Maymbourgii.

63. **H**ic Author pag. 260. iterum objicit, si decreta Constantiensi Concilio auctoritate sua destituantur, quia abfuerunt duæ Obedientiæ, & Pontifex non interfuit, sequerentur exinde terribilia quædam: ac primò quidem, quod condemnatio errorum Wicleffi & Hus foret invalida, quia condemnati fuerunt Sessione XV. ante unionem reliquarum Obedientiarum, & cum nondum Pontifex Concilio adesset. Secundò, quod detestabilis illa propositio Joannis Petit, quæ cuilibet vasallo permittit, & imponit occidere tyrannum, quocunque modo possit, non esset legitime condemnata hæreticos. Et demum, quod sententia condemnationis, & depositionis Joannis XXIII. quæ dudum lata fuit ante unionem duarum illarum Obedientiarum, sine ulla auctoritate facta fuisset; juxta illud Cardinalis Juliani ad Eugenium IV. *Nam si quis dixerit, Decreta illius Concilij non esse valida, necesse habet sateri, privationem olim Joannis factam vigore illorum Decretorum, non valuisse. Si illa non valent, nec etiam Papæ Martini tenuit electio, facta illo superflite. Si Martinus non fuit Papa, nec Sanctitas Vestra est, quæ per Cardinales ab ipso factus electus est.*

Responsio.

64. **P**ræfatus Schelstrate à pag. 130. responderet; primò objectionis punctum non majoris momenti esse, quam præcedentia, cum facilis sit illius solutio. Licet enim propositiones Wicleffi & Hus à Concilio nondum Universaliter condemnatae fuerint, à quatuor tamen Nationibus cum deliberatione debita, & de communi omnium Nationum ac Cardinalium consensu condemnatae sunt, quorum sententiam Martinus V. auctoritate Apostolica confirmavit, prout speciali constitutione: *Ad perpetuam rei memoriam*; quæ incipit: *In eminentis Apostolicæ dignitatis speculo*, omnibus manifestum facit; ut infra latius videbimus.

Quoad secundum de detestabili illa propositione Joannis Petit, quæ cuilibet vasallo permittit, & imponit occidere tyrannum; nescio, quâ ratione Author iste invidiam mihi creare voluerit: habet enim de propositione illa Concilium Constantiense Sessione XV. *Præhabita deliberatione maturâ, declarat, decernit, & diffinit, hujusmodi doctrinam erroneam esse in fide & in moribus, ipsamque tanquam hæreticam, scandalosam, &c. reprobat, & condemnat: declarat insuper, decernit, & diffinit, quod pertinaciter doctrinam hanc perniciosissimam asserentes sint hæretici.*

ei, & tanquam tales juxta Canonicas sanctiones puniendi. Cùm enim ex his constet, Concilium Constantiense, præhabita maturâ deliberatione, de communi omnium Patrum consensu propositionem illam tanquam erroneam in fide damnasse, ipseque D. Maymbourg fateatur, hæreticam judicatam fuisse, nonne videt, Decretum de illa tanquam in materia fidei Conciliariter factum, à Martino V. probatum fuisse, adeoque autoritate Pontificiâ confirmatum, juxta principia à me posita, plenum robur obtinere? Quod si dubitet hæc de re, legat Sessionem XLV. in qua Martinus V. professus est, se omnia & singula determinata, conclusa & decreta in materis fidei per Concilium Constantiense, Conciliariter tenere velle, ipsaque sic Conciliariter facta approbare, & ratificare, & non aliter, nec alio modo.

66. Vanæ itaque sunt terribiles sequelæ, & fomniorum inflat habendæ, utpote quæ nec menti meæ conveniunt, nec ex principijs à me positis deduci possunt, sicut nec deduci potest, quod Joannis XXIII. depositio, aut Martini V. electio in dubium revocandæ sint; prout D. Maymbourg pro tertîâ terribili sequelâ sententiæ meæ opponit. Supponit namque Author iste, me voluisse in Dissertatione Antuerpiæ edita, quod solum confirmata fuerint Synodi Constantiensis Decreta contra Joannem Wicleff, & Hus in materia fidei Conciliariter statuta, unde cap. 24. mihi objicit: *Quid erit igitur de alijs Decretis, quæ facta sunt pro extirpatione schismatis, & reformatione Ecclesiæ. . . Dicat mihi, an hæc Decreta approbata sint, nec no? Si approbata non sunt, debet juxta sua principia admitttere, quod depositio & condemnatio Joannis XXIII. sit nulla, & quicquid eam subsequutum est, subsistere nequeat. . . Si approbata sunt, dubitari non potest, quin etiam confirmata sint Decreta Sessionis IV. & V. quandoquidem præcipue pro extirpatione schismatis facta sint. En objectionem, quæ huic fallæ suppositioni innititur, quod ego dixerim, nulla alia Decreta Constantiensis Concilij confirmata fuisse, quam illa contra Joannem Hus & Wicleff edita. Ubinam ego id scripsi in Dissertatione mea Antuerpiensi? Quibus verbis id asserui? Legat D. Maymbourg, & pervolvat dissertationem meam Antuerpiæ editam, & inveniet, me quidem admisisse, quod Martinus V. Sessione XLV. ex Decretis in illa materia fidei Constantiæ editis solum illa autoritate Apostolicâ confirmavit, quæ Conciliariter facta erant: non verò negasse, omnia alia Decreta confirmatione caruisse. Licet enim vi confirmationis explicitæ, quam Martinus V. Sessione XLV. fecit, solum confirmata sint Decreta, quæ in materia fidei Conciliariter statuta fuerant, aliunde tamen constare potest de speciali approbatione, vel acceptatione aliorum Decretorum Constantiensium, sicut specialiter constat de tribus Decretis, de quibus ex libro primo de diversis formis anno primo Pontificatus Martini notatum est in manuscripto codice 6951. Bibliothecæ Vaticanæ. Ad perpetuam rememorationem. Confirmat quadam Decreta Concilij Constantiensis, videlicet primum circa honores, loca,*

prærogativas & excellentias ab antiquo debita, & consuetæ singulis Regibus, & Principibus Orthodoxis, ac eorum Ambassiatoribus, & Nuntijs tam in præsentia Summi Pontificis, quam alibi, &c. Secundum circa annulationem & cassationem privationum & penarum à certa die per Benedictum XIII. in sua Obedientia nuncupatum, factarum, promulgatarum, fulminataram, &c. ex quacunque causa contra quascunque personas, &c. provisionum, promotionum & translationum Ecclesiarum, &c. & generalium omnium concessionum, beneficiorum, dignitatum, &c. gratiarum, dispensationum, matrimoniorum, beneficiorum, &c. Tertium circa representandas & habendas voces Prælatorum, & aliorum absentium in Concilio per Reges Arragonum, Legionis, Castellæ, Navarræ, Portugalliæ, corumque Ambassiatores, & Nuntios computandos in Natione Hispanica, &c. juxta capitula Narbonæ concordatæ, &c. Datum Gebennis IV. Kal. Julij anno primo.

Sunt itaque Constitutiones quædam Constantiensis Synodi, quas Martinus V. post illius finem specialiter confirmavit. Sunt & aliæ, quas, durante Concilio, particulari Bullâ probavit, ut cuicque Concilij Acta pervolverenti constabit. Sunt demum & aliæ, quæ tres Obedientiæ, & Martinus V. ac tota Ecclesia ipsomet facto acceptarunt, sicut Joannis XXIII. depositionem, quæ locum habere potuit, quamvis Decreta Sessionis IV. & V. in sensu Basileensium intellecta, robore caruerint. Ad hoc enim, ut depositio Joannis subsistat, non requiritur, quod Concilium supra unicum & indubitatum Pontificem auctoritatem habeat, sed sufficit, quod tempore schismatis vigeat, quo tres simul de Papatu contendeant, de quibus, ut nunc communiter admittitur, Concilium sententiam ferre poterat.

Quamvis autem ad deponendum Joannem XXIII. supradicta autoritas Concilio sufficiat, ita ut Martini electio ex hoc capite in dubium revocari nequeat, tamen ipsius etiam Joannis XXIII. consensus accessit, ut testatur Leonardus Aretinus in Commentario rerum sua tempore in Italia gestarum, bis de Pontificatu cessit, semel Cellæ, antequam deponeretur, & semel Florentiæ, postquam depositus, & in ejus locum Martinus V. electus fuerat. Quod enim D. Maymbourg ex Aretino objicit, Joannem ultimâ vice de Pontificatu cessisse, quia cognoverat, se aliàs jussu Martini Mantuæ perpetuo carcere includendum, ex verbis ipsius Aretini refutari potest, qui expressè testatur, Joannem eo Martini consilio cognito, antequam Mantuam veniret, aufugisse, & in Ligures abiisse. Et ibi cùm esset liber, & suavis, sive consentiâ ductus, sive quod desperabat, aliquid efficere posse, sponte suâ Florentiam venit: & sese pedibus Martini subiciens, eum, ut Pontificem verum, & unicum recognovit. In adventu ejus tota Civitas obryiam profusa multis lacrymis, & meredibili commiseratione respexit hominem tanta dignitatis fastigio in tantas calamitates prolapsam. Ipse quoque miserabili propè habitu incedebat. His omnibus commiseratio populi augebatur. Susceptus à Martino tandem intercessionem Civitatis, primus

Cardi-

PROBATIO I.

Cardinalis efficitur, nec annum integrum superstes
vita migravit.

69. Hæc ibi Aretinus, ex quibus D. Maym-
bourg discere potuit, Joannem non metu
perpetui carceris, quando à militibus Mantua-
m ducebatur, sed cum manibus militum elap-
sus erat, & in Liguribus liber, ac sui juris exi-
stebat, nihilque sibi timere debebat, sponte
sua Florentiam venisse, pedibusque Martini
sele subiiciendo, eum ut verum & unicum
Pontificem agnovisse. Quod idem Aretinus
Martino V. de Civitate Florentina conque-
renti his verbis sese dixisse, testatur: *Ioannes
Pontifex, de cuius depositione propter vim adhibi-
tam multi dubitabant, & scrupulus quidam relin-
quebatur in mentibus, securitate atque fiducia huius
loco Florentiam venit, tibi se sponte sua subiecit,
ac Dominum, & Pontificem verissimum recognovit,
quo facto omnis est penitus scrupulus, ambiguitasque
sublata, neque enim de illa vi adhibita sollicitus esse
quisquam potest, cum ipsius voluntaria in loco sibi
tutissimo sit conspecta subiectio.* Quæ Aretini
verba ad eò Martini placuere, ut Florentinæ
Civitatis pro hac etiam cessione *ibidem* factâ,
se plurimum obstringi, confessus sit. Unde
manifestum fit, si quis scrupulus de legitimâ
electione Martini superesset in nonnullorum
animis, hunc sublatum fuisse per spontaneam
Joannis renuntiationem, quamvis re verâ hæc
renuntiatione Martini electio minimè indi-
guerit, utpote quæ legitime à tribus Obedi-
entis facta, & consensu totius Orbis Catholici
confirmata fuit. Quæ omnia de Decretis
Sessionis V. dici non posse, & hæc Dissertatio-
ne ostendimus, & sequenti adhuc pluribus de-
monstrabimus.

CONCLUSIO.

70. PRO statu V. præsertim Sessionis ultra
schismatis statum sese protenden-
tis, ad decernendam Concilij super Papâ
etiam certo superioritatem, non potuit
in Synodo Constantiensis Ecclesia Uni-
versalis sufficienter ac perfectè repræ-
sentata fuisse.

Explicatur. Ecclesia namque quoad sta-
tum suum hierarchicum complete non subsistit
ex corpore *acephalo*, sed *substantialiter* impor-
tat tum Caput, Oecumenicâ Apostolicâ autho-
ritate præpollens, tum Corpus hierarchicum,
ex Præsulibus Ecclesiasticis in Pastoralis soli-
tudinis partem vocatis coalescens. Dum
ergo neque Caput Ecclesiæ, neque integrum
Corpus illud hierarchicum intererat Concilio
Constantiensis, non potest istud sufficienter re-
præsentasse Universam Ecclesiam; uti pa-
tet tum ex *antecedentibus*, tum ex
subsequentibus magis eluci-
dabitur.



Quâ ostenditur, ne *materialem* quidem
generalitatem pro statu V. Sessionis habuisse
locum in Concilio Constantiensis, quod provin-
de hæud fuisse sufficienter repræsentativum
Ecclesiæ Universalis, etiam quoad *ace-
phalum* illius Corpus hie-
rarchicum.

71. CUM Christus *Matthæi* 18. disertis verbis sit
contestatus, *se in medio eorum fore, ubi duo,
vel tres in nomine suo congregati fuerint;* clarè
hinc evincitur, Concilij Oecumenici genera-
litate constare posse ex paucioribus etiam
Præsulibus Ecclesiasticis, modo illi congregati
fuerint in nomine Christi ad totum Christiani-
anum orbem se protendente, in vi indictionis
per autoritatem Apostolicam convocantibus
cunctos Christianæ Ecclesiæ Antistes, licet
pauciores ex his postea compareant. At ne-
que ista convocatio, neque aggregatio Præ-
sulum Ecclesiasticorum pro Synodo Constans-
tientiensi prætendi potest esse facta sub certo
Christi Vicario characterem, qui eo ipso, quod in-
certus sit, nequit Ecclesiam certificare de sta-
tu Oecumenici Concilij, nec ad eò in facie Ec-
clesiæ haberi potest talis Synodus quæ Gene-
ralis, nisi *dispositivè* fortassis & *materialiter*, non
aliter tamen, quam sub respectu ad indubita-
tum Christi Vicarium characterem, soli Papæ
certo, secundum prudentialis credibilitatis e-
videntiam, inexistere possibilem.

72. Esti verò ipsorum etiam Præsulum chara-
cteres Episcopales in unam Synodum Constans-
tientensem collati, ex suo *transcendentali* ad
Ecclesiæ regimen ordine, atque ad eò ex sua
connatâ ad certum Ecclesiæ Caput providen-
dum, habitudine & ordinatione *intrinsecâ*, jam
fundarint *materialem* quandam Concilij genera-
litate, sub statu tendentiæ ad certum Papæ
characterem obtinendum positæ, hæc ipsa ta-
men generalitas *materialis* pro eo etiam statu,
quo Synodus Constantiensis supra Papam cer-
tum contendeat se efferre, necdum com-
pletebatur Episcopos ac Præsules Benedicti
XIII. & Gregorij XII. obedientiam professos.
Quæ integritas *materialis* in Concilio Constans-
tientiensi V. præcipue Sessione tantò magis de-
crescebat, quòd ex ipsa etiam Joannis XXIII.
Obedientia quàmplures Patres in contrarium
protestati fuerint, imò dum congregatio ejus-
modi à characterem Concilij Oecumenici *forma-
liter* constitutivo, Vicario scilicet Christi no-
mine se alienum ostendebat, ex tunc prorsus
deficiebat conventus illius ordo & habitudo
ad characterem Christi Vicarium, siquidem
iste per essentiam suam non admittat autori-
tatem Christo immediatiorem, atque ad eò se
majorem, sicque ad eò sanctitâ Concilij super
Papam autoritate, jam abiciebatur ille Vi-
carius Christi character. Unde quando Ses-
sionis illius V. congregatio neque reliqua-
rum duarum Obedientiarum Patres, neque
plures ex Joannis XXIII. Obedientiâ Præsules,
utpote in contrarium protestantes, com-
plexa est, sed in super desijt esse in tendentiâ ad
sua

sui complementum formale & substantivum, ex immediato Christi Vicario caractere, solius Papæ proprio sibi adscribendum, omnino consequens est, tunc ne quoad *materialem* quidem hierarchici Corporis generalitatem fuisse illam Synodum Ecclesiæ Universæ sufficienter repræsentativam.

PROBATIO II.

Quâ ostenditur pro illo statu, longè magis defuisse Concilio *formalem* generalitatem, atque adeò vim Ecclesiæ Universalis sufficienter & completè repræsentativam.

73. Concilium Oecumenicum venire nomine Ecclesiæ, dicere debent illi universi, qui asseverant, ipsi appropriari posse illud *Matthæi 18. Dic Ecclesiæ. Et; Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.* Num verò sub isto Ecclesiæ vocabulo in hoc sacri Evangelij textu dicere fas est, intelligi Corpus Ecclesiæ hierarchicum *acephalicè* sumptum, an verò quâ Capiti suo Summo Pontifici unitum? Certè Ecclesiam illam, quam quis non audierit, esse à Christo condecoratam *indefinitè* ligandi & solvendi Apostolicâ autoritate, constat ex sacro Evangelico contextu. Constat insuper ex hoc, Ecclesiam illam eâ polere præminentia, ut, si Duo inibi aggregati consenserint, super quacunquere, quam petierint, ipsis fore impertendam à Patre Cælesti. Constat præterea ex eisdem Evangelij contextu, istos Duos esse, tum qui congregantur in nomine Christi, tum consequenter illum, qui præfert hunc Christi Vicarium characterem. Nequit ergo illa in Concilio Oecumenico *repræsentativè* consistens Ecclesiæ sufficienter ac integraliter subsistere, nisi illi Duo, nempe Corpus Ecclesiæ hierarchicum nomine Christi aggregatum, & Caput Vicarium Christi characterem præferens, conjungantur in Generali Concilio. Quia igitur in Concilio Constantiensi pro statu præsertim V. Sessionis erat defectus tum ex parte Corporis hierarchici, tum ex parte Capitis, imò quia hujus autoritas suprema, quâ Christi Vicarium nomen *immediatè* præferens, tollebatur è medio, consequens est, Concilium Constantiense pro illo statu non fuisse Ecclesiæ Universalis sufficienter repræsentativum, ita ut in ejus medio Christus unâ cum Patre suo Eterno, ac Spiritu sancto adluisse dici potuerit.

§. IV.

Corollarium.

74. EX dictis facillè patet, quàm ruinoso nitatur fundamento articulus *secundus* Cleri Gallicani, Sessionis IV. & V. decretis Constantiensis Synodi innitens. Ad cujus illationis nostræ majorem elucidationem videre hic placeat, an verum sit, quod Maymburgus pag. 223. præterdit, nullam unquam questionem esse melius examinatam, quàm illam de autho-

ritate Conciliorum discussam Constantiæ, cum enim & post sermonem Gersonis in Congregationibus Nationum, juxta ordinem à Concilio statutum, esset examinata, exinde relatum de ea fuisse in Sessione IV.

Verùm Emanuel a Schelstrate *dicti tract. sui Dissert. 2. cap. 1. art. 2.* reponit, ea verba non solum cum anterioribus pugnare, sed etiam Actis Constantiensis Concilij contradicere. Etenim hic ipse Author lib. 5. de schismate Occidentali anno 1415. tradidit, solum post sermonem Ioannis Gersonis de questione illa Constantiæ agi cœpisse. Cum enim narrasset de Ioanne XXIII. quod 21. Martij fugam arripisset, & Ioannes Gersonius post biduum sermonem habuisset coram Patribus Concilij de autoritate Ecclesiæ supra Pontificem: *En, inquit, occasione, quæ tunc peperit celebrem illam questionem, quæ nunquam antea agitata erat in Ecclesiâ; An nimirum Concilium sit supra Papam, aut Papa supra Concilium? Sicut enim sermo Cancellarij Parisiensis magnum rumorem excitaverat tam Constantiæ, quam Scaffusæ, ubi plures Cardinales, & alij Concilij Patres ad Papam pervenerant, non omiserunt eâ de re disputare cum magno fervore immediatè post Sessionem III. quæ cœpit die 25. Martij, & die sequenti continuata fuit. Hæc ibi D. Maymbourg, citans in margine Acta Constantiensis Concilij, & Authores contemporaneos, ut eorum testimonio probaret, questionem de superioritate Concilij ex sermone Gersonis ortum Constantiæ & Scaffusæ duxisse: unde Author ille nullatenus sibi constat, dum in *tractatu historico* scripsit, ante eundem sermonem à Nationibus quaestionem illam agitatam fuisse.*

Neque minùs dissonat Actis Concilij, in quibus refertur, quòd post fugam Ioannis XXIII. tres Cardinales deputati fuerint, ut ad Papam Scaffusæ commorantem accederent, & ad Procuratorium super cessione Pontificatus constituendum, Concilium quæ continuandum inducerent: quod quæ 23. Martij dicti tres Legati Cardinales, dum ex mandato sacri Collegij ad iter se parabant, summâ animorum admiratione experierint novum de audienda Missa sancti Spiritus pro unione & extripatione schismatis. Propter quod, inquit Regestum, Cardinales valde admirati sunt, timentes, ne Concilium aliquid furiosè attentaret contra Dominum nostrum Papam, propter quod deliberaverunt, Missa non interesse. Infrà tamen Missam, accessit Dominus Rege Romanorum, in quadam Capella Ecclesiæ Constantiensis secum locuti sunt. Finita itaque Missa celebrata per D. Patriarcham Antiochenum, recitavit quædam sermone per quendam Doctorem de Universitate Parisiensi, in confirmationem Concilij, & derogationem jurisdictionis Apostolicæ, nullòque alio actu ibidem factò, prædicti tres Cardinales Legati iter arripuerunt versus Dominum nostrum Papam.

Doctòr Parisiensis, cujus hæc, tacito nomine, meminit Regestum, est Ioannes Gersonius, qui modum, quo sermonem hunc composuerat, his verbis indicavit: *Iussit, inquit de Universitate Parisiensi, hesternò Vespere per Ambassadors, & Nuntios suos hic præfentes, quatenus hoc matutino tempore essem habiturus orationem nomine*

nomine suo pro veritatis elucidatione circa ea, quæ per hoc sacrum Concilium agenda videntur occurrere. Nullus, opinor, mirabitur, si ad hanc iussionem ego fragilitatis meæ conficius, & temporis arctatione pressus expavi. Ita ipse Gerfonius de sermone suo unicâ nocte composito, quo Constantiæ coram Patribus publicè agere cœpit pro confirmandâ superioritate Concilij, idque ad eodè inconsultè, ut Regestum significet, eum in delegatorem jurisdictionis Apostolicæ sermone habuisse, post quem tamen, teste eodem Regesto, contra auctoritatem Pontificiam nihil aliud in Concilio actum, nihil omninò à Nationibus deliberatum, nihil planè à Patribus decilum fuit.

76. Prima, quam D. Maymbourg in *trakt. de schismate Occidentali* superioritatis mentionem reperit. est illa apud Nienum in *vita Ioannis XIII.* quæ post reditum trium Cardinalium coram Rege Romanorum, & quibusdam Patribus privatim facta est die 26. Martij: *Redierunt huc, inquit Niemus, scilicet ad Constantiam de Sessibus quatuor Cardinales, & illâ die fuit congregatio illorum, qui erant de Concilio, & inter fuit Rex, & ad illum accesserunt sex Cardinales, & amplè multum locuti fuerunt contra ipsam Concilium, scilicet quòd dissolutum esset propter absentiam, & recessum dicti Balthasari. Et eis responsum fuit acriter per plures de ipso Concilio, viros magnæ auctoritatis & scientificos, scilicet quòd Papa non esset supra Concilium, sed esset sub Concilio. Facta illinc contentio magna hinc inde.* Ultima hæc Niemi verba repetit D. Maymbourg in *trakt. Historico cap. 21. pag. 222.* & loco acriter malè legitur *acriter*. Quòd enim acriter legendum sit, non solum testantur Spondanus, & Odoricus Raynaldus ad hunc annum, sed ex ipso Niemo patet, qui nihil nisi cum acerbitate & contentione hinc inde dictum fuisse, notat, adijungens, quòd *subscitato majori clamore contra Cardinales in Congregatione præfata, ipsi, insalutato hospite, abierunt.*

77. Nolim hîc inquirere, an quæstio, cujus meminit Niemus, versaretur circa auctoritatem Concilij supra indubitatum Pontificem, an potius circa auctoritatem Ioannis XXI. dissolventis Concilium: quanvis enim supponamus, de auctoritate Concilij supra indubitatum Pontificem actum fuisse, ut voluit D. Maymbourg, inde tamen nihil consequetur pro maturâ deliberatione, cum ex verbis ipsius Niemi deducatur, nihil deliberatè, sed contentiosè potius, & cum clamore strepitantium in privato illo congressu assertum fuisse. Eodem modo dicendum est de contentione super Decretis die 27. Martij habitâ. Cum enim Cardinales, & Regis Galliæ Legati illo die coram Nationibus publicè referre debent, quæ conque Ioannes XXI. pro cessione Pontificatus, & continuatione Concilij offerebat, *Hæc omnia, inquit Regestum, tanquam ludicia, & fidei pro parte Domini nostri Papæ oblata per Regem Romanorum, & alios ibidem astantes reputata fuerunt, fuitque ibidem unanimiter vociferatum: his non obstantibus, fiat Sessio, fiat Sessio.* Post hanc enim vociferationem, concitatis contra Ioannem Papam Patrum animis, à tribus Nationibus conclusa sunt Decreta de auctoritate Conciliorum superioris

allata, idque tam præcipitanter & inconsultè, ut Cardinales, qui nihil sciebant de agendis in Sessione, unâ cum Ambassiatoribus Regis Franciæ, ad eam venire recularint, & re ipsâ nunquam venissent, nisi obtinuissent, mediante Rege Romanorum, quòd primum Decretum sine mentione reformationis Ecclesiæ publicaretur; secundum verò de auctoritate coactivâ Conciliorum omninò omitteretur, ut ex manuscriptis indubitata fidei codicibus dissertatione præcedenti probavimus.

Notandum verò ex ipsdem Manuscriptis, quòd Cardinales ideo Sessioni IV. ininteresse noluerint, quia super illis diffinitionibus non fuerant habitæ, nec sufficienter petita deliberationes eorum. Ex quibus verbis aperte constat, quòd, licet ante Sessionem IV. apud Nationes actum fuisset de superioritate Concilij, non tamen sufficienter & plenè: quam ob rem semper addidi, non fuisse cum matura, sufficienti, & debita deliberatione discussa ea Decreta, ut ipsi Cardinales verbis *suprà citatis* attestantur. Neque vide e possum, ex quibus monumentis D. Maymbourg supponens, Decretum Sessionis IV. ad superioritatem Concilij spectare, tam asseveranter tradiderit, quæstionem illâ de re ante Sessionem IV. debite examinatam fuisse. Non solum enim constat ex Gestis Constantiensis Concilij, paulò ante Sessionem IV. convenisse inter Cardinales & Deputatos Nationum, quòd in illa nulla mentio fieret de alio, quam Constantiensis Concilio tempore schismatis celebrato, sed ex Regesto Actorum Constantiensium hætenus inedito etiam clarissimè patet, quòd à Cardinalibus Sessione IV. monita sint Nationes: *Vt suspenderent ad tempus materias, quæ habent magnas difficultates, & maturam exigunt deliberationem.*

Auro contra æstimanda est prudentissima illa Cardinalium admonitio, quæ Decreta majori deliberatione indignis, testantur. Si enim conclusio Nationum de Decretis facta fuerit ante Sessionem IV. & in ipsa Sessione IV. sacrum Cardinalium Collegium publicè Nationes monuerit, materiam illis contentam *habere magnas difficultates, & maturam exigere deliberationem*, dubium esse non potest, quin sine debita deliberatione, & cum insufficienti examine factum putaverit, quidquid circa illa ante Sessionem IV. à Nationibus actum fuit. Nec est, quòd quisquam contra hoc gravissimum testimonium opponat cum D. Maymbourg, id à Bellarmino ante centum annos excogitatum fuisse, non enim agimus hîc de sententia unius Cardinalis Bellarmini, qui constare, dixit, quòd Decretum Constantiense de auctoritate Conciliorum sine examine factum fuerit, sed agimus de integro Cardinalium Collegio, quòd Concilio Constantiensis interfuit, & non solum ante Sessionem IV. Decreta ob defectum sufficientis deliberationis constanter rejecta, sed in ipsa quoque Sessione Nationes publicè admonuit, quòd pluribus difficultatibus obnoxia essent, & maturiori deliberatione indigerent.

Memoriâ repetebant Romanæ Ecclesiæ Prin-

R r

Prin-

Principes, quid antiquitus fieri consueverat, quando in aliquo Concilio de re majoris momenti, & varijs difficultatibus obnoxia, statuendum erat. Sciebant, quam magno examine, ut cætera omitam, de cultu imaginum in Synodo Nicæna Generali VII. actum fuerat. Extant etiamnum Gesta istius Concilij, ex quibus manifestum fit, istius Synodi Patres, habito inter se communi consilio non semel, sed sæpius, Ecclesie traditionem de illo consuluisse. Unde in Actis etiamnum reperiuntur centena antiquorum de cultu Imaginum testimonia, quæ omnia coram Patribus in Sessionibus publicis recitata fuerunt, antequam res illa contra Iconoclastas decisa, & Decreto Synodico firmata fuit. Et hoc est, quod Cardinales à Nationibus in statuendis de autoritate Conciliorum Decretis omisum fuisse Sessione IV. admonere potuerunt, cum in re tanti momenti, ut in cæteris omnibus fieri semper consueverat, expendenda fuissent antiquorum Patrum scripta, Summorum Pontificum Decreta, & Conciliorum Generalium monumenta, ex quibus de traditione circa auctoritatem Pontificiam constare debebat.

83. Ex his enim patuisset, quam auctoritatem veneranda Antiquitas Sedi Apostolicæ competere, tradiderat, quam jurisdictionem ipsius Pontifices, tanquam ovilis Domini Pastores, exercuerant in Ecclesiâ, & quantam veneratione de supremâ Petri, ejusque Successorum potestate Concilia ipsa egerant. Constitisset, quod Concilium Chalcedonenſe IV. omnium Oecumenicorum Conciliorum numeri osissimum, in epistola Synodica Leonem I. Summitatis titulo nominarit, eaque Canonem suum XXVIII. de tribuendo Sedi Constantinopolitanae secundo honoris loco ad Leonem I. ut ejus auctoritate confirmaretur, miserit, & quia iudicio ipsius firmatus non fuit, robore suo caruerit. Innotuisset, Cælestinum suis Legatis ad Concilium Ephesinum Generale III. proficiscentibus in mandatis dedisse, quod ipſius nomine in Concilio judicare, non verò à Concilio judicari deberent, quod his verbis legitur in Cælestini Commonitorio: *Auctoritatem Sedis Apostolicæ custodire debere; siquidem & instructiones, quæ vobis traditæ sunt, hoc loquantur, ut interesse Conuentus debeatis: ad disputationem si fuerit ventum, vos de earum sententijs judicare debeatis, non subire examen.* Constitisset, juxta hæc mandata coram Patribus Concilij Philippum Cælestini Legatum cum Collegis sententiâ tulisse in Nestorium, asserendo: *Quod nulli dubium sit, sed potius sæculis omnibus notum, sanctum Petrum Apostolorum Principem & Caput, fideique columnam, & Ecclesie Catholicæ fundamentum, à Domino nostro Iesu Christo claves Regni caelestis accepisse, & non solum in suis Successoribus vivere, sed & iudicium exercere.* Quod iudicium etiam de Actis Synodalibus intelligendum esse, demonstrat Gelasius I. scribens in tomo de anathematis vinculo, hoc robur obtinuisse, quod in Synodo firmavit Sedis Apostolicæ auctoritas, quod refutavit, firmitatem habere non potuisse.

84. Et hæc procul dubio, ac centena alia An-

tiqorum testimonia consuli voluerunt Cardinales Sessione IV. antequam de re tanti momenti quidquam statueretur, indicantes, nullum debitum examen à Nationibus de auctoritate Pontificum institutum, nullam maturam deliberationem ante Decretorum conclusionem habitam fuisse. Quæ cum ex Actis ipsius Constantiensis Concilij clariùs constent, quam ut à quoquam negare possint; undenam D. Maymbourg probabit, quod nulla unquam quæstio meliùs examinata fuerit, quam illa de auctoritate Conciliorum Generalium in Constantiensis fuit? Tantum sanè abest, quod illud monstrare possit ex Actis, ut Gesta Constantiensis Concilij hætenus inedita habeant, quod post illam Sessionem fuit per Cardinalem Florentinum super hoc cum aliquibus Deputatis aliquatiter disputatum: ubi notandum est, ideo dici, post Sessionem IV. aliquatiter disputatum fuisse, ut indicetur, non sufficienter. Refertur quoque, per Cardinalem Florentinum, & quosdam deputatos, aliqualem istam disputationem factâ, ut innuat, neque à Nationibus, neque coram omnibus Concilij Patribus communi consilio eâ de re actum fuisse. Pro quâ re facit quoque Regestum Constantiensis Concilij, in quo habetur, solos Deputatos post aliqualem illam disputationem statuisse: quod in proxima Sessione omnes articuli & clausule concordatæ per Nationes in ultima Sessione prætermissa expedirentur. Ubi & notanda sunt illa verba: *clausule concordatæ per Nationes in ultima Sessione prætermisse.* Ex illis enim rursus colligitur, Deputatos conclusioni die 27. Martij sine maturâ deliberatione factâ inhæsisse, sicque sine novâ Nationum deliberatione, sine novo Concilij examine Sessione V. Decreta publicata fuisse. Confirmant id Acta manuscripta Constantiensis Concilij à quatuor ejus Protonotarijs collecta, & in tribus codicibus, quos videre licuit, servata, dum referunt, publicata fuisse Decreta, tanquam priùs conclusa, & deliberata. Quæ verba ex manuscripto codice Coloniensi edidit primùm Petrus Crabbe, & posteriores Conciliorum collectores retinuerunt. Quod ideo annotare placuit, ut certò constet, Decreta, de quacunque auctoritate Conciliorum Generalium apud Patres Constantiensis controversâ intelligantur, Sessione V. sine novâ deliberatione publicata fuisse, cum enim expressè dicantur priùs conclusa, & deliberata, innuitur profectò, Concilium inhæsisse priori conclusioni, quam Nationes die 27. Martij cum minùs sufficienti deliberatione proserant, & cui Cardinales non solum ante, sed etiam post Sessionem IV. contradixerant, nolentes Decretorum publicationi in ipsa Sessione V. faciendæ consentire.



DISQUISITIO VIII.

Utrum Sessiois IV. & V. Constantiensis synodi decreta fuerint recepta ab Ecclesia, & confirmata à Martino V. Summo Pontifice?

S. I.

AD præsentis Disquisitionis intentum singulariter deservire poterit, si ob oculos ponatur varietas opinionum, quæ tempore Constantiensis Synodi vigerat circa supremam Concilij Generalis auctoritatem. Hanc rem optime exponit sæpe fatus Emanuel à Schelstrate tract. præcit. dissert. 3. cap. 1. Inter varias (inquiens) opiniones, quæ temporibus Constantiensis Concilij de auctoritate Synodorum Generalium circumferebantur, una erat à pluribus Doctoribus propugnata, quam Benedictus XIII. sustinuit, Romanum scilicet Pontificem in nullo casu subijci Concilij iudicio. Cùm enim à Cardinalibus anno 1408. ad Concilium Pisenum pro sopiendis schismate evocaretur, eorum operam derisit, inquit D. Antoninus 10. 3. Chron. tit. 22. §. 3. dixitque: *Controversiam fore de jure Papatus inter se, & Gregorium, & nihil ad eos spectare de re ipsa. Idem sustinuit post sententiam contra te latam, alserens: Cardinales potestatem & auctoritatem convocandi Generale Concilium, à tempore Apostolorum solis Romanis Pontificibus reservatam, temerè usurpasse, & non considerantes, quod inferior superiorum non potest solvere, vel ligare, jurisdictionem & potestatem iudicandi sedem ipsam, sibi temeritate sacrilegè vendicasse.* Ita Benedictus in Conventu Barcinonensi, cuius sententiam propugnasse plures viros doctos, notat Odo Ricus Raynaldus ad annum 1409. ubi ex manuscriptis codicibus adfert, hanc eorum conclusionem pluribus rationibus, & Antiquorum auctoritatibus comprobata: *Quòd propter nullum crimen Papa potest deponi à Papatu per aliquem purum hominem, vel per aliquos alios homines mundi, sive sint Cardinales, sive Archiepiscopi, sive Primates, sive Patriarchæ, nec etiam à Concilio Generali, imò nec à tota Ecclesia Universalis. De qua sententia intelligendus videtur Joannes Gerfonius lib. de potest. Ecclesiast. considerat. 12. dum scripsit: Fallor, si non ante celebrationem hujus sacrosanctæ Constantiensis Synodi se occupaverat mentes plurimorum litteralium magis, quam litteratorum ista traditio, ut oppositorum dogmatizator fuisset de hæretica pravitate vel notatus, vel damnatus.*

Secunda sententia fuit, Pontificem etiam tempore schismatis viventem, deponi non posse, nisi ob crimen hæresis, quam ipsum Pisenum Concilium sequi voluit in deponendis Benedicto XIII. & Gregorio XII. Hos quidem ne quidem dubios Pontifices deposuisset, nisi hæreseos crimini obnoxios, & contra articulum fidei de unitate Ecclesiæ ambos pugnantè exstimasset, ut latè probavimus ex A-

ctis editis ipsius Concilij, quibus in hujus veritatis confirmationem alia addi possunt hucusque inedita. Acta enim à Notariis ipsius Synodi conscripta, & hætenus inedita referunt, omnes Magistros in Theologia tam Episcopos, quam Abbates, & Generales Ordinum Mendicantium anno 1419. die 28. Mensis Maij ad requisitionem sacri Cardinalium Collegij congregatos fuisse in Sacristiâ Conventus Fratrum Minorum de Pisis, ut deliberarent de his duobus articulis: Primò; *An duo de Papatu contententes, essent schismatici & hæretici reputandi? Secundò; Dato, quòd sic, utrum sub titulo hæresis ab Universalis Ecclesiæ, & Papatus regimine ejiciendè?* Additurque in Actis: *Ad has quæstiones habitâ pluries ad invicem maturâ deliberatione, concorditer & unanimiter responsum fuisse, prædictos contententes hæreticos censeri, & ut tales per sententiam Concilij declarari, ac Pontificatu eijci posse, prout ejectos fuisse, ex sententia ipsius synodi, ostendimus supra.* Atque hæc est sententia, quam adeò veram putavit Joannes XXIII. ut, dum aliquis initio Constantiensis Concilij per cedulam publicasset, eum invitum cogi posse ad cedendum de Papatu, in aliâ cedulâ quæstionem proponi fecerit: *Si verus, & Canonicus Papa, non suspectus de hæresi possit ab aliquo compelli, vel aritari?* Et rursus in alia responderi curaverit: *Quòd hoc esset manus ponere in Christum Domini, & qui contrarium publicaverat, si fuisset bonus Christianus, & intellexisset Scripturas, nullatenus talia per aures suggestisset.* Hæc itaque est secunda sententia de auctoritate Concilij illis temporibus ubique ferè recepta, quòd ob solam hæresim de Romano Pontifice iudicare liceret.

Tertia sententia fuit Petri de Alliaco Cardinalis Cameracensis, qui tenuit, Pontificem tempore schismatis, pro pace Ecclesiæ celerius procurandâ, ab Universalis Ecclesiæ, seu Concilio Generali compelli posse. Extat ejus sententia in cedulâ quâdam initio Constantiensis Concilij publicatâ, in quâ reperiuntur varæ conclusiones de facto Joannis XXIII. quibus statuit, Joannem, attentâ perplexitate schismatis, cedere debuisse, & nolentem potuisse tanquam schismaticum, & de fautoria schismaticæ pravitate suspectum legitime condemnari: illos autem, qui in casu prædicto Papam tanquam hæreticum, vel schismaticum condemnarent, & dictam condemnationem justam, & canonicam assererent, nullatenus hæreticos censeri posse. Ex qua cedulâ lucem accipit ejusdem Cardinalis Cameracensis sententia, quam in eodem Concilio Constantiensi anno 1417. exposuit 3. par. tract. de auctor. Eccles. cap. 2. ubi asserit, Papam subijci Concilij Generalis iudicio in casu, quo accusatur de crimine hæresis propriè dictæ, & quibusdam alijs, quæ possent quodammodo ad hæresim reduci.

Quarta autem sententia fuit de auctoritate Concilij tempore schismatis, quòd nimirum illa sese non extenderet ad reformationem Ecclesiæ, utpote quam non nisi post electionem Pontificis, eodem consentiente, fieri posse, sustinuit Franciscus Zabarella Cardinalis

R r 2

Floren-

Florentinus omnium Canonistarum sui temporis facile princeps. Adduximus ejus sententiam *dissert. 1. præf. tract.* in qua ex Gestis manuscritis Constantiensis Synodi ostendimus, eum cum suis sequacibus noluisse admittere articulum de reformatione, quia non erat *verus de jure*, ideoque omisum fuisse in Decreto 1. Sessionis IV. in qua Sessione prætermisum quoque fuit Decretum II. de autoritate Concilij *coactiva* supra Pontificem, ut abundè *suprà* monstravimus.

5. Quinta sententia fuit plurium Patrum Constantiensium, quod nimirum Concilium, Generalem Ecclesiam representans, habeat auctoritatem tempore schismatis non solum ad procurandam unionem, deponendo illos, qui de Papatu contendunt, & ad judicandum de materia fidei, damnando eos, qui contra illam hæreses seminant, sed etiam ad reformandam Ecclesiam circa ea, in quibus tam membra, quam Caput ipsum reformatione indigent: & hoc modo Decretum 1. Sessionis IV. interpretatur Cardinalis Turrecremata *lib. 2. de Ecclesia cap. 99.* asserens de sola Constantiensis Synodo actum fuisse: *Falsum est*, inquit Turrecremata, quod Constantia declaratum sit, sive Decretum de Universali Synodo, in Spiritu sancto legitime congregata; planè nunquam in Constantia sub hac forma legitur Decretum factum: *declaratio autem facta per Patres illos sub Obedientia Joannis XXIII. congregata, emanavit sub hac forma: Hæc sancta Synodus Constantiensis, Generale Concilium faciens, pro extirpatione præsentis schismatis, & unionis ac reformatione Ecclesie Dei in Capite & in membris sciendâ, declarat, quod ipsa in Spiritu sancto legitime congregata, &c.* Quibus verbis indicat de solo Constantiensis Concilio tempore schismatis celebrato intelligendum esse I. Decretum, de quo omninò tempore etiam plures intelligunt Decretum II. Quod quicumque, cuiuscunque dignitatis, etiam si Papalis, qui mandatis, aut præceptis hujus sacra Synodi, & cuiuscunque alterius Concilij Generalis legitime congregati super præmissis, seu ad ea spectantibus factis, vel faciendis obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, condigne pœnitentiæ subiciatur, & debite puniatur, &c. Ad nihil enim aliud huic Decreto adjuncta putant hæc verba: *Super præmissis, seu ad ea spectantibus factis, vel faciendis, nisi ut II. Decretum referretur ad I. de solo schismatis tempore statutum, quo Patres Constantiensis contra opinionem Cæcilianus Zabarelæ, & sequacium declarabant, Concilium Generale non solum fidei, & schismatis causas decidere, sed & Ecclesiam in Capite & in membris reformare posse, & cunctos eidem etiam de Papatu contententes, Decretis desuper faciendis obedire debere, ita ut obedire nolentes deponi possint, & legitime pœnitentiæ subijci.*

6. Sexta demum sententia fuit Joannis Gersonij, qui tenuit, Concilium Generale esse supra Pontificem, adeoque Pontificem Concilij Generalis judicio subijci, quo sensu interpretatus est Decreta Constantiensis Concilij, quæ non de solis Synodis tempore schismatis, sed de Oecumenicis Concilijs quocunque tandem tempore celebratis intelligenda esse, pu-

tavit. Patet id ex duobus sermonibus ejusdem Gersonij, quorum unum *Domini ad II. post Epiphaniam*, & alterum *pro Viaggio Regis Romanorum* coram Patribus ipsius Constantiensis Concilij habuit, in quibus Decreta Sessionis V. interpretatus est de superioritate Concilij, quæ interpretatio adeò firmiter menti ejus inhaererat, ut à Romano Pontifice ad Concilium Generale appellari posse, nullatenus dubitaret. Unde Martino V. Decreta Sessionis V. illo sensu minimè recipienti, & appellationem à Pontifice ad Concilium Universale reprobanti, verumque & indubitatum Pontificem pro supremo in causis fidei iudice habendum esse, statuenti, opposuit Gersonius Tractatum sub hoc titulo: *An, & quomodo appellare liceat?* In quo ostendere conatur, declarationem Martini pugnare cum determinatione Sessionis V. quæ, inquit, *multipliciter facta est, & prædicata.* Respicit his verbis ad ea, quæ Constantia facta erant in causa Joannis XXIII. quem juxta Decreta Constantiensia de superioritate Concilij intellecta, judicatum, & depositum fuisse, existimabat, & illam Joannis Gersonij sententiam pluribus propugnârunt Edmundus Richerius, Joannes Launoius, D. Maymbourg: quorum opinio sequenti §. examinabitur, ubi expendemus; Quo sensu Patres Constantiensis ante & post trium Obedientiarum unionem Decreta Sessionis V. susceperint.

§. II.

Referuntur ac examinantur argumenta circa susceptionem præactorum Sessionis V. decretorum.

Quamplures fuisse de autoritate Concilij opiniones, propter quas in IV. & V. Sessione fuerunt motæ difficultates, ex actis & gestis Constantiensis Concilij hætenus indicata. At sextam duntaxat opinionem placuisse Concilio, fuisseque multipliciter prædictam, asseruit olim Joannes Gerson, cujus vestigijs postea inhaerebat Edmundus Richerius *lib. 2. hist. Concil. Generalium cap. 3.* prout mox dicetur.

ARGUMENTUM

Richerij præcitati de Concilij supra Papam auctoritate prætensâ in Concilio Constantiensis.

Hic Author *loc. cit.* ita argumentatur. *De causa Joannis XXIII. ipsdem Sessionibus IV. & V. Patres cavent, ne Joannes XXIII. quem pro vero, & indubitato Pontifice agnoscebant, totum Concilium, vel partem Concilij, hoc est, personas eidem Concilio adhaerentes interturbet, vel alio traducat, ipso invito Concilio, hocque est primum exemplum præactorum Decretorum de Concilio auctoritate supra Papam. Die 2. Maij in V. Actione formula citationis contra Joannem Papam, Concilio pariter, detrahentem, & contra Hieronymum Pragensem instruuntur. Hocque est secundum exemplum præactorum Decretorum IV. & V. Sessionis contra Pontificem... X. Actione die 14. Maij pronuntiat sententia suspensionis ab officio Papali contra Joannem XXIII.*

XXIII. Hæcque est tertium exemplum præcedens auctoritatis Concilij supra Papam. . . XII. Sessione die 25. Maij Patres sententiam diffinitivam adversus Joannem pronuntiant, illumque velut notorium simoniacum, Bonorum Ecclesie dilapidatorem, & notorie scandalizantem Ecclesiam suis detestabilibus, atque inhoneſtis vitâ, moribus, &c. condemnant, atque omni ejus administratione Spirituali & temporalis privant, atque deponunt. . . Et hæc occurrit quartum monumentum præcedens auctoritatis Concilij supra Papam.

Hucusque Richerius, clare supponens, Joannem XXIII. à Patribus Constantiensis Concilij pro certo, & indubitato Pontifice habitum fuisse, & consequenter, quidquid Constantiensis Concilium contra eum statuit, pro superioritate Concilij facere. Idem omnino supponit Joannes Launojus in varijs litteris de Constantiensis Concilio scriptis, cujus vestigia hæc, ut ubique in tractatu suo historico solet, infecutus est D. Maymbourg, qui finit caput 23. non semel, sed sæpius affirmans, quod Concilium Constantiensis nunquam dubitavit, quin Joannes XXIII. esset verus Papa.

Responsio.

Emanuel Schelstrate tract. sui dissert. 3. cap. 2. à pag. 152. ita respondet, Primò. Quamvis Concilium Constantiensis initio Joannem pro Pontifice habuisset, non tamen judicasse, quod deberet pro certo & indubitato Papa haberi ab alijs Obedientijs. Si enim Concilium Constantiensis Joannem XXIII. pro certo, & indubitato Pontifice ab omnibus habendum esse, duxisset, curigaret quibusdam cum pro tali initio ejusdem Concilij habentibus, & à nemine judicari posse, asserentibus, Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracensis in cedula per Philippum Labbeum ex manuscriptorum codice Capraticensi in Appendice Constantiensis Concilij publicata, & posuit hanc primam conclusionem? *Licet Concilium Pisanum fuerit legitime ac Canonice convocatum, rite & Canonice celebratum, & duo olim eum contentes, scilicet & Canonice condemnati, & electio D. Alexandri V. fuerit Canonice & rite facta, & d. electio ab illis, qui fuerunt in illo Concilio, fuerit legitime & canonice accepta, prout hæc omnia tenet Obedientia Domini nostri Papæ Joannis XXIII. tamen due Obedientie duorum contententium probabiliter tenent contrarium, in qua opinionum diversa, & adversa veritate non sunt minores difficultates Juris & Facti, quam ante Concilium Pisanum erat de justitia duorum contententium.*

Secundò. Si nemo dubitare potuit de Joanne XXIII. quin certus & indubitatus Papa existeret, cur igitur Joannes Cardinalis Ragusinus arma Gregorij XII. cujus Nuntius existerat, in valvis Monasterij Augustinianorum Constantie publice appendisset, & Joannis XXIII. sequacibus ea de nocte auferentibus, magna illa animorum contentio exorta fuisset inter Patres Concilij, de qua testatur Regestum Actorum Constantiensium in duobus codicibus manuscriptis: Cumque super affixione, & appensione dictorum armorum, & deletionem, si-ve amissione eorumdem inter congregatos in Conci-

lio oriretur disceptatio, mandatum est, Prælatos, & alios, qui ad Concilium venerunt, congregari super hoc. Die Martij 20. Mensis Novembris congregatis Reverendissimis in Christo Patribus Dominis sanctæ Romanæ Ecclesie Cardinalibus numero decem & octo, Prælatibus, Procuratoribus Dominorum, Magistris, & alijs in sacro Constantiensis Concilio existentibus in Aula inferiori Palatij Apostolici pro causa supra dicta, cum super ea per unum ex Dominis Cardinalibus propositio fieret, variè inter eos fuere sententia, alijs asserentibus, arma prædicta appendi, si-ve affigi potuisse, & per consequens, ex quo deleta fuerant, reponi debere. Et hujus sententia fuerat Dominus Feltrensis, & Concordiensis Episcopi, & plures alij: alijs verò asserentibus, supra dicta arma in locis prædictis in Obedientia Domini nostri Joannis Papæ XXIII. constitutis appendi, si-ve affigi non potuisse, & per consequens, ex quo deleta fuerant, reponi non debere, & hujus sententia fuit D. Patriarcha Gradenſis, & alij, cui plures, quam alteri sententia adhaeruerunt, dicentes, nisi Angelus Corrarus personaliter veniat, ipsius arma ibidem non debere depingi. Verum quidem est, nihil tunc à Concilio deluper statutum fuisse: notanda tamen sunt verba Regesti Constantiensis Concilij, ex quibus habemus, nullatenus dubitatum fuisse, quin Gregorius XII. arma Pontificia affigere potuisset in valvis Monasterij, si personaliter Constantiam venisset, & quætionem solummodò fuisse de Joanne ejus Nuntio. Quinimò plures Patres rectè à Nuntio appendi potuisse, sustinuerunt. Unde manifestò constat, Joannem XXIII. pro certo & indubitato Pontifice ab omnibus agnosci non debuisset, cum Gregorij arma Pontificia in Dicecesi & præsentia Joannis XXIII. à Gregorio, vel ejus Nuntio, juxta communem sententiam, appendi potuerint.

Tertiò. Si nunquam Constantie dubitatum fuit de Pontificatu Joannis XXIII. cur igitur Joanni Dominici Nuntio Gregorij supra dicto publicum ingressum cum pileo rubeo facere cupienti in plena Congregatione anno 1415. die 4. Januarij coram Joanne XXIII. aliqui licentiam illam concedendam esse asseruerunt? Alij quidem asseruerunt, inquit Regestum Constantiensis, licentiam Fratri Joanni Dominici concedendam, cum capello rubeo ingrediendi; & hujus sententia fuit Reverendissimus D. D. Petrus Tituli sancti Chrysogoni Presbyter Cardinalis Cameracensis, & quidam alij. Et cur igitur sententia illa Petri de Alliaco prævaluit, & juxta eam, dicto Joanni permissum fuit, tanquam Cardinali, cum pileo rubro Constantiam ingredi? Die namque Martij 22. Mensis Januarij, teste Regesto, D. Frater Joannes Dominici tituli sancti Martij Presbyter Cardinalis Ragusinus ut Cardinalis, & cum capello rubeo medius inter Dominos Bavaria, & Ducem Biga, ac D. Joannes electus Constantinopolitanus in habitu Prælati cum capello nigro sic in Obedientia Gregorij nominati, sequentibus eos Dominis Wormatiensibus, Spirensibus & Werdensibus Episcopis, in Obedientia dicti Gregorij persistentes, qui omnes prædictis Legatis dicti Gregorij extra Constantiam obviaverunt, Civitatem Constantiam sunt ingressi, in Conventuque Eremitarum S. Augustini, qui pro habitatione Gregorij, & suorum

assignatus fuerat, collocati sunt. Ita Regestum de Joanne Dominico, quem Gregorius XII. primò Archiepiscopum Ragusinum, postea anno 1408. 2. Junij Cardinalem creaverat, in quo gradu nunquam receptus fuit à Pisano Concilio, vel ab electo ibidem Alexandro V. ejusque Successore Joanne XXIII. qui ultimus omni conatu impedire tentabat, ne Constantiam tanquam Cardinalis ingrederetur; quod dum Synodus Constantiensis permisit, indicavit, se Joannem XXIII. pro unico, certo, & indubitato Pontifice non habuisse. Ne autem, quæ de pileo rubro hucusque dicta sunt, D. Maymbourg in dubium revocet, consulere potest codices suos manuscriptos Bibliothecæ Victorinæ, quos huic veritati testimonium perhibere, reperiet.

13. Plura adjungi possent de mente Patrum Constantiensium, nisi de ea ex Actis Sessionis XIV. clariùs constaret, quàm ut in dubium revocari posset. Cùm enim Gregorius XII. sese pro Pontifice gereret, & antequàm de Pontificatu cederet, remotà à Concilio Joannis præsentia, novam convocationem Concilij fieri debere, contenderet, non dixit Concilium, Gregorium pro Pseudopontifice habendum esse. Sed quomodò, si dubius Pontifex esset, & Concilij convocatio ad ipsum spectare non potuisset, Patres in publica Sessione, dictam convocationem, authorizationem, & confirmationem; in quantum ad Gregorium pertinet, & attinet eis, admisissent, & cessionem Pontificatus communi omnium consensu acceptarunt; ut manifestum sit, eos Joannem pro unico, & indubitato Pontifice non habuisse, sed potiùs pro dubio, quem licet, juxta sententiam nunc communiter receptam, Concilium Generale judicare potuerit, tunc tamen Patres Constantiensis illo solo titulo judicare ausi non sunt, quòd plures tenerent sententiam, quæ Pontificem etiam dubium à Concilio generali ob solam hæresis causam judicari posse, sustinebat.

14. Neque id negare potest D. Maymbourg, cùm ipsemet admisit ad finem cap. 23. *Tractatus historici pag. 364.* plures negare, quòd Concilium Universale potestatem habeat judicandi de Pontifice, qualicumque ille sit, nisi in causa hæresis. Hoc enim loco cùm Author iste loquatur de dubio Pontifice, eum fateri necesse est, sustinuisse plures Theologos, vel Scriptores Ecclesiasticos, quòd Concilium Generale ne quidem dubium Pontificem judicare possit. Illam sententiam ego *dissertatione 2.* Patribus Concilij Pisani placuisse, ostendi: probavi namque ex Actis illius Concilij, non sufficisse Patribus, quòd ob dubia *Facti & Juris* ignoraretur, quis ex duobus contendebat pro vero Papa habendus esset; sed insuper discuti fecisse, an schismatis nutritores, verique hæretici censei deberent, ut eos illo titulo Papatu excidisse, sententiâ Synodica declararent. Vestigia autem Pisanorum insequi voluerunt Patres Constantiensis Concilij, de quibus referunt Gesta hucusque inedita, quòd inter alios articulos accusationis Joannis XXIII. inseruerint & illum, quòd fovisset, foveretque schisma, & hæresim, ut sic

manifestum fieret, etiam plures istius sententiæ fuisse in Constantiensis Concilio, quòd ne quidem tempore schismatis de Papa dubio judicari posset, nisi hæreseos crimen accederet.

Additur quidem in Gestis Constantiensis Concilij, quòd post lectionem *suprà dicti* articuli in publico Patrum congressu surrexerit Cardinalis sancti Marci, & expressè monuerit: *Quòd attenderet Concilium, quòd Procurator Concilij proposuerat, ut in citatione proponeretur, crimen hæresis, & sactoria schismatis, & alia quædam, de quibus non constabat.* Quodque ex ea Cardinalis admonitione articulus hæreseos ommissus fuerit in sententiâ contra Joannem XXIII. à Concilio Constantiensis lata: hoc tamen nihil facit ad probandam superioritatem Concilij supra certum & indubitatum Pontificem: cùm enim Concilium Joannem pro indubitato & certo Pontifice non haberet, ipseque de Papatu cum duobus alijs, ut *suprà* monstravimus, contenderet, eum tamen invitum, & reluctanter deponere ausum non fuit Constantiensis Concilium, sed postquam à Cardinale sancti Marci notatum fuerat, non constare de hæreseos crimine, statim Rex Romanorum, Cardinales, & Deputati, pluresque alij tractaverunt materiam, quòd Papa consentiret sententiæ suæ depositionis, & ex abundantia renuntiaret. Ita Gesta Constantiensis Concilij hucusque inedita, in quibus adjungitur, ordinatum fuisse, quòd Cardinales de Urbinis, Cameracensis, de Thalamo, Saluciarum, & Florentinus irent ad Papam, ad persuadendum supra dicta, eosque ivisse, & Papam consensisse in forma cedulæ sibi oblatae, quæ sese determinationi Concilij subijciebat, ejusque sententiam sese ratificaturum, comprobaturum, & acceptaturum promittebat. Neque fatit suis Concilio, quòd ante sententiam Joannes XXIII. prædicta promiserat, seque de Papatu cessionem obtulerat, sed & post sententiam Concilium misit ad Papam (inquit Gesta *suprà* laudata) & Papa sententiæ acquievit, & ex abundantia renuntiavit in forma prædictæ cedulæ *suprà* scriptæ.

Et ex his videre potest D. Maymbourg, quid Patres Constantiensis post Sessionem V. senserint de potestate *coactiva* Concilij supra Pontificem. Si enim Papam dubium tempore schismatis deponere ausi non fuerint, nisi ipso consentiente, approbante, & de jure suo cedente, dicendine sunt, unicum, verum, & indubitatum Pontificem *coactivæ* Synodorum potestati subijcere, & hoc sensu II. Sessionis V. Decretum firmare voluisse? Affirmat quidem D. Maymbourg, qui *capite 25.* id probare conatur argumentis Basileensium, quæ hic refutarem, nisi mentem Patrum Constantiensium ex solis ijs, quæ in Synodo ipsorum facta sunt, investigandam suscepissem. Relictis itaque argumentis Basileensium, quibus Eugenius IV. pluresque illorum temporum VII. gravissimi responderunt, ad Concilium Constantiensis redeo, quod post trium Obedientiarum unionem, nunquam ausum fuit, Decretum II. Sessionis V. de unico, vero, & indubitato Pontifice interpretari.

Unum ex præcipuis fundamentis, quo hanc

hanc veritatem comprobavi, desumptum erat ex Gestis Constantiensis Concilij hucusque ineditis, in quibus refertur, quod post trium Obediensium unionem, magna animorum contentio exorta fuerit de reformatione Ecclesiæ in Capite & in membris. Natione Germanicâ, & Rege Romanorum volentibus, eam fieri ante electionem unius, veri, & indubitati Pontificis; reliquis verò Nationibus cum sacro Cardinalium Collegio volentibus, fieri post electionem ejusdem. Additur in ipsidem Gestis, Nationem Germanicam tandem consensum præbuisse de eligendo ante reformationem Pontifice, dummodò à Concilio expediretur *asscuratio & cautio per Decretum irritans, quod post electionem Papæ fieret reformatio ante coronationem Papæ, & administrationem aliquam.* Cùmque ad hanc Nationis Germanicæ petitionem fuissent factæ diversæ formæ Decreti, *ess finaliter responsum fuit, quod Papa electus ligari non potest.* Ex quibus ultimis ultima præsertim verba notanda duxi, quod ex illis non difficile colligeretur, longè aliam tunc fuisse mentem Patrum Constantiensium de autoritate veri, & indubitati Pontificis, quàm orbi Catholico obtrudere conati sunt nonnulli Basileensium sequaces.

18. Enimverò, inquebam, si Concilium seorsim sumptum, sit supra unicum, & legitimum Pontificem, & de legitimo Pontifice intelligenda sint Decreta Sessiois V. superius allata, ut Basileenses voluerunt, cur, quæ, Concilium Constantiense hæc Decreta in præsentem locum habere noluit? Cur non renovavit, Pontificem obedire debere Concilij Decretis adeo, ut, qui obedire contempserit, debite puniatur? Cur his fundamentis innixum, non judicavit, electionem Pontificis in casu contumaciæ irritandam? Nihil horum tentavit Concilium, quia aliena fuerunt à mente Patrum Constantiensium, unde responsum est: *Papa electus ligari non potest.* Quando Decreta Sessiois V. ab unâ Obediensia edita fuerunt, tres erant de Papatu contententes, & illa ad liberius obtinendam unionem statuta sunt, quando verò agebatur post Sessionem XXXIII. de Decreto irritante, sermo erat de unico, & indubitato Pontifice, quem etiam ante coronationem ligari non posse, responsum est. Memoria scilicet repetebant Patres Constantiensis Concilij illud Antiquorum effatum, quod, qui summam potestatem ligandi, & solvendi à Christo Domino acceperat in Petro, ita alios judicet, ut de illo nemo mortalium sententiam ferat, ideoque *Papa electus ligari non potest.* Hoc à Patribus Constantiensibus datum responsum, nemo in hunc usque diem typis edidit, & quia illud, aliaque plura ignoravit Orbis Catholicus. opinio Basileensium apud nonnullos prævaluit, ad quam eventandam vel hoc solum testimonium sufficit.

Objectio Maymbourgi.

19. Hic Author pag. 293. instat, ut Emanuel Schelstrate explicet illud mysterium, quod in dissertatione proximè expositâ con-

tentum, agebat, verbis Patrum Constantiensium Nationi Germanicæ petenti, *ut ante electionem Papæ fieret reformatio, non post ipsius electionem, responsum, quod Papa electus ligari non potest.* Maymbourgius igitur sciscitatur ex Schelstrate, an putet, ex hoc responso deduci, quod credendum sit, Papam legitime electum, ut erat S. Sylvester, non teneri subscribere Decretis Concilij Oecumenici, sicut fuit Concilium Nicænum? Tumque adjungit: *Nonne videt, quod pro eruendo vero sensu horum verborum, illa referenda sint ad quæstionem, de qua agebatur.* An nimirum poneretur in Decreto, quod Papa proximè futurus teneretur reformare Ecclesiam ante suam coronationem, & administrationem aliquam, & deberet dari bona cautio, prout Natio Germanica petebat? De quibus merito responsum fuit, quod Pontifex adstringi non poterat ad rem tam indignam Majestate Papali, neque taliter ligandus erat, ut ipsi auferretur potestas gubernandi Ecclesiam, quam habet *Iure Divino* ratione sui Primatus eo ipso momento, quo canonicè electus est Petri Successor.

Responso.

Emanuel à Schelstrate *præf. 3. dissert. pag. 165.* respondet, Maymbourgius in illo suo diaculo dubitare de mente sua, quam clarè tamen prius expresserit, & de qua proinde dubitandum non fuisset, & objicere Nicæni Concilij exemplum, quod nihil omnino ad rem faceret. Non enim *hoc loco* agitur de autoritate *directivâ* Conciliorum, Generalium, an nimirum Concilium, cui Pontifex per se, vel per Legatos præest, ut S. Sylvester per Osum Cordubensem Episcopum, & Vitum & Vincentium præfuit Nicæno, habeat autoritatem statuendi leges, illisque, si ad Bonum Ecclesiæ necessitatè sint, non solum in conscientia subscribere, sed & eas exequi teneatur Summus Pontifex? Sed agitur de autoritate *coactivâ* Conciliorum Generalium, & quæritur, an illa iudicium allumere possint supra verum, & indubitatum Pontificem, & casu, quo reus iudicetur, ab ijs corrigi possit, & deponi? Hoc enim est, quod Concilij Generalibus non competere, ex hac Antiquorum regulâ indicavi. Quod, qui summam potestatem ligandi & solvendi à Christo Domino acceperat in Petro, ita alios judicet, ut de illo nemo mortalium iudicium ferat. Non agitur itaque hoc loco de potestate *directivâ*, sed *coactivâ*, quam Natio Germanica ipsi Constantiensis Concilio supra futurum Pontificem tribuere volebat: non solum enim petebant Germani, ut ederetur Decretum, quo futurus Pontifex reformare deberet Ecclesiam ante coronationem suam & administrationem aliquam, sed etiam, quod à Concilio daretur cautio per Decretum irritans, quo Pontifex in casu inobediensæ Papatu privaretur. Et de hoc ultimo præsertim responsum fuisse, indicavi: quod *Papa electus ligari non poterat.* Cùm enim responsum hoc datum fuisse, perhibeatur, post-

postquam non una forma Decreti, quâ Pontifex noviter eligendus ad reformandam Ecclesiam teneretur ante administrationem aliquam, sed plures formæ Decreti factæ essent, quibus Pontifex teneretur sub pœnâ depositionis reformare Ecclesiam in Capite & in membris, nullum dubium esse potest, quin Patres Constantienses ideo responderint, Papam electum ligari non posse, quia Decreto irritante, quod Natio Germanica per modum cautionis petierat, Romanum Pontificem post electionem ligari non posse, iudicabant.

21. Neque obest, quod hoc responsum datum fuerit in particularibus Nationum congregationibus: quamvis enim putet D. Maymbourg, prædicto Nationum responso satisfieri posse, si dicatur, inhaerendum non esse ijs, quæ apud Nationes acta sunt, sed illis, quæ in Sessionibus Conciliariter definita fuerunt: tali tamen responsione dicta mea potius confirmantur, quam convelluntur. Præterquam enim, quod pleraque in Sessionibus publicis statuta ex ijs, quæ in Congregationibus ante acta sunt, interpretationem accipiant, supradicta in Nationum Congregationibus quoad Decretum irritans responsa ex ipsis Decretis, quæ in Sessionibus publicis conciliariter definita sunt, confirmari possunt. Morem itaque D. Maymbourg geramus & a particularibus Nationum congregationibus ad Sessionem XL. progrediamur.

22. Extat Sessione XL. Constantiensis Concilij Decretum à quinque Nationibus Conciliariter editum his verbis: *Sacrosancta Generalis Synodus Constantiensis, in Spiritu sancto legitime congregata, Universalem Ecclesiam representans, statuit, & decrevit, quod futurus Romanus Pontifex per Dei gratiam de proximo assumendus, cum hoc sacro Concilio, vel deputandis per singulas Nationes, debeat reformare Ecclesiam in Capite & in membris, & Curiam Romanam secundum equitatem, & bonum regimen Ecclesie, antequam hoc Concilium dissolvatur.* Quod hoc Decretum occasione eorum, quæ gesta fuisse, diximus, editum fuerit, adeo certum est, ut D. Maymbourg in *Tract. suo histor.* id negare nequiverit. In Decreto. inquit, quod hæc de re Conciliariter factum est Sessione XL. Papa eo modo non ligatus fuit, quo Germani proposuerant. In quibus verbis duo sunt, quæ Author iste fatetur. Primum, quod memoratum Decretum sit illud ipsum, de quo ante Sessionem XL. à Natione Germanica actum erat. Secundum, quod Papa à Concilio eligendus, eo modo ligatus non fuit, quo Natio illa proposuerat. Quod ultimum ex Decreti verbis patet, cum in eo non reperiatur pœna depositionis, quam futuro Pontifici, Ecclesiam reformare detrectanti, Natio Germanica imponi volebat. Quod si D. Maymbourg petat, cur hæc saltem in parte Patres Constantiensis Concilij non satisfecerint Nationi Germanicæ, & juxta II. Decretum Sessionis V. de potestate coactivâ Conciliorum non statuerint, quod Pontifex proximè eligendus deberet reformare Ecclesiam ante finem Concilij, & casu, quo statutum hæc de re adimplere contemneret, legitimæ pœnitentiæ subijceretur, & Pontificatu privaretur, seu debite puniretur? Nónne admittere debet, quod Decretum

Sessionis V. hinc locum non habere, iudicaverint Patres Constantienses, quia agebatur de unico, vero, & indubitato Pontifice, qui cogi non poterat, ideoque Sessione XL. Decretum ediderint sine ulla coactionis mentione supra allatum?

Quod autem hæc fuerat sententia Patrum Constantiensium, ex pluribus alijs locis constat, ac præsertim ex *Capitulo Freqvens Sessione XXXIX.* in quo pro veris, & indubitatis Pontificibus Concilia Generalia, statuto tempore convocare nolentibus, nullam pœnam imponunt, nullam omnino mentionem coactionis faciunt, prout tamen faciunt in *secunda parte ejusdem Decreti*, quæ de schismate tempore agit, in qua circa Pontifices illo tempore viventes pœnam etiam privationis Paratûs constituunt. Hæc totidem ferè verbis in *Dissertatione mea* notaveram, quæ ex Actis ab ipsis Basileensibus compilatis, & ex Conciliorum collectionibus quibus terrarum editis constant, ex quibus nunquam probari poterit, quod Patres Constantienses post trium Obedientiarum unionem pro legitimo Pontifice, extra tempus schismatis Ecclesiam gubernante, pœnam aliquam statuerint, quamvis ad hoc non semel, sed pluries incitari fuerint.

CONCLUSIO

24. Concilij Constantiensis decretum de Concilij super Papam superioritate, in sensu ad certum & indubitatum Papam protento, nunquam fuit receptum, & comprobatum à sancta Ecclesia.

Explicatur. Quemadmodum decreta dogmatica lanciantur à sancta Ecclesia representata in Concilio Oecumenico, sic firman- tur ex immoto consensu Ecclesie, quæ tam in definiendis, quam recipiendis & immobiliter assertendis fidei dogmatibus est columna & firmamentum veritatis, ita ut, quod in Spiritu sancto à legitimo Concilio Oecumenico est semel sancitum pro indubitato dogmate, immobiliter teneatur à sancta Ecclesia: unde firmum deduci potest argumentum, si quod dogma in Ecclesia non teneatur tanquam omnino certum & indubitatum, sed positivè etiam ab eo recedatur, non fuisse unquam à legitimo Concilio Oecumenico constitutum. At rem ita se habere circa Concilij Constantiensis Decretum de Synodi supra Papam autoritate Sessione IV. & V. editum, quatenus sensus ipsius ultra dubium & incertum Papam foret extendendum, patet ex antecedenti Emanuels à Schelstrate dissertatione, quod scilicet eju(s)modi erga Papam certum quoad vim coactivam extensio sub ipsa adhuc durante Synodo Constantiensis minimè fuit comprobata à Patribus.

25. Præterea equidem solet, in Basileensi Concilio fuisse postea illam de Papâ etiam certo extensionem ratam habitam, & practicam: hæc namque Synodus *sess. 11.* expressè definierat, Concilium esse supra Papam, nec adeo, nisi Patres consentiant, posse Concilium à Pontifice alio

aliò transferri, aut dissolvi. *Et Sess. III.* monitorium adversùs Eugenium IV. pœnasque non obtemperanti decrevit. Insuper *Sess. IV.* inter dixit Papæ, ne durante Concilio, ad promotionem novorum Cardinalium procederet. Item *Sessione VII.* sanciebat, non posse Papam de Beneficijs Cardinalium à Concilio pûntorum disponere. *Et Sess. VIII.* Eugenium auctoritatè, & sub pœnis contumaciæ ad Concilium citat. *Et Sess. IX.* rescindit omnia Acta & processus ab Eugenio Summo Pontifice contra Wilhelmum Concilij Protectorem factos. *Et Sess. XII.* acriter in Eugenium Summum Pontificem declamat, definitèque, & olim in Romanos Pontifices a Concilio animadversum esse, & deinceps animadverti posse. *Et Sess. XIV.* condiciones Eugenio Papæ tribus formulis comprehensæ, à Concilio præscribuntur, in quas nisi consentiat, Papatu exiit. *Et Sess. XVI.* Eugenius Papa, ut ibi habetur, *Evolutionis, monitionis, & requisitionis sacri Concilij plenariè satisfaci.* Bullas & diplomata contra Concilium à se edita, nulla & inania fuisse, declarat; ipsum verò Concilium fuisse legitime inchoatum, legitimeque continuatum: quo videtur Eugenius omnia in superioribus Sessionibus facta, & consequenter citationes, & sententias contra se dictas confirmasse, & Concilij auctoritatem supra legitimum Papam agnovisse. *Et Sess. XVII.* admittit, ut præfideant, Legatos Papæ, sed cum certis conditionibus, quarum præcipua, ne ullam in Concilio exercent jurisdictionem coactivam. *Et Sess. XVII.* expressè definit, majorem esse Concilij, quàm Papæ auctoritatem, & hanc, nisi obediat, posse à Concilio puniri. *Et Sess. XXI.* tollit Concilium omnes Anathas, & qui eas exegerit, pœnâ simoniaciæ decretâ punit: ipsum verò Summum Pontificem, si aliquid contra hoc decretum moliat, jubet Concilio deferri. *Et Sess. XXVI.* iterum definit, Papam notoriè criminolam jurisdictioni Concilij subjacere, ipsumque Eugenium Papam in jus vocat. *Et Sess. XXIX.* circa medium; clarissimè iterum auctoritas Concilij supra Papam asseritur. *Et Sess. XXXI.* Eugenium suspendit. *Et Sess. XXXIII.* etiam deponit. *Et Sess. XXXVIII.* Concilium Generale supra Papam esse, definit, idque ad veritatem fidei Catholica pertinerè, & qui hoc pertinaciter negat, hæreticum esse. *Et Sess. XXXIX.* Amadæum Sabaudia Ducem, sub nomine Felicis V. Papam renuntiat.

36. In Appendice ad *Sess. XVI.* quæ habetur post Acta Concilij, Legati Eugenij IV. Romani Pontificis, jurant, fideliter laborare pro statu & honore Concilij Basileensis; ejusque decreta defendere & mantere; & specialiter decretum Concilij Constantiensis de subjectione Pontificis. *Et aliud Synodi Basileensis decretum, quòd Papa Concilio Universali obedire teneatur.* Idem habet Platina in *vita Eugenij IV.*

37. Ex quibus proinde Concilij Basileensis Actis videtur eatenus firmata fuisse Synodi Generalis supra Papam auctoritas, ut ex tunc videri posset recepta ab Ecclesia, dum præsertim Eugenius IV. licet ex metu schismatis, nève spes pacis cum Græcorum Ecclesia ineuri-

dæ dissiparetur, condescenderat Basileensium postulatis, instaurando eam Synodum, ac refigendo Bullas, atque censure, quas in Patres tulerat, admittendoque alias condiciones, quas tamen Pontificiam dignitatem dedecere, postea fuit compertum. De his ergo Synodi Basileensis Actis in præsentem oritur quaestio; *An aliquid roboris adjecerint Decretis Constantiensis Concilij ad firmandam eam extensionem; in vi cuius prætenditur Concilij auctoritas esse supra Papam etiam certum & indubitatum?*

PROBATIO I.

In qua ostenditur illa de Concilij supra Papam certum auctoritate prætenso nihil firmitatis ac roboris accepisse ex Actis Concilij Basileensis.

HOC equidem Concilium sub primâ sui aggregatione erat legitimum, ac Oecumenicum, utpote convocatum in nomine Christi, nempe auctoritate ipsius vicariâ perhes Eugenium IV. tunc indubitatum Summum Pontificem subsistente. Verum istè Concilij Oecumenici character proprius ab illa Synodo cœpit esse remotus, ubi à Capite suo Romano Pontifice divisa est, ex eo, quòd Eugenius Concilij dissolutionem, ac in fines Italia translationem decrevisset suâ Bullâ, quæ incipit: *Postquam Divina providentia, relata in Append. ad Acta Concilij Basileensis.* Ex tunc enim Patres, negantes Concilium semel legitime convocatum, dissolvi posse, aliòve transferri, Eugenio in contrarium suis decretis agente, devenerant ad præinsinuata adversùs Pontificem attentata. Sub quo proinde statu Synodus desijt esse congregata in nomine Christi, prorsusque cœpit esse destituta character vicariæ Christi auctoritatis, juxta Christi Domini *Matthæi 18.* sancitam ordinationem, prorsus requisita ad Concilium Oecumenicum. Quare enumerata à *Sessione II.* usque ad *Sessionem XXXIX.* decreta Synodi in eo jam erant statu, ut prorsus essent incapacia illius auctoritati per Summum Pontificem accessus, de quo Christus *ibidem v. 19.* dixit: *Si duo* (in Concilio nempe Oecumenico, de quo ibi sermonem esse, saccè contextus probat) *ex vobis* (quorum unus nempe Capitis in Ecclesia vicem agebat, alter verò hierarchicum Ecclesie Corpus ex Apostolis reliquis, eorumque Successoribus consistens representabat) *conserint super terram, de omni re, quæcumque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in caelis est.*

Quandoquidem igitur Concilium Basileense, ex quo Pontificia auctoritate fuit dissolutum, cœperit esse destitutum character Christi Vicario, sub quo stat forma Synodi, quæ Oecumenicæ, ut sic repræsentativæ hierarchici Ecclesie Corporis, omninò redditur conlequens, ejus Decreta non fuisse in eo statu, ut capacia esse possent consensus illius à Summo Pontifice faciendi, ut sic eorundem taliter auctorizati, ut per mutuam & Capitis, & hierarchici Ecclesie Corporis in dogmatè aliquo consensionem, decretis sub illius à character Christi

Christi Vicario, autoritatēve Pontificiā avulsionis statuēditis, accedere valeret consummata per Christum promissa infallibilitas. Quare decreta illa, inter mera Synodi jam *acephala*, imō Capiti suo refractariē oppositā, adversus *immediatum* Christi in terris Vicarium attentata, sunt in tantum recensenda, ut ipsius etiam Christi institutioni eatenus repugnarent, quatenus *immediatē* Christi Vicariē autoritati superponebant aliquam Christo immediatiorem, nempe Concilij super Papa superioritatem; quippe cū ex principijs fidei sit indubitatum, quō major est in Ecclesia superioritas, eō esse Christo immediatiorem, sicque soli Christo, nulli verō in terris subijcibilem, atque ad eō, ubi Synodus esset Papā superior, eō ipso haberet propinquiorem respectu Christi immediationem, sicque proinde Papam non fore *immediatum* Christi Vicarium, quod à fidei principijs hæctenus traditis profus alienum est.

PROBATIO II.

Quā ostenditur, illa decreta Basileensia nedum aliquid roboris adiecisse decretis Constantiensibus, sed illa, ceu nulla, & in suis intrinsecis principijs invalida, ac inania, fuisse deinceps positivē reprobata in sancta Ecclesia.

30. **P**retermisiss alijs, nempe S. Antonino 3. part. tract. 22. cap. 10. §. 4. Ioanne Capistrano de Papæ & Concilij autorit. par. 3. Joanne de Turrecremata, qui Basileensium factiolas machinationes gravi censurâ solummodò notant, duo reprobata illius Synodi argumenta hæc proferre placet. *Primum* est ex Bulla Pij II. retractatoriâ eorum, quæ prius tanquam confors egerat in Basileensi, à Capite divulso, Concilio. In minoribus, inquit, agentes, nondum sacris Ordinibus initiati, cū Basilea inter eos versaremur, qui se Generale Concilium facere, & Universalem Ecclesiam representare, aiebant, Dialogorum quendam libellum scripsimus, in quo ignorantes (ut Paulus) persecuti fuimus Romanam, Primamque Sedem. Vnde in Domino commonemus, ne fidem ullam præstetis prioribus illis scriptis, quæ supremam Apostolicæ Sedis autoritatem quovis modo elidunt. Nec cum Pontificatu hæc nobis opinio advenit. Sed cū Iulianus S. Angeli, & Ioannes S. Petri, Cardinales, quibus plurimum credebamus, ad Eugenium defecissent: cū paucissimi in fide Basileensi remansissent: cū Fredericus Romanorum Rex Felici V. in Eugeny locum successo, honorem tanquam Pontifici Romano exhibere nollet, cū in Frederici Aula agentes, Eugenium in multis falsò accusatum invenissemus: cū Iulianus Cardinalis post unionem Græcorum & Latinorum Ferrariæ, Florentiæque conclusam, in Vngaria legatione fundus, Viennæ nobis occurrisset, dixissetque, unam vocem Græcorum & Latinorum hanc esse, salvari non posse, qui sanctæ Romanæ Ecclesiæ non teneret unitatem: cū Ioannes Cardinalis Apostolici Palatii Auditor, aliqui docti viri multum nobis frequentibus colloquijs suis profuissent: cūque Cæsar Basileenses induceret, ut Ecclesiasticæ pacis causâ, se ad

novum Concilium, quod Constantiæ indiceret, transferrent: illi verò ad primò reculerent, ob eamque rem multi doctissimi viri, & opinione sanctissimi illustres, scire se dicerent; Basileenses Spiritum sanctum non habere ductorem: his omnibus consideratis, recognovimus errorem nostrum, Basileense Dogma rejecimus, Eugenio Pontifici Maximo caput submisimus, illud Hieronymi diximus: Cathedra Petri communionem confocior, super illam fundatam Ecclesiam scio, Eramusque adhuc Clericali tantum caractere insigniti, quando ad Eugeny obedientiam redierimus.

Alterum Basileensis Synodi ab Ecclesia reprobata argumentum est ex Concilio Lateranensi, quod Julius II. & postea Leo X. opposuit Concilio Pisano circa annum 1509. autoritate Maximiliani Imperatoris, & Ludovici Galliarum Regis dicto Julio II. intentionum celebrato, tandemque reprobato a præfato Ludovico Rege, Synodum illam Lateranensem recipientem tanquam veram & legitimam, in quâ tamen reprobatum fuerat Basileense Concilium, seu potius Conciliabulum. Ad firmandum istud argumentum audire inprimis lubeat verba mandati Regij, in suo Sessionis 8. relata in hunc modum: Cū intellexerit præfatus Rex, Sanctitatem suam insequendo in hac parte gesta dicti Iulij, dictum præfatum Concilium Pisantum, tanquam minus legitimum, & à non habentibus potestatem, indictum, nec non omnia in eo gesta damnasse, & improbasse, & dictum Concilium Lateranense tanquam ritè & legitime indictum, ejusque omnia gesta & decreta approbasse, fueritque postmodum per suam Sanctitatem, tam per litteras in forma brevi, quam aliâ diversimodè paternè admonitus, ut à dicto præfato Concilio tanquam minus ritè, & à non habentibus potestatem indicto, recederet, & dicto Lateranensi tanquam vero, indubitato, unico, & Oecumenico Concilio adhereret, ipseque Rex solo Religionis zelo atque instinctu adductus, sperans desideratam universalem Christi fidelium pacem auspiciens præfati Sanctissimi D. N. Leonis præfati assuturam, ac propediem (favente Domino) unanimi Christianorum Principum & populorum consensu, arma in Orthodoxa fidei, communèque hostes convertenda esse: considerans insuper, quanti sit in his & cæteris rebus omnibus Summi Pontificis auctoritas, quam præsertim vitæ munditiæ, atque innocentia comitatur, quæ sunt in præfato Sanctissimo D. N. perperspicua, paternis sue Sanctitatis monitis & suasionibus abundè pernotis, quippe qui illius autoritati & sententiæ potius, quam alterius cujusque mortalium, sanctius & severius semper stare iudicavit, præsertim ubi scandalum Ecclesiæ imminet & scissura, pro singulari, quam erga præfatum Sanctissimum D. N. & sanctam Sedem Apostolicam gerit, devotione, vestigia Christianorum Franciæ Regum prædecessorum suorum non solum imitari, verum etiam (si fieri potest) antea cupiens, animadvertens præsertim, quia per mortem præfati Iulij, omnis odij & suspitionis materia est extirpata, & quod nonnulli ex prænomatis Cardinalibus, nec non Imperator electus, qui dictum præfatum Concilium Pisantum induxerant, jam illi renuntiârunt, & dicto Lateranensi adhererunt. Hinc est, quod in præsentia præfati Sanctissimi D. N. Leonis X. coram nobis Notarijs & testibus infra scriptis, personaliter

constituti Reverendissimus in Christo D. Fridericus S. Theodori Diaconus Cardinalis de S. Severino vulgariter nuncupatus, nec non Reverendus in Christo Pater D. Claudius de Seyfello electus Massiliensis, ac magnificus & generosus Ludovicus Forbini Dominus de Soleris, præfati Christianissimi Ludovici Francorum Regis Procuratores, ad omnia & singula infra scripta peragenda specialiter deputati, constantibus litteris patentibus dicti Christianissimi Regis sua manu subscriptis, & sigillo suo sigillatis ejusdem Regis nomine & mandato, cum ea, quæ decuit, reverentiâ atque humilitate à dicto præfato Pisano Concilio penitus discesserunt, illique plenarie renuntiaverunt, ac parè, liberè & simpliciter sacrosancto Lateranensi Concilio prædicto, tanquam vero, unico, & legitimo adhererunt. Et insuper procuratorio nomine, quo supra, promiserunt, quod præfatus Rex Christianissimus nullum deinceps favorem, nullamque assensum dicto præfato Concilio Pisano quoquo pacto præstabit, quinimò quoscumque in civitate Lugdunensi, aut alibi in Regno, teris & dominijs suis, sub nomine dicti præfati Concilij Pisani persistentes, infra unum mensem proximè futurum abire faciet, & pertinaciter resistentes, cujuscumque status, gradus, dignitatis, aut conditionis fuerint, Ecclesiastici, vel secularis, de sacro ejectione & expellet, ac pro schismaticis habebit, ac contra eos velut tales, ad omne mandatum præfati Sanctissimi D. N. etiam manu armata (si opus fuerit) procedet. Et ulterius promiserunt præfati Procuratores nomine, quo supra, prænominationem Christianissimum Regem facturum & curaturum cum effectu, quod sex Prælati, & quatuor Doctores seu Graduati ex honoratioribus, ex numero eorum, qui prædicto præfato Concilio Pisano intervenerunt, designabuntur ad eundem Sanctissimum D. N. Papam, nomine dicti præfati Concilij Pisani, & cum legitimo mandato per illud pro tempore representantes, tam eorum, quam aliorum omnium, qui dicto Concilio adhererunt, nomine facti. Qui Prælati & Doctores, seu Graduati infra Kalendas Januarij proximè futuri coram sua Sanctitate personaliter comparebunt, dictoque Concilio Pisano parè & simpliciter renuntiabunt, illudque abjurabunt, & veniam atque absolutionem à sua Sanctitate humiliter in formâ convenienti, & sua Sanctitati acceptâ, postulabunt: & ulterius dicto Concilio Lateranensi tanquam vero, unico, indubitatoque tam suo, quam aliorum adherentium prædictorum nomine, adhererunt, & se incorporabunt. Quodque si præmissa facta non fuerint, præfatus Rex nulli eorum, qui dicto præfato Concilio Pisano interfuerunt, aut saverunt, opem, auxilium, aut favorem dabit adversus sanctam Sedem Apostolicam auctoritatem, quinimò præfati Sanctissimi D. N. sententias, decreta & censuras contra eos exequi faciet pro posse, etiam manu forti & armata (si opus sit) absque ulla simulatione, vel fraude. Et ulterius promiserunt præfati Procuratores, quo supra nomine, quod quamprimum commodè fieri poterit, venient aliqui Prælati & insignes viri nomine totius Ecclesiæ Gallicane cum sufficienti mandato, qui dicto Concilio Lateranensi adhererent & assistent, quemadmodum cetera Nationes.

32. Lubeat deinde hic ex parte repetere, quæ ex ejusdem Lateranensis Concilij à præfato Christianissimo Galharum Rege pro legitimo habitu Sessione decimâ superius adferrebamus,

præcipue cum dictus Rex ei se inhæsurum solenniter promiserit. Ita igitur se habent sancti illius Synodice verba: Nec illud nos movere debet, quod sanctio ipsa, & in ea contenta, in Basileensi Concilio edita, & ipso Concilio instante, à Bituricensi congregatione recepta & acceptata fuerint; cum ea omnia post translationem Basileensis Concilij, per Eugenium quartum, etiam Prædecessorem nostrum factam, à Basileensi Conciliabulo, seu potius conventiculo, præsertim post hujusmodi translationem, Concilium amplius appellari non merebatur, facta extiterint, ac propterea nullum robur habere poterint: cum etiam solum Romanum Pontificem pro tempore existentem, tanquam auctoritatem super omnia Concilia habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum, plenum jus & potestatem habere, necdum ex sacra Scriptura testimonio, dictis sanctorum Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum etiam Prædecessorum nostrorum, sacrorumque Canonum confessione manifestè constet; prout referrebamus in præfatis art. nostri præcitata disquisit. 4. §. 3. an. 53. videre est.

PROBATIO III.

In quâ exhibentur Acta Eugenij IV. adversus Basileense Concilium, ad ostendendam Papæ supra Synodo, à suo præcipue Capite divulsâ, superioritatem.

33. Tenim Eugenium IV. decreta Basileensis Synodi, quibus auctoritas Pontificia impugnabatur, contrarijs decretis oppugnasse, manifestum redditur ex ejusdem Concilij Actis. Nam & Archiepiscopos Colocensem, & Tarentinum misit, qui ab hujusmodi Decretis Concilium prohiberent, cujus egregia ad Patres oratio extat in App. Concilij: & per Jacobum Ebrodunensem acta Concilij recidit, ex ead. App. Et fautores Concilij gravissimis pœnis affecit. Act. Concilij Sess. 9. Et quidquid contra Pontificiam auctoritatem decreverant, nulla & irrita esse declaravi, quique ea tuerentur, dignitatibus eiecit. Act. Concilij Sess. 16. Et denique, ut testatur Cardinalis Turrecremata, qui Concilio assedit l. 2. de Eccles. c. 100. Nunquam Eugenius adduci potuit, Concilio licet omnia movente, ut ea confirmaret.

34. In quem finem intervient etiam, quæ Ioannes Turrecremata libro 2. de Eccles. cap. 100. qui & Concilio Basileensi interfuerat, super decreto, quo Synodum Pontifici præferendam contendebant, disserunt: Licet Basileenses, iniqui, cum maximo studio, repetitis vicibus supplicaverunt, oraverunt, & requisiverunt per Oratores suos, ut Dominus Eugenius eorum decreta approbaret, & confirmaret, nunquam tamen talem approbationem, aut confirmationem ab eo habere potuerunt. Et merito, quia Sedes Apostolica, in qua Religio Christiana semper immaculata permansit, & permanebit, talia decreta, quæ ab Evangelicâ veritate, & sanctorum Patrum doctrinâ aliena videbantur, nullo modo ab eo passa fuisset confirmari.

Et infra: Non parum admirandum est, adversarios Basileenses, tantâ caligine mentis involu-

os, & execratos malitiâ, ut in materijs fidei definiendis & declarandis, maluerint sequi homines, ab Ecclesia Dei in Doctrina sua damnatos; sicut fuit Marsilius de Padua, Guillelmus Ockam, & aliorum Fraticellorum opiniones erroneas renovantes; quam Doctores sanctos ab Ecclesia approbatos, & alios præstantissimos Doctores antiquos, & reputatissimos in schola Theologica, quorum doctrina fulget in Ecclesia, ut sol & luna. Contra quos, ait Augustinus, & habetur in Canone Non asseramus. 24. q. 1. Non asseramus stateras dolosas, nec appendamus, quod volumus, pro arbitrio nostro dicentes: hoc grave, hoc leve est: sed asseramus Divinam stateram ex Scripturis sacris, tanquam thesauris Dominicis, & in illa, quid sit gravius, appendamus.

35. Quare Gallicanus Clerus merito expendat, quæ Meldensis Episcopus legationis a Carolo VII. Galliarum Rege destinatæ Princeps in sacro Purpuratorum Senatu disseruit; pro ut videre est apud Raynaldum ad annum Christi 1541. & Ganguinum in Carolo VII. nimio fervore, iniquens, resistendi (Basilicenses) ad hanc resaniam devenerunt, quod supremam potestatem in uno supposito consistere, denegant, sed eam in multitudine, quæ citò in diversa scinditur, collocant, & pulcherrimam Monarchiam, quæ Christianos hucusque tenuit in unitate fidei, in una professione Religionis Christianæ, in uno ritu Sacramentorum, in una observantia mandatorum, in eisdem ceremonijs divini cultus, atq; pacem & tranquillitatem asseruit, abolere & suppressere contendunt, nobilissimam politiam, quæ beatitudinem celestem habet pro fine, ad Democratiam, vel Aristocratiam redigentes, & ulterius in malis procedendo, unum sibi in Capite assumpserunt, qui non eis præfertur, & sic schisma factum est nedum in obedientia Capitis, sed & in doctrina Evangelij, quod omnibus Christianis est abominandum. Et hoc animadvertens præfatus Christianissimus Rex Franciæ, vehementi dolore ingemiscit, & condolens Ecclesiæ, remedia ubique perquirat, ac deniq; consulto Prælatorum, & aliorum multorum sapientium Regni sui, videtur sibi, quod nullum est aptius remedium ad hoc schisma extirpandum, quam evellere, aut disperdere duas prædictas extremitates, ad quod faciendum necessarium est generale Concilium. Porro Concilium olim Basilicense unam extremitatem nimis exacuit, quando veritatem de suprema potestate in uno extinguere pertentavit. Concilium autem Florentinum hanc veritatem bene quidem incidavit, ut patet in Decreto Græcorum, sed pro regulando usum hujus potestatis nihil edidit, nihilq; locutum est.

36. Expendat iterum Clerus Gallicanus, quod citat Raynaldo teste, idem Meldensis Episcopus in Concilio Florentino Regis Christianissimi & Gallorum nomine supremam potestatem in uno supposito sit professus, detestando illos, qui eam collocant in Concilio, sicque Catholicam scindunt unitatem.

37. Expendat denique Clerus Gallicanus, qualiter in Concilio Lateranensi Fridericus Cardinalis S. Severini, Claudius Eleæus Episcopus Massiliensis, & Ludovicus Dominus de Soterijs, Legati Regis Christianissimi, suo & Regio nomine coram Notarijs & testibus, in litteris patentibus Christianissimi Regis manu subscriptis, ejusdemque sigillo munitis, purè, liberè, & simpliciter sacrosancto Concilio La-

teranensi tanquam vero, unico, & legitimo adhæserint, in quo Concilio Sess. 10. expressè definitum est, Papam esse supra Concilium generale.

S. III.

Referuntur ac expenduntur argumenta circa V. Constantiensis Sessionis decretorum confirmationem à Martino V. vel concessam, vel denegatam.

Decreta Synodi Constantiensis Sessione V. de Concilij supra Papam (præcipue si extensio fiat erga certum Pontificem) autoritate non fuisse confirmata à Martino V. nec adeo habere vim Oecumenicæ Conciliaris sanctionis, tum ex antecedenter dictis, tum ex proximè dicendis, redditur manifestum ex concertatione circa hoc punctum interveniente inter Maymbourgum & Emanuelem à Schelstrate.

Argumentum Maymbourgii.

Hic Author tractatus sui historici cap. 21. & 24. pag. 265. contendit, Martinum V. bis confirmasse Sessionis V. Constantiensis decreta, in præfacto cap. 24. circa initium ita scribens: Jam ostendi, quod Martinus V. bis solemniter approbaverit Decreta. Semel quando statum peti ab illis, qui ab hæresi convertuntur, num pro bent sine exceptione omne illud, quod probat Concilium, & num condemnet omne illud, quod damnat? Et rursus Sessione ultimâ, ubi declarat, se approbare, & inviolabiliter observare velle omnia Decreta, quæ in hoc Concilio edita sunt circa materiam fidei, & sicut se exponit novo vocabulo, Concilii rite.

Quæ Author iste hoc loco objicit de interrogandis, qui ab hæresi convertuntur, cap. 21. probat ex eo articulo: Vtram credant, quod sacrum Concilium Constantiense, Vniversalem Ecclesiam representans approbavit, & approbat in favorem fidei, & ad salutem animarum, quod hoc est ab universis Christi fidelibus approbandum & tenendum: & quod condemnavit, & condemnat esse fidei, vel bonis moribus contrarium, hoc ab eisdem esse tenendum pro condemnato, credendum & asserendum.

Responsio.

Præinsinuatus Schelstrate sui tractatus dissert. 3. cap. 3. pag. 172. reponit, disquirendo, ubinam loco per Maymbourgum citato habeatur, quod ipse dixit, ab hæreticis, qui revertuntur ad Religionem Catholicam, petendum esse: Num pro bent sine exceptione omne illud, quod probat Concilium? Agitur prædicto articulo de statutis Concilij in favorem fidei ad salutem animarum, adeoque non de omnibus Decretis Concilij, multo minus de Decretis Sessionis V. quæ ad materiam fidei non spectant. Deinde etiam si supponeremus tanquam ad fidem spectantia per unam Obedientiam decisa fuisse, quæ de autoritate Conciliorum Sessione V. statuta sunt, non sequeretur, illa hoc articulo per Martinum confirmata fuisse. Non solum enim dicitur, quæ Concilium approbavit, sed additur & approbat, ut constaret, non

agi de omnibus Decretis, quocunque tempore editis, sed de solis illis Decretis, quæ post trium Obedientiarum unionem, sive tunc, cum hoc interrogatorium emanabat, à Concilio approbabantur, qualia non erant Decreta *Sessiois V.* in sensu Basileensium, utpote quæ Concilium tunc non probasse constat.

42. Plura sunt, quæ pro hujus veritatis elucidatione superiori capite adduximus; sed contemnendum non est, quod ex Capitulis Reformationis ad instantiam Nationis Germanicæ propositis, & ex responso à Martino V. & alijs Nationibus ad ea dato desumitur. Cum enim Natio Germanica frustra petiisset Decretum irritans in forma, vidissetque Decretum II. *Sessiois V.* de potestate coactivâ, non intelligi de unico, vero, & indubitato Pontifice, statutam Concilij de reformanda Ecclesia adimplere nolente, curavit, inter octodecim articulos reformationis à Concilio, una cum futuro Pontifice decidendos, hunc quoque apponi: Propter quæ, & quomodo Papa possit corrigi, & deponi. Ad quem articulum rectè observantur Cardinales ab Eugenio IV. deputati, dum Gallicæ Legatis Decretum II. Constantiense *Sessiois V.* in sensu Basileensium objicientibus responderunt: Quod Patres de Constantia non videntur habuisse illum erroneum sensum de potestate Conciliorum, quem habuerunt Basileenses, & prædicaverunt. Rationem adjungunt: Quod cum omnes Obedientiæ simul Constantiæ convenirent, decreverunt in *Sessione XXXVI.* (in Manuscriptis, est XL. in editis) quod Papa cum Concilio haberet declarare, propter quæ, & quomodo ipse possit corrigi. Ac si dixissent Cardinales, ex prædicto articulo de Nationum consensu futuri Pontificis iudicio reservato constare, quod post trium Obedientiarum unionem Consilium non in hæreticis Decretis II. *Sessiois V.* in sensu Basileensium, ac si toties Pontifex corrigi & deponi potuisset, quoties Generalis Concilij Decretis obedire contemneret.

43. Manifestius constat de plurium Nationum sententiâ ex responso ad prædictum articulum post Martini V. electionem dato. Quamvis enim inter edita à Philippo Labbeo ex codice Capronicensi quindecim Reformationis capita nullum reperiatur, quod huic articulo correspondet; nullatenus tamen dubitandum est, quin inter Reformationis capita reperiri debeat. Cum enim ad omnes ferme articulos Reformationis responsum datum reperiatur in capitibus à Philippo Labbeo editis, cur, quæso, ad maximi momenti articulum de correctione Pontificia responsum omissum fuisse? An fortè, quod Martinus V. dignatus non sit ad articulum Sedis Apostolicæ auctoritati à Germanis oppositum vel verbum respondere? Sic tamen etiâ, quod Natione Germanicâ post electionem Martini V. in adversamentis de Reformatione hætenus ineditis urgente hunc articulum, Martino V. integrum non fuerit, eum sub silentio præterire, ideoque responderit: Non videtur, prout nec visum fuit in pluribus Nationibus, circa hoc aliquid statui, vel decerni. Extat hoc Martini responsum in duobus codicibus manuscriptis antiquis, quorum unus in Bibliotheca Vaticanâ,

alter in Palatinâ servantur, ut duo variarum Regionum Manuscripta hæc in re conveniant, & veritati testimonium perhibeant. Hæc autem, si Richerius vidisset, nunquam ex articulo: Propter quæ, & quomodo Papa possit corrigi, & deponi, argumentum pro sensu Patrum de superioritate Concilij deduxisset.

44. Tam certò autem hoc testimonium sensui illi adversatur, ut, cum in *Dissertatione Antuerpiensi* id proposuisset D. Maymbourg, in *Tractatu suo historico* illud prætermittere maluerit, quam referendo, præjudicium aliquod causæ suæ asserere. Omisâ proinde hæc de re mentione, ad alia confugit, & responsum Martini V. quo *Sessione XLV.* Concilij Decreta in materia fidei Conciliariter facta approbat, urgere voluit. Dicit itaque Martinum V. eum Decreta *Sessiois V.* confirmasse, dum *Sessione XLV.* omnia, & singula in materia fidei Conciliariter facta, his verbis probavit: Quod omnia & singula determinata, conclusa, decreta in materia fidei, per præsens sacrum Generale Concilium Constantiense, Conciliariter tenere, & inviolabiliter observare volebat, & nunquam contravenire quoquo modo, ipsaque sic Conciliariter facta approbat, & ratificat, & non aliter, nec alio modo. En verba Martini ex *Sessione XLV.* Constantiensis Concilij, quibus innititur secundum argumentum D. Maymbourg ad monstrandum, quod ab eodem Pontifice probata, seu confirmata fuerint Decreta Constantiensis Synodi *Sessiois IV. & V.* circa auctoritatem Conciliorum edita. Veùm nonne videt Author iste, Martinum V. ibiolummodò agere de Decretis ad materiam fidei spectantibus, seu de articulis Ioannis Wicleff, Ioannis Hus, Hieronymi de Praga, & Bohemorum, qui in *Sessiois publicis Conciliariter damnati* erant tanquam hæretici? Hos enim Martinus V. se pro damnatis habere, significat confirmans, & probans Decreta in materia fidei Constantiæ edita, non verò Decreta *Sessiois IV. & V.* de potestate Ecclesiastica, quod illa sub materia fidei non comprehenderentur, & à Patribus Constantiensibus pro articulis fidei edita non fuerint. Et hoc est, quod in *Dissertatione Antuerpiensi* edita non ex infirmis, aut supposititijs monumentis, sed ex Actis ipsius Constantiensis Concilij probaveram: in ijs enim *Sessione V.* refertur, quod electus Poznaniensis publicaverit Decreta supra dicta per modum *Constitutionum Synodalium*. Et post illorum, aliorumque Decretorum publicationem adjungitur, quod idem Poznaniensis legerit *quædam adversamenta in materia fidei, & super materia Ioannis Hus detenti per Concilium, & quædam Ioanne Wicleff ibidem subjuncta*. Appellabam hic oculos eruditorum, sicut & iterum appello, ut Acta Constantiensis Concilij typis descripta pervolvant, mecumque observent, ipsâ *Sessione V.* in qua Decreta publicata sunt, differentiam factam fuisse inter nonnulla, quæ per modum *Constitutionum Synodalium* publicata sunt, ac alia, quæ ad materiam fidei spectabant, & publicanda dicebantur. Quæ sub nomine *Constitutionum Synodalium* intelligenda erant, dicuntur duo

priora Decreta, de quibus in præfenti agimus. Quæ ad materiam fidei spectabant, dicuntur articuli Joannis Wicleff, & Hus. Ex quibus certò constat, quòd ipsum Constantiense Concilium Decreta Sessionis V. sub materia fidei non comprehenderit, & consequenter Martinus V. Sessione XLV. probando omnia & singula in materia fidei Conciliariter determinata, conclusa, & decreta, non confirmavit Decreta Sessionis V. de potestate Ecclesiastica per modum Constitutionum Synodaliùm duntaxat edita.

45. Possem pluribus rationibus hanc veritatem confirmare, & in quonam constitutiones Synodales à Decretis fidei differant, ostendere, nisi in comperto esset, constitutiones nihil aliud esse, quàm leges, quarum publicatio spectat ad Legislatorem; Decreta verò fidei esse dogmata, quorum decisio pertinet ad Doctorem. Concilium autem Sessione V. non publicavit duo priora Decreta per modum dogmatum in materia fidei, sed per modum Constitutionum Synodaliùm, ut Acta Constantiensis Concilij in terminis astruunt, & ipse Joannes Gersonius negare non potuit utpote qui in sermone pro Viaggio Regis Romanorum coram Patribus Concilij de Decretis illis opinionem suam hoc modo retulit: *Conscribenda, inquit, prorsus esse mihi videtur in eminentioribus locis, vel insculpenda per omnes Ecclesias saluberrima hæc definitio, lex, & regula. Quibus verbis Decreta per modum legum statuta fuisse, Gersonius ipse agnovisse videtur.*

46. Quando igitur Martinus V. Sessione XLV. declaravit, se probare omnia, & singula in materia fidei Conciliariter determinata, conclusa, & decreta, non intendit probare Decreta Sessionis V. sed omnia, & singula circa articulos Wicleff, Hus, Hieronymi Pragensis, & Bohemorum Constantiæ in Sessionibus publicis statuta; imò si rem funditus examinemus, articulum quoque Joannis Parvi de occidendo tyranno Sessione XVII. publicatum confirmavit, utpote quem solum in Bulla suâ confirmatoriâ, sicuti postea videbimus, ex Decretis ad fidem pertinentibus omiserat.

47. Cùm enim Legati Regis Poloniæ Sessione XLV. institissent pro damnatione famosi cujusdam libelli Joannis à Falckenberg, quem, teste Martino Cromero Warmiensi Episcopo lib. 18. de rebus gestis Polonorum: dictus Ioannes à Cruciferis subornatus, in Vladislaum Regem, & in omne Polonum nomen scripserat, & in quo, teste Joanne Gerlono in Dialogo Apologetico pro Constantiensi Concilio hætenus inedito, agebatur de occasione omnium Polonorum faciendâ absque lege, vel ordine, ipsi nec auditis, nec defensis: Martinus V. videns, tumultum inter plures exortum fuisse, quia librum illum Sessione ultimâ Conciliariter damnare nolebat, cùm multi varia dicerent, & aliqui damnatum à Patribus Joannis Parvi errorem renovandum fore, nisi Pontifex libellum Joannis à Falckenberg censurâ publicâ proscriberet, assererent, Martinus respondendo ad prædicta declaravit, se omnia & singula in materia fidei per Constantiense Concilium Conciliariter tenere, & inviolabiliter observare velle, ipsaque sic Conciliariter facta ap-

probavit & ratificavit, ut constaret, à se quoque confirmari Decretum Constantiense circa propositionem Ioannis Parvi de non occidendo tyranno, quod Decretum, quia Martinus specialiter antea non approbaverat, aliqui ab eo non confirmari, credebant. Et hæc quidem de ijs, quæ Martinus V. Sessione XLV. autoritate Apostolicâ ex Concilij Constantiensis Decretis, in materia fidei editis approbavit, & ratificavit.

Addidit autem idem Pontifex eadem Sessione XLV. hanc clausulam: *Et non aliter, ne alio modo, quâ significavit, à se quædam Decreta improbari, de quibus nunc inquirendum est, quænam illa esse possint.* Ut autem ingenue fatear, nullum unquam mihi dubium fuit, quin aliqui Scriptores hic verè annotaverint, à Martino in primis hoc loco rejectum fuisse Nationum, & Cardinalium Decretum de damnando in Sessione publica libello Ioannis à Falckenberg, utpote quod licet in materia fidei esset, non tamen Conciliariter in Sessione publica confirmatum erat. Non tamen placet, quod post Richerium D. Maymbourg voluit, hanc clausulam solummodo ad rejiciendâ damnationem libelli Ioannis à Falckenberg per Martinum V. adjectam fuisse. Sicut enim occasione libelli Ioannes à Falckenberg prudentissimus ille Pontifex non solum confirmavit Decretum Constantiense contra articulum Joannis Parvi, quem prædictus libellus renovare videbatur, sed omnia & singula in materia fidei Conciliariter facta à se approbata, significavit: ita occasione ejusdem libelli idem Martinus non solum rejecit statutum à Nationibus & Collegio Cardinalium de damnando in Sessione publica libello Ioannis à Falckenberg, sed terminis generalioribus usus est, & alia quædam vel ad materiam fidei non spectantia, vel non Conciliariter edita se reprobare, indicavit. Unde Illustrissimus Apameensis Episcopus Spondanus scribit, Martinum V. non solum respondisse ad petitionem Legatorum Poloniæ, sed eâ occasione significasse, quæ Concilij Decreta autoritate Apostolicâ confirmaret, quænam verò reprobanda duceret. Audiendus est Author ille ad annum 1418. ubi agens de petitione Legatorum Regis Poloniæ, & Martini ad eam responso: *Putamus, inquit, prædictorum Nuntiorum petitionem de industria Martini nutu ad Sessionem ultimam reservatam, ut eâ occasione significaret, quæ Concilij decreta ipse autoritate Apostolicâ, ac suprêmâ probaret, quæ verò nonne si autem quidquam de ijs agere voluisset, mirum aliquod, tumultumve in Patribus excitaret, ob ea, quæ ambigue decreta fuissent de autoritate Concilij supra Pontificem, & de potestate reformandi Ecclesiam tam in Capite, quàm in membris: quas absolute, ut sonare videntur, sumptas (de quo dictum est superius) nullo modo Martinus agnoscere, aut approbare voluit, utpote contrarias existimatas & praxi antiquioris Ecclesiæ, & collatæ à Christo Domino Petro, ejusque Successoribus autoritati ac potestati, ipsi decimum naturæ rei, quâ Caput debet membra regere, non regi à membris.*

Hæc eruditissimus Apameensis in Gallia Episcopus

CONCLUSIO.

Episcopus, qui manuscriptos Constantiensis Concilij codices Parisijs in Bibliothecis Christianissimi Regis, & sancti Victoris asservatos sedulo pervolvit, ex quibus indicia aliqua habere potuit de ijs, quæ hoc loco de infirmatis à Martino V. Decretis memoriæ tradidit. Unum autem præ cæteris observandum est, quod Author ille in historiâ Constantiensis Concilij tantopere à Maymbourg laudatâ notavit, quod non solum Decretum II. *Sessiois V. de autoritate coactivâ Conciliorum, sed & clausula I. Decreti de reformatione Ecclesiæ Dei in Capite, & in membris, à Martino V. improbata fuerint.* Hæc enim mirum in modum consonant manuscriptis codicibus à me repertis, quos D. Maymbourg, tanquam vitiosos, aspernandos esse, contendebat.

Non ignorabat Martinus V. quantâ animi constantiâ Franciscus Cardinalis Zabarella sese opposuerat articulo, quo Constantiensis Concilio tribuebatur autoritas reformandi Ecclesiam in Capite & in membris. Memoriâ retinebat, quàm graviter plerique Cardinales cum Regis Galliarum Oratoribus contra Decreta *V. Sessiois* protestati erant. Optime noverat, quot contentiones post trium Obedientiarum unionem in Concilio excitatæ fuerant, ne fieret reformatio Ecclesiæ ante electionem unius, veri, & indubitati Pontificis. Oculatus testis extiterat iurgiorum, rixarum, & periculorum, quæ Cardinales subierant, ut materiam reformationis futuri Pontificis iudicio reservarent. Oblitus non erat responsi, quod Nationi Germanicæ, petenti Decretum irritans per modum cautionis de fiendâ per Pontificem reformatione, datum fuerat, quod *Papa electus ligari non potest.* Præsens fuerat, quando Concilium autoritate *coactivâ* abstinerat in Decretis suis, legitimum Pontificem spectantibus. Non multum temporis transiverat, quo ante Sessionem XLIII. ad articulum secundum *De reformationibus sedis Apostolicæ, & articulum octavum De officijs Cancellariæ, ac Penitentiarie* reformandis, ne verbum quidem Nationibus, & Patribus Concilij responderat, quia ad ipsos reformationem in Capite, seu Curia Romana spectare non credebatur. Mente tenebat datum eodem tempore à se, & pluribus Nationibus responsum ad articulum Germanorum: *Propter quæ, & quomodo Papa possit corrigi, & deponi.* Quod nimirum nihil ea de re, quia novitatem sapiebat, statui deberet. Et ne quisquam sequentibus temporibus ex Decretis *Sessiois V.* probandum susciperet, legitimum Pontificem corrigi, vel deponi posse, Sessione XLV. ex petitione Legatorum Regis Poloniæ occasionem cepit, ut observat Spondanus, exponendi mentem suam de eorum invaliditate, dixitque, se autoritate Pontificiâ tunc non probare, quæ aliter, quàm in materia fidei Conciliariter acta erant, ut indicaret, Decretum I. *Sessiois V. de reformatione, & Decretum II. de potestate coactivâ* tanquam aliter, & alio modo facta, à se neque probari, neque in autoritatem recipi.

EO ipso, quod Martinus V. non tantum non confirmavit, sed, uti sequenti *Corollario* dicitur, reprobavit Constantiensis de Concilij super Papam certum superioritate decretum, nequit hoc dici Oecumenicum, neque habet aliquid roboris *authoritative* obstringentis, sed censeri potius debet inter reprobata dogmata.

Explicatur. Supponamus ex physicis principijs, quod in homine duplex consisteret forma substantialis, una corporeitatis dicta, altera anima rationalis. Ex formâ equidem corporeitatis denominaretur corpus organizatum, necdum tamen *formaliter* humanum, sed *materialiter* duntaxat, quod ex unionione formæ rationalis constituendum esset sub ratione hominis, seu corporis quâ *formaliter* humani. Sic aded Ecclesia dupliciter considerari potest, vel quâ corpus hierarchicum in Synodo aliqua Generali absque Capite representatum, vel quâ corpus animatum formâ autoritatis Oecumenicæ, Vicarium Christi characterem solius Papæ proprium præferentis. In priori statu nequit adhuc Concilium *formaliter*, sed *materialiter* duntaxat & *dispositivè* dici Oecumenicum, nec aded ejus decreta habent vim autoritatis Oecumenicæ. Quare ad hanc obtinendam, opus fuisse *authorizativâ* Papæ confirmatione, seu formâ Synodi in Esse Oecumenicæ *essentialiter* constitutivâ, liquet ex *antecedentibus*, patebitque insuper ex sequenti probatione.

PROBATIO.

In qua ostenditur, ut Concilij *acephali* decretum obtineat eam firmitatem, quæ sacris dogmatibus advenit ex Ecclesia, seu columnâ & firmamento veritatis, oportere, eidem accedere *authorizativam* Papæ approbationem.

DUM enim Spiritus sanctus per os Apostoli *1. Timoth. 3.* Ecclesiam vocat columnam & firmamentum veritatis, num dicere fas est, hoc de Ecclesiâ hierarchicâ solum *incomplete* ac *imperfectè* sumptâ intelligendum esse? Constat autem ex fidei principijs, hierarchicum Ecclesiæ statum *substantialiter* componi ex Capite & Corpore hierarchico, Ecclesiasticos Præsules complectente. Num igitur isti Corpori *acephalo*, cum exclusione Summi Pontificis, attribueri fas est, illam præminentiam Ecclesiæ appropriatam, quod sit columnâ & firmamentum veritatis? Hoc prædicatum nulli alteri subiecto est attribuendum, quàm illi, quod textu illo Apostolico habetur expressum, nempe Ecclesiæ. Quia igitur Ecclesia, secundum quod est Hierarchia in terris Divinitus instituta, *substantialiter* dicitur Corpus hierarchicum, quâ unitum Capiti Supremo Pontifici, nequit illud prædicatum, quod sit colum-

columna & firmamentum veritatis, attribui *acephalico* Ecclesie Corpori hierarchico, neque adeo decretum emanans a tali hierarchico Corpore *acephalico* ullatenus dici potest Oecumenicum, ac munitum infallibilitatis caractere. Quandoquidem ergo Summus Pontifex Martinus V. Constantiensis *V. Sessionis* decretis non solum non accesserit, per authoritativam eorundem confirmationem, sed hæc, uti sequenti Corollario ostendetur, *implicitè* saltem, ac *virtualiter* reprobarit, ideo prorsus dicendum, ea Constantiensia decreta nullius esse roboris ac valoris.

S. IV.

Corollarium præsentis VIII.
Disquisitionis.

In quo ostenditur, Martinum V. confirmando decreta Constantiensia, & declarando, quod à Romano Pontifice appellare non liceat, *positivè* propugnasse superioritatem Pontificiam.

53. **E**manuel Schellstrate *preced. cap. 3.* ostendit, quod Martinus V. nunquam in auctoritatem recipere voluerit decreta Constantiensia *V. Sessionis*, quæ intellecta de superioritate Concilii, sed potius ea rejecerit, & quoties mentio de ijs facta est, ea à sese improbari, significaverit: nunc videndum est, an auctoritatem suam supra Concilium aliquo expresso testimonio comprobata esse, voluerit? In Dissertatione sua Antuerpiensi *cap. 3. circa suam* paucis verbis indicaverat Schellstrate, Martinum V. bis ostendisse, supremum sibi in rebus fidei iudicium competere. *Primo*, dum Concilio Constantiensis in publicis Sessionibus Decreta confirmatione sua indigere, monstravit. *Secundo*, dum in Consistorio publico de non appellando à supremo Judice Romano Pontifice, Jesu Christi in terris Vicario, constitutionem edidit. Cum autem D. Maymbourg aliqua hæc obiicere voluerit, & quædam monumenta huic spectantia, & nondum edita, tuncque Orbi Catholico hoc nostro tempore ignota ad manus meas pervenerint, rem eruditè gratissimam me facturum existimavi, si de singulis suis agerem, & quam elatè Martinus V. auctoritatem supra Concilia exercuerit, exponerem.

54. Ut autem à confirmatione Martini V. incipiam, cum ex ea validissimum argumentum desumi possit pro superioritate Pontificiâ, id ipsum debilitare conatus est D. Maymbourg *cap. 24.* asserens. Quod nunquam antiqua Ecclesia cognoverit aliam approbationem, aut confirmationem Conciliorum à Romanis Pontificibus factam, quam consensum ipsorum, quem illi æquè ac alij (nimirum Episcopi) dare tenebantur. Dicit, se id alibi monstrasse, *cap. nimirum 17. ejusdem Tractatus historici*, ubi S. Sylvestri, Leonis Magni, & Martini I. verba adducit, ut probet, confirmationem nihil aliud esse, quam sub-

scriptionem, aut suffragium à Romano Episcopo æquè, ac alijs Episcopis præbendum, ita ut in Martini V. potestate situm non fuerit, Decretis Constantiensibus assensum, seu suffragium suum denegare. Aliud quid addit Richerius in *historia Conciliorum Generalium lib. 2. cap. 4. §. 26.* ex Bulla Martini V. contra errores Joannis Wiclef. *Quæ*, inquit, *decimum tertium monumentum præceos auctoritatis Concilii supra Papam nobis exhibet, quoniam Martinus omnia & singula de Concilii consensu & approbatione gerit.*

Loquitur Richerius de Bulla Martini V. quæ incipit: *Inter cunctas Pastoralis officij sollicitudines*, quam Basileenses in sua compilatione Actis Constantiensibus subjecerunt, & reliqui subinde Conciliorum Collectores eodem modo post Sessionem XLV. ediderunt; unde plurimorum, & communis error irrepsit, quod hæc sit Bulla confirmatoria Martini V. de articulis Joannis Hus, & Hieronymi de Praga à Concilio Constantiensis damnatis. Verum cum sedulo hanc Martini Bullam pervolvissim, eamque pro hæreticæ pravitatis Inquisitoribus à Martino V. sacro approbante Concilio, editam fuisse, notâsem, censui, Bullam illam confirmatoriam non esse, nec post Acta Sessionis XLV. edi debuisse. Extat Bulla illa non solum omnibus Inquisitoribus inscripta, ut eam exhibet Philippus Labbeus in sua collectione, sed & alijs particularibus; ut habet *Tomus VIII. Diversorum Martini V. qui in Archivio Apostolico asservitur*, in quo eadem illa Bulla reperitur cum hoc titulo & subnotatione: *Martinus &c. Venerabilibus Fratribus Salzeburgensi, Gneznenf. & Pragensi Archiepiscopis, ac Olomucensi, Luthomusensi, Bambergensi, Misnensi, Pataviensi, Vratislaviensi, Ratisponensi, Cracoviensi, Poznaniensi, & Nitricensi Episcopis, nec non dilectis filijs electis, ac Inquisitoribus hæreticæ pravitatis, per Salzeburgensem, Gneznensem, Pragensem, Olomucensem, Luthomusensem, Bambergensem, Misnensem, Pataviensem, Vratislaviensem, Ratisponensem, Cracoviensem, Poznaniensem, & Nitricensem Civitates & Dioceses, & alibi ubilibet constitutis, ad quos præsentis litteræ pervenerint, salutem, &c.* Inter cunctas Pastoralis curæ sollicitudines, quibus, &c. Datum Constantiæ octavo Kal. Martij anno primo. Reperitur quoque ibidem cum sequenti inscriptione: *Martinus &c. Venerabilibus Fratribus Cantuariensi, Eboracensi Archiepiscopis, ac Londoniensi, Rossensi, Cestrensi, Wintoniensi, Oxoniensi, Lincolnensi, Bathoniensi, Wellensi, Salesberienf, Wyngermensi, Herfordensi, Conventiensi, Lichfeldensi, Norwicensi, Eliensi, Menevensi, Asovensi, Laudavensi, Bavigorensi, Dunelmensi, Carlolenf, & Candidetase Episcopis, nec non dilectis filijs Inquisitoribus hæreticæ pravitatis per Cantuariensem, & Eboracensem provincias, ad quos præsentis litteræ pervenerint, salutem, &c.* Inter cunctas Pastoralis curæ sollicitudines, &c. Datum Constantiæ octavo Kal. Martij anno primo.

Ex varijs hujus Bullæ titulis constat imprimis, eam factam fuisse pro Inquisitoribus hæreticæ pravitatis in Polonia, Anglia, aliisque locis, ubi Wicleffi, & Hus, ac Hieronymi

mi Pragenſis hæreſes tanquam venena ſerpēbant: ut mirum non ſit, quod Bulla, cū executoria eſſet, ſacro approbante Concilio, à Martino V. edita dicatur. Conſtat ſecundò, editam fuiſſe non poſt finem Concilij, ut communiter ex eo creditur, quod poſt Sefſionem XLV. legatur, ſed 8. Kal. Martij, anno Pontificatùs Martini primo, dum Concilium nondum Sefſionem XLIII. celebràrat, ut inter Sefſionem XLII. qua 28. Decembris anno 1417. & Sefſionem XLIII. 21. Martij anno 1418. celebratæ ſunt, collocanda ſit: 2. enim Kalendæ Martij, qua in diem 22. Februarij incidunt, inter utrumque diem, quibus Sefſiones XLII. & XLIII. habitæ fuerunt, mediæ ſunt.

Cùm autem ex hac obſervatione manifeſtum fiat, Bullam Martini V. confirmatoriam in Actis deſiderari, opportunè omninò accidit, quod pervolvens proximis hiſce diebus Regeſtum Variorum Martini, aliud quaerendo, aliud repererim. Incidi namque præter ſpem omnem in Bullam Martini longè à ſuperiori diverſam, utpote qua incipit: *Martinus &c. Ad perpetuam rei memoriam.* In eminentis Apoſtolice dignitatis ſpeculâ ſupermi diſpoſitione conſtituti, inter ſollicitudines alias innumerabiles noſtris humeris incumbentes, aſiduâ curâ revolvimus, & in votis noſtris gerimus deſiderantes, ut fides Catholica, quæ Chriſtiana Religionis firmiſſimum eſt fundamentum, noſtris proſpiciatur temporibus, ac à contagioſis hæreticorum dogmatibus, quibus illam quaſi tenebroſi ſumi caligine obſcurare fatagunt, conſervetur, hæreſis quæ pravitatis de ſinibus fidelium extirpetur, &c. Præmittit illa Bullâ Martinus V. qua contra errores Joannis Wicleſſi, & Hus, ac Hieronymi de Praga à Joanne XXIII. in Concilio Romano anno Pontificatùs ejus tertio decreta fuerant, duasque conſtitutiones ejuſdem Joannis, quarum una à Labbeo edita eſt Tomo XI. Conciliorum, altera hucuſque lucem non vidit, exhibet: deinde ſtatuta Conſtantienſis Concilij circa propoſitiones Wicleſſi & Hus, nec non errorem Bohemorum de communione ſub duplici ſpecie de verbo ad verbum infeſcit: Nos igitur declarationes, decreta, diſſinitiones, reprobationes, mandata, inhibitiones, ſtatuta, nec non & condemnationes, & ſententias ſupraſcripta rata habentes, & grata, illaque authoritatè Apoſtolica ex certâ ſcientiâ tenore præſentium confirmantes, & præſentis ſcripti patrocinio communitentes, ſuppletis quoque omnes defectus, ſi qui forſan, propter ſolennitates Iuris in procedendo non ſervatas, intervenerint in eiſdem, volumus etiam, & eadem authoritate decernimus, quod declarationes, diſſinitiones, reprobationes, mandata, inhibitiones, ſtatuta, nec non condemnationes, & ſententias, præſentia plenam vim, plenamque robur, & vigorem per omnia habeant, & ad ea ubilibet probanda hæ noſtra litteræ plenè ſufficiant, quandoocumque eas ſive in iudicio, ſive alibi exhiberi contigerit, vel oſtendi. Nulli ergo, &c. Noſtræ approbationis, ratificationis, communionis, ſuppletionis, voluntatis, & inſtitutionis infringere, &c. Si quis, &c. Datum Conſtantiæ 8. Kal. Martij, anno primo.

Atque hæc eſt Bulla Martini V. confirmatoria, quæ hætenus typis deſcripta non fuit, omneſque noſtri ſæculi peritos in hunc uſque diem latuit, ex qua non ſolum reſutantur, quæ Richerius objecit, ſed quæ & ipſe D. Maymbourg ſuperius de confirmatione Pontificiâ ſcripſit. Ut enim à Richerio incipiam, edita eſt hæc Bulla à Martino V. octavo Kal. Martij, dum litteras executoriales ad Inquiſitores hæreticæ pravitatis ſupra memoratas eodem die tranſmitteret. Edidit autem Martinus hanc Bullam nomine proprio, nulla Concilij mentione factâ, quod per illam Romani, & Conſtantienſis Conciliorum contra hæreticos ſtatuta authoritate Apoſtolica confirmaret, adeò, ut ex verâ Bulla confirmatoriâ non habeatur monumentum præceos authoritatis Concilij ſupra Papam, ſed potiùs contrarium, authoritatis nimirum Pontificiæ ſupra Concilium: ad Superiorem enim ſpectat approbare, ratificare, confirmare, communicare decreta, & ſupplere defectus inferiorum, prout Martinus V. hæc Bullâ ſe de Decretis Patrum Conſtantienſium facere, in terminis aſſerit. Et hinc quoque patet, quid dicendum ſit de obſervatione D. Maymbourg, quâ confirmationem Pontificiâ cæterorum Episcoporum ſubſcriptionibus æquiparare non dubitavit, & huic antiquorum traditionem conſonam eſſe, allerere auſus fuit.

Quam injurioſa namque ſit Sedi Apoſtolice authoritatis ejus interpretatio; quam aliena à mente Eccleſiæ hæc ſuprema Pontificiâ confirmationis enervatio; non ex uno, ſed ex pluribus antiquitatis monumentis, quæ ab ipſo D. Maymbourg adferuntur, probari poſſent. Non ſic enim judicârunt Episcopi Concilij Arelatenſis primi, quando ſtatutum de uno Paſchatis die ubique terrarum obſervando ad Sylveſtrum I. Romanum Pontificem retulerunt, ut iudicio ipſius probatum per majores Romani Imperij Diæceſes publicaretur. Non ſic tenuerunt ſextenti triginta Orientales Episcopi Chalcedone congregati, quando Canonem 28. de ſecundo honoris gradu Sedi Conſtantinopolitana tribuendo ad Leonem I. retulerunt, ut illum authoritate Apoſtolice probaret, & tanquam Caput membrorum ſtatuta confirmaret, ac roboraret. Neque ſic de authoritate ſua judicavit Leo, & re, & nomine Magnus, dum ſolus Canon 28. Chalcedonenſi obſtitit, eumque, quia authoritate Apoſtolice ſtatutus non fuerat, rejecit, & nullius roboris eſſe, monſtravit. Hæc erat de authoritate Sedis Apoſtolice circa Synodicorum Decretorum confirmationem traditio venerandæ Antiquitatis, hæc conſtans & indubitata ſententia religioſæ poſteritatis.

Ut enim omnittam ſacroſanctum Tridentinum Concilium; quod Antiquorum veſtigij inſiſtens, Acta ſua ad Romanum Pontificem tanquam ſupremum Eccleſiæ Iudicem retulit; ad ipſum Conſtantiense Concilium accedo; quod poſt trium Obedientiarum unionem ſignificavit, Romanum Pontificem adſtringi non potuiſſe Decretis in materia fidei à ſe editis, niſi poſtquam illa ſupremâ ſua Sedis authori-

thoritate approbasset. Cùm enim Patres Constantienses *Sessione XL.* ederent professionem fidei, quam Romani Pontifices juxta antiquam consuetudinem, ante coronationem emitterent, inter omnia Concilia Generalia, quæ Decreta in materia fidei per totam Ecclesiam recepta ediderant, unum Constantiense omiserunt, cùm tamen plura de fide, quàm ul- lum aliud Concilium statuisset: quâ re Patres Constantienses innuere voluerunt, se futurum Pontificem astringere non potuisse ad Decreta fidei in Concilio statuta, nisi Sedis Apostolicæ judicio fuissent prius confirmata. Ne autem quisquam de Decretis Constantiensibus in materia fidei editis dubitaret, electus à tribus Obedientibus in Summum Pontificem Martinus V. voluit post Sessionem *XLII.* Decreta fidei autoritate suâ Apostolicâ comprobare; prout fecit Bullâ confirmatoriâ superius memoratâ. Illa, inquit, *autoritate Apostolicâ ex certâ scientiâ præsentium tenore confirmantes, & præsentis scripti patrocinio communientes, supple- tes quoque omnes defectus, si qui forsitan propter solennitates iuris in procedendo non servatas, interven- erint in eisdem.* Et postquam Martinus solâ autoritate Pontificiâ hoc modo Decreta Con- stantiensia in materia fidei probaverat, tunc nomine suo, consentiente Concilio, Decreta à Concilio edita, & à se probata ad cunctos hæreticæ pravitatis Inquisitores transmisit, ut juxta illorum tenorem, contra Wicleffistas, & Hussitas agerent: quod nihil planè contra su- perioritatem Pontificiam facit.

61. Ne autem ullum omninò dubium restet de mente Martini V. circa autoritatem Pontificis supra Concilium, adjungenda sunt, quæ occa- sione Polonorum in Consistorio publico de non appellando à Sedis Apostolicæ judicio, statuit. Utque res tota à sua origine repeta- tur, cùm Concilium *Sessione XIII.* elegisset Commissarios tam ex Collegio Cardinalium, quàm ex Nationibus ad audiendum & examinandum causas hæresum, & errorum in fide Catholica, & moribus, undecumque habuissent, & haberent originem; accidit, quòd Regis Poloniae Lega- tus Nicolaus Gneznenfis Archiepiscopus acce- ptum à Doctoribus, & Studiosis Parisiensibus libellum famosum, quem Ioannes à Falckenberg in *Wladislaum Regem, & in omne Polonum nomen conscripserat,* ad deputatos Judices detulerit, Authorem in tetrum carcerem includi fecerit, & à Iudicibus Constantiensis Concilij libel- lum cum omni debita solennitate, & maturi- tate damnari curaverit. Antequàm itaque Martinus V. in Pontificem eligeretur, singu- larè Nationes, & sacrum Cardinalium Colle- gium seorsim concluderant, ordinaverantque, quòd dictus libellus, tanquam hæreticus in *Sessione publica per sacrosanctum Concilium Constantiense publicè damnaretur, seu dam- natus nuntiaretur, unde post electionem Mar- tini V. aliquoties insisterunt pro publica istius libelli condemnatione. Ubi autem vide- runt, à Martino V. 8. Kal. Martij, seu die 22. Februarij anno 1418. hæreses Ioannis Wicleff, & Ioannis Hus, ac Bohemorum de commu- nione sub duplici specie proscriptas, ac de ijs*

duntaxat ad Episcopos Poloniae, aliosque hæ- reticæ pravitatis Inquisitores literas datas fuisse, verisimile est, eos nondum quidem ap- pellasse, sed de appellando ad futurum Con- cilium cum pluribus locutos fuisse, idque ad Martini V. aures pervenisse. Hæc autem oc- casione idem Pontifex Decretum edidit de non appellando à Romano Pontifice, de quo audiendus est Ioannis Gerlonius in *Dialogo Apologetico pro Constantiensi Concilio,* qui appella- tionis Polonorum meminit, quasi jam inter- jecta fuisset: *Pro parte Dominorum Polonorum interjecta est tandem appellatio ad futurum Con- cilium. Cui appellatiioni cum respondendum esset, lata est, ut dicitur, in Consistorio Generali & publi- co, quòd ultimò Constantiæ celebratum est, minuta quadam sub forma Bullæ... continebaturque, in nullo casu licere, appellationem à Papa facere, nec ejus judicium in causa fidei declinare. Quæ hæc ad- fert Ioannes Gerlonius ex aliorum relatione in Tractatu suo; Quomodo, & an liceat à Sum- mo Pontifice appellare, seu ejus judicium declinare? tanquam rem sibi compertam, & indubitam exhibet. Absolutè enim affirmat, quòd Mar- tinus V. in sua constitutione: Ad perpetuum rei memoriam, factâ, & promulgatâ in Consistorio generali celebrato Constantiæ 6. Idus Martij, Pontificatus sui anno primo decreverit: Nihil fas est, à supremo Iudice, videlicet Apostolicâ Sede, seu Romano Pontifice Iesu Christi Vicario in terris appellare, aut illius judicium in causis fidei (que tanquam majores ad ipsum, & Sedem Apostolicam deferenda sunt) declinare.*

Testatur Joannes Gerlonius in eodem illo tractatu, Decretum hoc occasione Polo- norum editum fuisse, & ipse D. Maymbourg *cap. 24.* illud occasione Appellationis ab ijs- dem Oratoribus interpolatâ, prodijisse affirmat, ut Martinus V. neque clariùs, neque expre- ssiùs mentem suam de Sedis Apostolicæ supra Concilium autoritate exponere poterit: id quod adeò manifestum fit ex verbis Mar- tini V. à Gerlonio allatis, ut hæc Authori nos- tro aqua hælerit, & cùm ad pleraque à me allata respondere conatus fuerit, ad Decretum illud se nihil habere, quod opponeret, re ip- sâ significavit. Quamvis enim Auctor noster fingat, facilem esse responsionem, dicatque: *Facillimè responderi potest, dicendo id, quòd centies responsum est; & cui contradici nequit, quòd hæc, & similia verba intelligi debeant de omnibus Eccle- sijs particulariter sumptis, de omnibus Episcopis, Archiepiscopis, Metropolitanis, Primatibus, Patri- archis, à quorum judicio ad Romanum Pontificem appellare licet, ita, ut nemini appellare permissum sit ad judicium alicujus ex ipsis à sententia Romani Pontificis, qui ipsorum superior est, non quidem, quando adunati sunt in Concilio, & universalem Eccle- siam representant, sed quando particulariter sa- mantur.* Hæc tamen responsio adeò infirma est, ut Lector non nisi oculis indigeat, ad fal- sitatem illius ex Actis Concilij detegendam. Non enim agebatur à Legatis Poloniae de Episcopis particulatim sumptis, sed in Concilio adunatis. Appellare volebant non ad Patriar- chas, Primates, Metropolitanos, & Episcopos toto orbe dispersos, sed in Concilio Universi- tali

fali congregatos. Cùm autem horum occasione editum fuerit à Martino V. Decretum de non appellando à Romano Pontificis iudicio, ut ipse D. Maymbourg fateretur, quâ ratione negare potest, supradicto Martini Decreto prohibitam fuisse appellationem ad Generale Concilium?

Verba illius Pontificis nimis manifesta sunt, quàm ut in dubium revocari possint: Nullus est, à supremo iudice, videlicet Apostolica Sede, seu Romano Pontifice seu Christi Vicario in terris appellare. Appellationem à Romano Pontifice interdicit Martinus V. & rationem quoque adjungit, quòd nimirum Pontifex sit Jesu Christi in terris Vicarius, adeoque Divinitus ovili Ecclesiæ præpositus, & supremus, ut vocaribidem, iudex constitutus. Hæc sunt verba, quibus clara desiderari non possunt, & quæ aded Joannis Gersonij scriptis adversa sunt, ut erroris ea convincerent, ac Authorem in interpretandis Sessionis V. Decretis longè à Martini V. mente huculque alienum fuisse, monstrarent. Neque id latuit Gersonium, qui Tractatum: *Quomodo, & an liceat à Summo Pontifice appellare?* contra Martini constitutionem edidit, & Decretum illud Pontificium ex adverso cum Synodalibus constitutionibus anno 1416. sexto Aprilis Constantiæ editis pugnare, totis viribus probare contendit.

Cùm autem Synodales constitutiones illæ, sint ipsa duo priora Decreta Sess. V. de potestate Ecclesiastica sine communi deliberatione, contra protestantibus Cardinalibus, & Regis Galliæ Oratoribus, edita, & Ioannes Gersonius ea de superioritate Concilij intellecta, per Martini V. constitutionem infirmata fuisse, clarius probaverit, quàm ut ipse D. Maymbourg id pertinaciter negare ausus sit, adjungit Author iste: *Quòd si D. Schelstrate, his non obstantibus, velit, quòd Martinus V. hæc constitutione condemnet, & absolute prohibeat omnem appellationem ad Universale Concilium, respondebitur ipsi sine ulla difficultate, quòd etiam si ita esset, constitutio illa nullam vim fortiretur, quia facta non fuit Conciliariter, neque sacro approbante Concilio, neque cum consensu Ecclesiæ, quæ nunquam voluit, in omni casu prohibitam esse appellationem à Papa ad Concilium. Verùm quam vanum sit hoc effugium, vel me tacente, quisque facile percipiet. Constitutio illa, inquit D. Maymbourg, facta non est Conciliariter, neque sacro approbante Concilio. Sed quid inde? Sequiturne ex eo, constitutionem illam à Martino V. factam non fuisse, vel Decreta Sessionis V. ab eo non fuisse reprobata? Constitutio in Consistorio publico die 2. Martij anno 1416. præsentibus Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, à Martino V. Constantiæ edita fuit, cùm omnes Patres in eadem Civitate aderant, qui in nulla ex sequentibus Sessionibus se Martini Decreto opposuerunt, quin potius illud ipsum Actis Sessionis XLV. inserti passi sunt. Cùm enim Sessione XLV. finis imponendus esset Concilio, & Oratores vidissent, nihil circa damnationem libri Ioannis à Falckenberg ibidem publicandum fore, rem novam Legati Regis ausi sunt, inquit Martinus Cromerus Warmiænsis Episcopus lib. 18. de gestis*

Polonorum, ad futurum Concilium, quod in decimum annum indicetur, provocarunt. Agunt de hæc appellatione Acta Concilij tam edita, quàm inedita, omnium autem fulsimum Protonotarij Constantiensis Concilij in compilatione à se facta, in qua referunt, quòd, cùm nonnulli multum dicerent, & tumultum facerent, Martinus V. imposto omnibus silentio, dixerit respondendo ad prædicta, quòd omnia, & singula Decreta Constantiensis Concilij approbata, & ratificata, quæ in materia fidei Conciliariter statuta erant, non autem aliter, neq. alio modo. Quo responso prudentissimus ille Pontifex, ut ostendimus supra, significabat, quænam Decreta confirmabat, quæ autoritate Apostolicâ probare volebat. Ac de Decreto inprimis contra propositionem Joannis Parvi Constantiæ edito, quòd Martinus in Bullâ suâ confirmatoriâ omiserat, & contra quod Ioannes à Falckenberg in famoso suo libello aperte sentire vilus erat, satis, superque ostendit, illud ipsum à se probari, ac confirmari, quia Conciliariter in materia fidei conclusum, determinatum, & statutum erat. De ipso autem libello non solum hæc crudelissimâ hæresi, sed multis quoque alijs erroribus referto, ob quos sacrum Cardinalium Collegium, & omnes Nationes illum damnarant, & in Sessione publicâ damnandum statuerant, clarè ostendit, sese Decretum Nationum, & Collegij Cardinalium noluisse in auctoritatem admittere. Unde cùm Paulus Voladimirius unus ex Oratoribus Polonis vellet prosequi appellationem, eamque ex quadam cedula legere cepisset, fuit ipsi per D. Augustinum de Lance Fiscalem & Advocatum Consistorialem de mandato Domini nostri Papæ, ut idem Augustinus asseruit, ibidem coram eodem Domino nostro stanti impostum silentium sub pena excommunicationis, quo quidem silentio imposto, idem Paulus tacuit &c. Hæc ipsius Constantiensis Concilij Protonotarij in Actis publicis, ex quibus inprimis patet, Martinum V. se superiorem ostendisse Collegio Cardinalium, & cunctis Nationibus, sanctum Constantiense Concilium integrantibus. Secundò patet, se superiorem fecisse Patribus non solum seorsim, sive Nationaliter, & extra Sessionem publicam, sed etiam simpliciter, sive in Sessione Conciliariter statuentibus: Martinus enim appellationem à Sedis Apostolicæ iudicio ad Concilium Universale prohibens, ne quidem iudicio conciliariter se subiectum ostendit, quinimò, teste Gersonio, Romanum Pontificem pro supremo in materijs fidei iudice, à quo ad Concilium Universale appellare non licet, palàm asseruit. Unde Sessione XLV. Polonis appellationem à iudicio suo ad futurum Concilium interponere volentibus non solum obstitit, sed quod caput est, in ipso Constantiensi Concilio, in Sessione publica, coram sacro Cardinalium Collegio, & cunctis Nationibus appellationem Polonorum reprobavit, & silentium ipsi sub pena excommunicationis imposuit, & prætermisâ damnatione libelli Ioannis à Falckenberg, finem Constantiensi Concilio, quod post triam Obedientiarum unionem universale evaserat, imposuit.

65. Quodd itaque Martinus V. à tribus Obediens in legitimum Pontificem electus, nonquam approbavit Decreta *Sess. V.* de superioritate Concilij intellecta, sed ea illo sensu improbavit, ac infirmavit, colligitur ex Actis & Gestis Concilij, quorum fidem in dubium revocare non licet, & probatur ex Scriptore coetaneo Ioanne Gersone, cujus testimonium Ecclesie Gallicanae suspectum esse nequit. Ex hoc enim Authore toties à D. Maymbourg laudato, toties Sedis Apostolicæ authoritati opposito, constat, quodd Martinus V. declarans, illicitum esse à Sedis Apostolicæ iudicio appellare, improbavit Decreta *Sess. V.* de superioritate Concilij intellecta. Probat id Gersonius in Tractatu, *An, & quomodo appellare liceat?* ubi Decretum Martini *de non appellando*, hanc ob causam totis viribus impugnat. Ceterum non Concilij, sed Sedis Apostolicæ authoritas suprema est in terris, utpote ad quam etiam à Concilij appellare, teste Gelasio I. semper permissum fuit, & à quâ ne quidem ad Concilium, teste Martino V. appellare unquam licebit. Romanus igitur Pontifex tanquam supremus Ecclesie Iudex potestatem habet, supra quam in terris Christus Dominus nullam aliam constituit. Hæc Martini V. mens est, hoc iudicium, hæc sententia, Actis ipsis inserta: ita ut, si Concilium Constantiense, juxta interpretationem Basiliensium, hæcenus fuerit Ecclesie Gallicanae Palladium, juxta sensum Martini V. futurum sit supremae authoritatis Apostolicæ præsidium & propugnaculum.

J. V.

Corollarium finale totius præsentis Articuli.

66. EX dictis inferitur; Quo in sensu habenda sit secunda Cleri Gallicani propositio in initio præsentis articuli relata. Nam primò, dum Cleri Gallicani declaratio fatetur: *Apostolicæ Sedis, ac Petri Successoribus Christi Vicariis rerum spiritualium plenam inesse potestatem*, disquirere hinc licet, quomodo hæc Christi vicariæ potestatis plenitudo subsistat, nisi dicatur protendi super quocunque *Morali* ad regnum caelorum ordinabili? In ejusmodi autem *moralitatis* indefinitâ sphaerâ nunquid sunt etiam decreta *Conciliaria*, siquidem *moralia* sint, etiam post sui ex authorizatione Pontificiæ confirmationem, secundum rerum exigentias mutabilia, si verò sint dogmatica, eatenus post sui ex characterè Pontificiæ authorizationis confirmationem obtinent consummatam in fide infallibilitatis, Primam adeò Veritatem *authoritative* applicantis certitudinem, ut ipse etiam Pontifex ob ejusdem Primæ Veritatis eisdem taliter applicatæ, summam reverentiam teneatur ad eorum assensum: at tam è antecedenter ad eorum ex Pontificiæ authorizationis accessu confirmationem, noscitur in eo adhuc versari statu, ut super ejusmodi *Conciliaribus* decretis comprobandis adhuc protendatur Pontificiæ authoritas, atque

ex hac super quocunque ad regnum caelorum in terris ordinabile *Morale* protensione mensuranda est illa Vicariæ Christi in Summo Pontifice potestatis plenitudo, quam ipse etiam Clerus Gallicanus est professus, haud profectò substitutam, nisi protenderetur super omni *Conciliari* decreto. Ex vi cujus adeò protensionis non Concilij supra Papam, sed hujus supra Concilium quâ *acephalicè* spectatum, superioritas asserenda est.

67. *Secundò* Clerus Gallicanus in prædictâ declaratione sua Synodum Constantiensem vocitans Oecumenicam, rogatur ut edoceat nos, quem Synodus illa fuerit à Christo sortita characterem in statu illo, quo contrarium se exhibuisset erga supremam Papæ etiam futuram authoritatem, dum ceteroqui pro statu *IV. ac V. Sessionis*, non nisi dubium ac incertum Pontificem habuerat? Si expendatur totum Evangelium, præcipuè *18. Matthæi caput*, nullus reperiri potest apex, per quem norma Oecumenici Concilij constitui valeat, nisi ex Christi nomine Vicario, Apostolicoque adeò characterè soli Papæ extra Concilium proprio, nec intrâ Concilium quoque aggregatis Ecclesie Præsulibus promisso, nisi isti sub Christi nomine Vicario, Papatûs proprio, sint aggregati. Quo fundamento sic constituto, quâ ratione dicere licet, Constantiensia *IV. ac V. Sessionis* decreta fuisse Oecumenica, nisi *materialiter ac dispositivè*, quatenus habebant ordinem tendentiæ ad certum Papam, mediante Synodo illâ in hanc finem institutâ, obtinendum, ex quo character Oecumenicus accederet illis decretis. At in ordine ad hunc characterem oppositus fuit obex manifestus, si decreta illa ultra ordinem extirpandi schismatis, certique Papæ Ecclesie sanctæ præficiendi, extendere supra futurum indubitatum Pontificem. Sub cujusmodi adeò ad schismatis tempus coarctatione, atque ad certum Papam sufficiens ordine, Concilium Constantiense, quamdiu intrâ hos subsistebat limites, poterat quasi *materialiter ac dispositivè* dici Oecumenicum. At sub illa supra certum Papam protensione, præallegata de Conciliorum Generalium authoritate decreta, neque à Sede Apostolicâ esse comprobata, neque Romanorum Pontificum, ac totius Ecclesie usu confirmata, neque ab Ecclesia perpetuâ religione custodita, sed e contrario potius reprobatâ fuisse, constat ex fundamentis antehac deductis, in vi quorum Gallicana Ecclesia immeritò videtur improbare illos, qui eorundem decretorum, quasi dubiæ sint authoritatis, ac minus approbatæ, robur infringunt, quatenus ultra tempus schismatis erga certum etiam, ac indubitatum Papam protenduntur, sub aperta etiam contradictione adversus Regem Gallie, ejusque Oratores intrâ Florentinum sub Eugenio IV. & Lateranense sub Leone X. celebrata Concilia professos, Papam Synodo etiam Generali *acephalicè* spectatâ superiorem esse; velut in antecedentibus ostensum fuit.

FINIS ARTICULI SECUNDI.

SUMMA

SECUNDI ARTICULI

DE

PAPAE ET CONCILII

quoad

SUPERIORITATIS

PRÆROGATIVAM INTER SE COM-
PARATIONE,

UNA CUM REFUTATIONE

DISSERTATIONIS VI. A PRÆTACTO
LUDOVICO ELLIES DU PIN

EDITÆ, AD PROBANDAM CONCILIJ SUPER
PAPA SUPERIORITATEM.

ARTICULUS II.

De Superioritate Papæ supra Con-
cilium, vel econtra.

Lerus Gallicanus in præinsinua-
to Conventu Parisiensi, hanc tu-
lit declarationem: Sic autem in-
est Apostolicæ Sedis, ac Petri Succes-
soribus, Christi Vicarijs, verum spi-
ritualium plena potestas, ut simul valeant, atq; im-
mota consistant sanctæ Oecumenicæ Synodi Constans
tientiensi à Sede Apostolica comprobata, ipsique Roma-
norum Pontificum, ac totius Ecclesiæ usu confirmata,
atque ad Ecclesiæ perpetuâ religionem custodita decre-
ta de autoritate Conciliorum Generalium, quæ Sessio-
ne 4. & 5. continentur. Nec probantur à Gallica-
na Ecclesiâ, qui eorum Decretorum, quasi dubiæ sint
authoritatis, ac minùs approbate, robur infringunt,
aut ad solum schismatis tempus Concilij dicta detor-
quent.

2. Non desunt ex Auctoribus novissimè scri-
bentibus adversus hanc Cleri Gallicani de-
clarationem, qui aliquam in ea contradic-
tionem animadvertant. Quomodo enim, in-
quunt, Apostolicæ Sedis, ac Petri Successori-
bus, Christi Vicarijs, rerum spiritualium plena
inest potestas, si etiam exera tempus schisma-
tis, subijciantur Concilio Generali?

3. Verùm Auctor Inexistentiæ sacri Concilij Tri-
dentini Veritatis talem facit reflexionem. Con-
stat, inquit, ex ipsiusmet eius Gallicani Arti-
culi verbis, non esse difficultatem in his, quæ

sunt turis, dum decreta illa dicuntur non aliter
immoia subsistere, nisi quatenus approbata
sunt à Sede Apostolicâ, ipsoque Romanorum
Pontificum, ac totius Ecclesiæ usu confirmata
fuere. Quare tota difficultas versatur in hoc,
quod est Facti, an scilicet decreta illa ita se ex-
tendant ultra schismatis tempus, ut quoad istam
extensionem, obtineant robur & approbationem
Sedis Apostolicæ, utpote per cujus caracte-
rem, Christi in Concilio vicariè representa-
tivum, Synodus Oecumenica infallibili Spi-
ritûs sancti assistentiâ munita, formaliter sub-
sistit?

Hæc equidem dicti Auctoris reflexione pro-
nunc habitâ in laspenso, præsentis difficulta-
tis accuratiorem disquisitionem summaricè
faciemus per sex capita, in quorum primo
questionis hujus quasi centrum eruetur, ex naturâ
Concilij Oecumenici, & vicissim ex Oecumenici Pa-
patis essentiâ. In secundo capite ex sacris Lit-
teris, & testimonijs Conciliorum generalium,
& actis historiarum Ecclesiasticarum discuti-
tur vel Papæ supra Concilium, vel Synodi Oecume-
nicæ supra Papam superioritas, ubi etiam exami-
nabitur; Virum à Concilio ad Papam, vel econtra
à Papa ad Concilium detur appellatio. In capite
tertio expendentur decreta Concilij Constans-
tientiensi Sess. 4. & 5. edita circa Concilij Superiori-
tatem. In quarto capite elidentur Ludovici El-
lies Doctoris Parisiensis argumenta, quibus pro-
bare nititur Concilij supra Papam superioritatem.
In quinto capite diluentur dicti Elliesij exceptio-
nes, quas opponit fundamentis ostendentibus
Papæ supra Concilium autoritatem. In sexto ca-
pite discutiuntur, quæ idem Elliesius digessit
circa præinsinuata Concilij Constantiensis Decreta.

Historia
medie
æta
GVI

Caput I.

Præsentis quæstioni centrum eruitur ex naturâ Concilij Oecumenici, & vicissim ex Oecumenici Patris essentiâ.

1. **A**uctor Regalis Sacerdotij lib. 2. §. 1. n. 2. sequentestres conditiones Concilij Oecumenici adstruit. Prima est, ut Summi Pontificis mandato, vel approbatione fiat Concilium. Cap. 1. 2. ac sequentibus. dist. 17. Secunda est, ut Concilio Pontifex per se, vel Legatos suos interfit. Cap. 2. & 6. cit. dist. 17. Tertia est, ut evocatio Episcoporum sit generalis, nec nullus Episcopus, ex quacunque orbis parte adveniat, excludatur; alioquin Concilium non erit Generale, sed tantum Provinciale, vel Nationale; uti colligitur ex capitulo 9. dist. 19. Ubi tamen universi Episcopi Catholici fuerint vocati, licet pauciores compareant, definiendi tamen auctoritas manet penes præsentem, juxta Christi Domini promissam Matth. 18. ubi duo, vel tres in nomine meo sunt congregati, ibi sum in medio eorum. Quare non tam numerus Episcoporum facit Concilium Generale, quam jus omnibus factum, suis votis concurrendi ad decreta Synodi Oecumenicæ. Quas proinde Concilij Oecumenici substantiales conditiones expendere, opportunissimum erit ex illius ratione quidditivâ, ac definitione essentiali.

§. I.

Ratio quidditativa Concilij Oecumenici optime reducitur ad hoc punctum, quod sit representans universam Ecclesiam.

2. **A**d hoc intentum probandum, primò non parum deservit, quod D. Augustinus Episc. 164. ait, ordinem Episcoporum Romanorum, verè & salubriter numerari ab ipso Petro, eò quod huic totius Ecclesie figuram gerenti, Dominus dixerit, super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam. Nunquid enim per hoc clare dicitur Petrus, utpote totius Ecclesie figuram gerens, esse representativè tota Ecclesia? Nunquid illa Christi verba ad Petrum, cum ordine ad Ecclesiam, à portis inferi nunquam superanda, statum perpetuum, prolata, contingunt quoque Petri Successores, adeò ut in his, nempe quovis legitimo Romano Pontifice subsistat jam illa prærogativa, secundum quam sit totius Ecclesie figuram gerens, seu representans universalem Ecclesiam. Num verò hinc inferre licet, illum Concilij Generalis titulum, quod sit representans universam Ecclesiam, derivari ex caractere Pontificis Christi Vicariæ auctoritatis, seu formâ essentiali Concilij quâ Oecumenici?

3. **A**d hujus posterioris quæstioni resolutionem pro secundo perquam accommodata est sequens distinctio. Nempe cum Ecclesia sit unum corpus Hierarchicum, utique non acephalum, ideo in ejus Capite representatur universa Ecclesia, quoad plenitudinem Vicariæ à Christo acceptæ potestatis, cujusmodi tamen aucto-

ritas derivatur participativè in quarumlibet particularium Ecclesiarum, seu unius corporis Hierarchici membrorum, Episcopos. Unde in hujusmodi corpore Hierarchico eatenus est representatio totius Ecclesie quoad potestatem gubernativam, ut in Summo Pontifice sit tanquam in Capite, in reliquis autem Episcopis, tanquam membris illi Capiti subordinatis. Si proinde Caput cum membris in Concilio Oecumenico conveniat, tunc absolute dicere licet, ejusmodi Synodum representare universam Ecclesiam, seu corpus politicum, sive mysticum, constans ex capite & membris Hierarchicis huic subordinatis. Si verò (dum præsertim Ecclesia est Capite destituta) Episcopi ex universa Ecclesia congregentur in Concilium, tunc in hoc est Ecclesia representativè, non absolute, sed cum addito tacite saltem subintellecto, nempe quoad corpus acephalum; ipse verò Summus Pontifex ita dici potest totius Ecclesie figuram gerere, seu representare universam Ecclesiam, ut tacite subintelligatur ista representatio convenire Papa in virtute Capitis, seu Vicariæ Christi auctoritatis.

Huic distinctioni conformiter, oportet, pro tertio discernere inter Concilij Oecumenici seu Generalis materiam & formalem Generalitatem. Ad illam equidem requiritur, ut evocatio Episcoporum ad Concilium sit generalis, ita ut nullus prætereat, seu ex quacunque orbis parte ad Synodum adveniens citrà causam legitimam excludatur: tamen si, quando plerique etiam Episcopi sponte suâ abessent à Concilio universis Præsulibus indicto, adhuc subsistere posset illa materialis generalitas; juxta illud Christi Domini Matth. 18. asseverantis de Concilio Oecumenico, si vel duo, vel tres in nomine suo fuerint congregati, se fore in medio eorum. Nunquid enim Concilium Hierosolymitanum, cui auctoritate suâ Apostolicâ præerat Petrus, erat Oecumenicum, ad quod tamen haudquaquam vocati sunt universi vel Apostoli, vel etiam Episcopi, per orbem tunc dispersi? Imò verò, si Concilio huic defuisset materialis generalitas, an propterea censendum non esset inter Generalia Concilia? Nam quia denominationes fieri solent ex formâ, non ex materiâ, nunquid Oecumenica, nempe Apostolica Petri auctoritas huic Synodo tribuebat suam formalem generalitatem, ex qua meritò dicendum sit generale?

Econtra pro quarto, uti constat ex tomo 1. Concilior. circa initium, ultra illud Hierosolymitanum Concilium plures adhuc celebratas esse ab Apostolis Synodos, quarum uni alterive præcipue extra Hierosolymam celebrata, non potest demonstrativè ostendi, quod Petrus intervenisset, sed Pauli, negare fas esset, talem Synodum Apostolicam fuisse Oecumenicam? Nunquid enim Paulus Nomen Christi ita præferrebar coram Gentibus, & Regibus, & filiis Israel, ut ipsius Apostolica auctoritas esset generalis & Oecumenica? Quomodo igitur fieri potuisset, ut Concilio illi non importaret formalem generalitatem absque interveniendi Apostolicæ Petri auctoritatis? Quandoquidem igitur

igitur illa Christi Domini verba *Matth. 18.* ad Apostolos *universam etiam ecclesiam*, eorumque adeo Successores, in Concilio aggregatos, prolata: *Quidquid alligaveritis, & quidquid solveritis &c.* ita importet Apostolicam, atque adeo Oecumenicam auctoritatem, ut hæc etiamnum perduret in Synodis generalibus, quomodo generalitas illa *formalis* non æquè subsisteret in Concilijs generalibus absque interventu Petri per reliquos Apostolos celebratis? Imò ubi Concilium aliquod generale nomine Christi, seu Vicarij Christi auctoritate fuit semel aggregatum, quomodo non jam ex se ipso, dum Summus Pontifex manum suam ab illo retraheret, illam absolutam & generalem ligandi & solvendi potestatem per Christum Concilio Oecumenico re-promissam retineret? Atque in hoc se tenet centrum præsentis difficultatis: quod priusquam penetremus, sequentia præmittere, oportet.

7. Pro quinto igitur lubeat hic obiter expendere, quomodo tum Constantiense, tum Basileense, tum novissimum Tridentinum Concilium dici possit generale ac Oecumenicum, representans universam Ecclesiam? Nempe Concilium Constantiense, dum nullus etiam erat certus Papa, fuerat in statu tendentiæ ad certum aliquod Ecclesiæ Caput constituendum. Quemadmodum enim Corpus organicum etiam pro priori, formæ rationalis informationem antecedente, jam verè dici potest humanum, non quidem absolute, sed cum *tacito* saltem addito *dispositivè & materialiter*; sic Synodus constata ex totius orbis Christiani Episcopis, non adhuc equidem informata characterè Vicarij *nominis Christi*, subsistens tamen sub tendentiâ ad Vicariam Christi auctoritatem intrâ suum gremium recipiendam, ut ab ea ceu formâ sua *essentiali* perficiatur, jam dici potest *materialiter* Oecumenicum, representansque universam Ecclesiâ, cum *intrinsecâ* habitudine ad *formalem* quoque characterem Vicariæ totam Ecclesiâ *supereminenter* representantis potestatis Apostolicæ, cætenus recipiendum, ut ex tunc absolute appellanda sit Oecumenica, representans universam Ecclesiam. Atque hoc modo habuit se generalis Synodus Constantiensis.

8. Eontra Synodus Basileensis, quantumvis à Summo Pontifice convocata, erat primitus Oecumenica, ex quo tamen legitimus Papa Apostolicæ auctoritatis suæ characterem ei subtraxit, cum non tantum non esset in dispositione ad eam recipiendum, sed per schisma à semet introductum, esset in dispositione contrariâ; ne quidem *materialiter* poterat ex tunc dici Oecumenica, seu representans universam Ecclesiam, quippe cum de essentiali materiæ sit aptitudo ad formam sui perfectivam: ejusmodi verò ad Apostolicæ Christi Vicariæ auctoritatis formam recipiendam aptitudinis expertis prorsus facta sit illa Basileensis Synodus, ex quo per schisma se avulsit à legitimo Pontifice.

9. Denique extra omne dubium est, sacrum Concilium Tridentinum tam *materialiter*, quam *formaliter* fuisse generale ac Oecumenicum, sed hæc mirari quis posset, cur abstinere

voluerit illo magnifico titulo, *representans universam Ecclesiam*? Verum hujus ratio erat æquivocatio, quæ latere poterat sub tali titulo, quò Concilium Constantiense utebatur, dum nullus adhuc erat certus Papa, nec adeo pro tunc informabatur Christi Vicario characterè ceu nomine, *essentiali* Concilij Oecumenici formâ: Synodus verò Basileensis per schisma à Summo Pontifice avulsa inique usurpabat ejusmodi titulum: à quo proinde Patres sacrosancti Concilij Tridentini consultius ducebant, abstinere.

§. II.

Concilium Oecumenicum rectè definitur
Convocandum ex toto Christiano orbe convocandum, in paucissimo licet numero concurrentium, Apostolicâ, Christi Nomen præferente, auctoritate informatum.

Primo in hæc definitione sub Christi Nominè venire auctoritatem Apostolicam, evincitur etiam ex *Actorum cap. 9. v. 15.* ubi Dominus de Saulo ad se converso dixit Ananiæ: *Vade, quoniam vas est electionis, ut portet nomen meum coram Gentibus & Regibus & filijs Israel.* Hic namque verbis Christus Saulum sibi elegit in Apostolum, qui tanquam Legatus portaret nomen suum. Sub hoc igitur Christi Nominè intelligitur auctoritas Apostolica, Paulo destinata, ut, quemadmodum Legatus cujuspiam Regis portat hujus nomen, quatenus ex commissione Regiæ auctoritatis in se transfusa, peragat negotia sibi à Rege demandata; sic quia Apostoli, ipsomet Paulo attestante, pro Christo fungebantur Legatione, ideo portabant nomen Christi: sicque sub ipso Apostolicæ auctoritatis characterè præfertur Christi nomen.

Istud proinde Nomen Christi Apostolicæ auctoritatis characterem denotans, est formâ Concilij Oecumenici per Christum sancita sub illis Christi Domini verbis *Matth. 18.* exaratis: *Vbi duo, vel tres congregati fuerint in Nomine meo, ibi sum in medio eorum.* At verò character auctoritatis Apostolicæ, postquam Apostoli ex Ecclesiâ militante sunt translati in triumphantem Ecclesiam, in nullo alio de facto existit, quam in Romano Pontifice. Quia igitur *Nomen Christi*, sub cujus characterè subsistit formâ Concilij Oecumenici, importatur in auctoritate Apostolicâ, soli Petri Successori jam competente, idcirco absque hujus ceu formæ *essentialis* interventu, nequit ullum jam excogitari Concilium Oecumenicum.

Pro secundo excipiet fortassis nonnemo: Episcopos esse Successores Apostolorum. Si ergo conveniant in unò generali Concilio, istud jam ex ipsis præferre characterem Apostolicæ auctoritatis, sicque portare *Nomen Christi*, posseque adeo constituere Concilium Oecumenicum.

Verum quis Catholicorum dicere ausit, singulis Episcopis competere Jurisdictionem Oecumenicam, se extendentem ad universum Orbem Christianum, quæ extensio propria est illi.

Cloritas
 Meditatio
 Apostolica
 GM
 180

est auctoritatis Apostolicæ? Succedunt Episcopi Apostolis, quoad partem duntaxat Jurisdictionis Ecclesiasticæ, licet quoad ordinem consecrationis Episcopalis merito dicantur Apostolorum Successores, quatenus scilicet eodem cum Apostolis potiuntur caractere Ordinis Episcopalis. In quo equidem caractere importatur radicalis quædam spiritualis erga Christianos sibi per Papam designandos Jurisdictionis exigentia, non ineptè dici solita radicalis Jurisdictionis, quæ tamen minimè reduci potest in actualis Jurisdictionis statum, nisi ex Summi Pontificis concessione; veluti D. Thomas 4. contra Gentes cap. 74. ratione 41. eleganter nos edocet, Christum specialiter promississe Petro: tibi dabo claves Regni Cælorum, ut ostenderetur potestas clavium per eum ad alios derivanda, ad conservandam Ecclesiæ unitatem.

14. Pro tertio replicabit aliquis. Non solum Petrum, sed universos Apostolos contingere illa Christi verba Matth. 18. prolata; Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in Cælis, & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in Cælis. At hisce verbis contineri Oecumenicam Apostolicam auctoritatis potestatem. Et licet ipsissima illa verba, quatenus contingebant Apostolos singillatim spectatos, designarint in ipsis Apostolicam auctoritatem per modum Legationis, cum ipsorum personis connexæ, nec adeò transferibilis in Episcopos seu Successores ipsorum. Nihilominus eadem Christi verba noscuntur ex sacro contextu, prolata ad Apostolos etiam collectim sumptos, sive in nomine Christi congregatos, sicque Concilium Oecumenicum conficientes, ut sic autem auctoritas illa Oecumenica eatenus persistit sub perpetuo Ecclesiæ statu, ut consequenter competat etiam Episcopis in unam Synodum Oecumenicam aggregatis. Quod si ergo ista aggregatio semel facta sit in nomine Christi, sive Vicariâ Christi potestate, an non ex tunc Episcopi taliter congregati eatenus præferant caractere Apostolicæ auctoritatis, distinctæ ab Apostolicâ Romani Pontificis auctoritate?

15. Verùm pro quarto lubens concedo, Concilio Oecumenico competere auctoritatem Apostolicam illis Christi Domini verbis Matth. 18. designatam, & Apostolis collectim, adeoque Synodo Oecumenicæ collatam, ut sic distinctam à Summi Pontificis Apostolicâ auctoritate. Nihilominus infra sequenti §. 3. demonstrabitur, eam Concilij Oecumenici auctoritatem Apostolicam minimè subsistere, nisi quâ indivisim conjunctam cum Apostolica Petri Successoris auctoritate, nec adeò consistere posse Concilium Episcoporum, ex toto etiam orbe Christiano aggregatorum in statu Oecumenicæ Synodi, ubi id est avulsum ab unione sui cum Apostolicâ Papæ auctoritate.


16. Videtur pro quinto instari posse: Quod Episcopi etiam singillatim sumpti præferant caractere Jurisdictionis à Christo, seu Spiritu sancto immediatè acceptæ, juxta illud Pauli Actuum 20. dicentis, Episcopos esse postos à Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei. Hinc enim videtur evincit ab ipsomet Spiritu sancto, adeoque di-

vinitus convenire Episcopis potestatem gubernativam Ecclesiæ. Quidni ergo dixeris, si Episcopi ex universo Christiano Orbe conveniant, eos in tale Concilium importare nomen Christi, consistens in potestate gubernativâ Ecclesiæ?

Verùm illorum Apostoli verborum sensus salvatur, quatenus in ipsa Apostolica potestatis, quâ ordinariæ in Successores transferibilis, non nisi Petro concessæ, collatione ac institutione, liberat præceptum Divinum de Ordine Hierarchico Ecclesiæ instituendo, atque adeò de creandis Episcopis, vocandisque à Papâ in partem suâ Pastoralis sollicitudinis. Quare ex vi hujus Divinæ institutionis, in acta quasi signata spectata, cujus executio est Papæ Divinitus præcepta, verissimè dicuntur Episcopi Divinitus positi à Spiritu sancto ad regendam Ecclesiam Dei: licet in via executionis, quoad actualem scilicet potestatis in Ecclesia gubernative exercitæ faciendam collationem, eatenus dependant à Papâ, Petri Successore, ut non nisi ex isto secundum viam potestatis ordinariæ, ex cæteris autem Apostolis, secundum viam extraordinariæ duntaxat, & quasi personalis (atque adeò cum ipsorum personis extrinsecâ) à Christo sibi commissæ Legationis, possit in quenquam Episcoporum esse, vel fuisse unquam derivata aliqua actualis Jurisdictionis Ecclesiastica. Unde tantum abest, in Episcoporum, quantumvis ex toto Orbe Christiano confluentium, materialiter generali Conventu subsistere Nomen Christi, sive caractere Apostolicæ auctoritatis, quamdiu non intervenit Summi Pontificis Oecumenicæ auctoritas, seu Vicarium Christi nomen, ut proinde absque Papæ gratiosâ concessione, Episcopi ne jus quidem obtinere valeant, cum cæteris à Sede Apostolicâ jam confirmatis Præsulibus interveniendi Oecumenicæ Synodo.

Pro sexto urgebit fortassis aliquis. Cùm fateamur, in cæteris ultra Petrum, Apostolis, non quidem per viam ordinariæ potestatis, sed per viam extraordinariam personalis legationis, subsistisse Apostolicæ auctoritatis caractere, in vi cujus intrâ Ecclesiam portarent Christi Nomen; quidni Petro etiam non interveniente, potuisset à reliquis Apostolis celebrari Oecumenicum Concilium ex Christi Nomine, seu auctoritatis Apostolicæ caractere formaliter constitutum?

Verùm hoc etiam posito, cum reliquorum ultra Petrum, Apostolorum auctoritas Apostolica, utpote se habens per modum Legationis personalis, exspiravit cum ipsorum personis; firmum adhuc subsisteret, saltem pro statu præsentis, impossibile esse, quod caractere Concilij Oecumenici formaliter constitutivus absque interventu Petri Successoris, jam intercedere valeret. De quo puncto, veluti centro hujus difficultatis, agemus in proximo subsequenti paragrapho.



S. III.

Ingressuris centrum presentis difficultatis, viam nobis aperit Evangelicus Matth. 18. cap. exaratus sacer textus, sub hisce Christi Domini verbis. Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum, si autem te non audierit, adhibe adhuc tecum unum, vel duos. Quod si non audierit eos, dic Ecclesie: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Amen dico vobis, quaecunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in caelo: & quaecunque solveritis super terram, erunt soluta & in caelo. Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamconque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in caelis est. Ubi enim sunt duo, vel tres congregati in Nomine meo, ibi sum in medio eorum.

Primò igitur, ponendum est pro indubitato principio, quod præductus Matth. 18. à v. 17. usque ad versum 20. exaratus textus Evangelicus accipiendus sit de Concilio Oecumenico. Explicatur, argumenti exordium desumendo ex versu 20. in quo Christus pronuntiavit: *Vbi duo, vel tres in Nomine suo fuerint congregati, se in medio eorum fore.* Quis autem Catholicorum neget, hoc Domini verbum procedere de Concilio in Nomine Christi, id est, Vicarià ejus auctoritate aggregato? At versus iste continet causalem particulam Enim: in vi cujus combinatur cum proximè præcedente versu, quo idem Christus asseveravit: *Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamconque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in caelis est.* Ipsissimus verò hic versus Evangelicus in vi particulæ iterum refertur ad Apostolos, quibus Christus proximè præcedenti versu 18. dixerat: *Amen dico vobis: Quaecunque alligaveritis, & quaecunque solveritis super terram, erunt vel ligata, vel soluta in caelis.* Quæ proinde Apostolicæ auctoritatis prærogativa promissa Apostolis collectivè sumptis, atque adeò in Concilio aggregandis, dici potest perpetua; quippe cum ista solvendi & ligandi potestas indefinita Apostolis universim locutatis per Christum destinata, noscatur ex proximè præcedentis 17. versûs sacro contextu, habere connexionem cum Ecclesiâ, quæ ut sic dicitur tum collectionem eorum, quibus à Christo est concessa illa solvendi potestas, tum per petuitatem statûs ad sæculi usque finem duraturi. Illa proinde Apostolis universim ac collectivè, quæ unam Ecclesiam representantibus, atque adeò in Concilio Oecumenico aggregandis promissa potestas, eatenus est perpetua, ut quoties fit collectio illorum, qui de ea solvendi potestate communicant, in tali Congregatione seu Concilio, per Vicariam Christi auctoritatem convocato, Christi quæ adeò Nominis characterem præferente, ultra Petri, ejusque Successorum propriam solvendi potestatem Apostolicam, la-

cro ejusmodi Cœnti, quæ universam Ecclesiam plenè representanti, competat insuper peculiaris quæpiam solvendi & ligandi potestas Apostolica immediatè à Christo eidem impartita.

Pro secundo imaginabuntur fortassis sibi adversarij, totum intentum suum stabiliri ex hoc fundamento. Si enim Episcopis in Concilio, ex Vicaria Christi auctoritate coadunato, indeque Oecumenico, competat indefinita solvendi & ligandi potestas, distincta à Petri, ejusque Successorum solvendi auctoritate, huic omninò compar: quidni dicere hinc liceat, fore consequens, quòd, ubi Concilium fuit Nomine Christi Vicario congregatum, possit jam ex se ipso decernere, ac dehinc independentè à concursu illius, Petro, ejusque Successoribus singulariter concessæ auctoritatis Oecumenicæ? Quidni rursus foret consequens, quòd oporteat quidem, ut Concilium sit Oecumenicum, esse aggregatum in Nomine Christi, nempe Vicarià Christi auctoritate: qui character antecedenter ad Concilij convocationem in nullo alio, quàm Summo Pontifice, Petri legitimo Successore subsistens, omninò est necessarius, ut Concilium in primâ sui aggregatione sit legitimum ac Oecumenicum: attamen, ubi jam existeret Synodus tali modo coadunata, sicque characterè Oecumenico insignita, ex tunc ex se ipsa immediatè à Christo extenus obtineret auctoritatem Oecumenicam solvendi ac ligandi, ut auctoritate haud minor esset talis Synodus, quàm Pontifex Maximus, nec adeò per hunc dissolvi jam posset, dissentiente Concilio, indeque, quidquid statueret, habiturum vim & auctoritatem decreti Oecumenici?

Quidni hinc denuò sequeretur, Synodum Basileensem non potuisse dissolvi ab Eugenio IV. atque adeò huic talem dissolutionem indidenti justè restituisse, utpote quæ ex se ipsâ, ubi Vicario Christi Nomine fuit semel aggregata, jam obtinuerat illam Apostolis collectivè sumptis, seu in Synodo legitime aggregatus promissam indefinitam, adeoque Apostolicam solvendi & ligandi auctoritatem? An non igitur Synodus illa sub ejusmodi Apostolicâ auctoritate Concilij Oecumenici propriâ, jam independentè à concursu Oecumenicæ Petro, ejusque Successori singulariter concessæ auctoritatis, erat verè Oecumenica? Quidni rursus hinc sequeretur, potuisse id Concilium vi illius characteris Apostolici, ubi pro tempore cogitaret sui solutionem, in futurum tempus à se determinandum, ex eadem auctoritate Apostolicâ indicare novum Concilium Oecumenicum, quin Papæ auctoritas Oecumenica, ad talis Concilij convocationem concurrere deberet? An non enim indistinctio Synodi taliter facta, atque adeò prima etiam ejusdem coadunatio jam obtineret characterem Apostolicum, sub quo, uti ex Actis cap. 5. patet, portatur Nomen Christi? Verùm isthæc universa, utpote aliena à praxi sacre Ecclesie, prorsus rejicienda sunt, ex fundamentis mox deducendis.

Tertio igitur. Pro indubitato equidem principio

U n

capio

toritas
medie
tatica
CMI
180

cit. pag.
222.
n. 21.

capio præsupponendum est, illa Christi Domini verba: *Amen dico vobis, quæcumque ligaveritis & solveritis super terram, erunt ligata & soluta in celis; connecti cum proximè præcedentibus: Dic Ecclesie, & si Ecclesiam non audierit, erit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* At pro certo rursus principio tenendum est, quod Ecclesia absolute sumpta, importet Ecclesiam Universalem, à Christo elevatam ad statum Corporis hierarchici; constantis ex Capite, nempe Summo Pontifice, Petri Successore, & membris hierarchicis, nempe Apostolis, eorumque quoad *Ordinem & Iurisdictionem in eo radicatum* Successoribus, Episcopis, à Papâ vocatis in partem suæ Pastoralis sollicitudinis. Quomodo autem corpus humanum nequit subsistere ex capite & membris *figillatim* spectatis, sed quâ inter se unitis: sic neque istud corpus hierarchicum Ecclesie universæ representativum in suo perfecto statu consideratum, est intelligibile, nisi quatenus caput Ecclesie cum membris hierarchicis non jam *divisim*, sed *collectim* sumptis, est unitum.

24. Ex eo quidem, quod pars, quidquid est, totius est, fit consequens, ordinari ac reduci ad totum, quidquid parti convenit. Et hinc, si peccans denuntietur vel Episcopo, vel etiam Papæ, atque ab hoc fiat correctio; sequitur manifestè, tunc & denuntiationem Ecclesie & correctionem ab Ecclesia fieri: nihilominus quia in illo sacro textu *absolute ac simpliciter* fit per Christum mentio Ecclesie in Apostolis *collectim* sumptis representata, ac *indefinitè* ligandi ac solvendi potestate munita, oportet, sub hac ut sic, & *principaliter* intelligi totum Corpus Ecclesie hierarchicum, quâ unitum in Concilio Oecumenico. Eo ipso igitur, quod Sacer ille contextus, de Apostolice solvendi potestatis plenitudine pronuntians, connectatur cum versu *proximè præcedenti*, in quo *principaliter* est sermo de Ecclesia *simpliciter & absolute* sumpta, quatenus est Corpus hierarchicum ex Capite ac membris hierarchicis non jam *divisim* spectatis, sed quâ unitis, atque adeo in Concilio Oecumenico coadunatis *substantialiter* constitutum: idcirco illa *indefinitè* ligandi & solvendi auctoritas Apostolica per Christum promissa cum ordine ad perpetuum Ecclesie statum, in Apostolorum Successoribus nullatenus locum habere potest, nisi quatenus constituant unum Corpus Hierarchicum Ecclesie, *substantialiter* constans ex Capite, Petri Successore, reliquisque Hierarchicis membris, Episcopis ac Ecclesie Prælatibus non quâ *figillatim* sumptis, sed quâ cum Capite unitis in uno Concilij Corpore hierarchico, ut sic perfecte ac plene representante Universam Ecclesiam.

25. Ex deductis principiis subsumendo pro quarto, licet ulterius hunc in modum argumentari. Nempe veritatis æquè indubitatæ principium est; quod Christus promisit Apostolis, *collectim* sumptis, eorumque Successoribus, quâ Ecclesiam universalem in uno Corpore Hierarchico representantibus, sicque adeo in Concilio Oecumenico inter se, & cum Capite unitis, id nullatenus habere locum ex-

Ex cit.
pag.
23.
diab.
n. 22.

tra statum talis unionis, seu in Concilio Oecumenico coadunationis. Quomodo autem singula quidem humani corporis membra sunt organa diversa ad varias functiones per naturam ordinata, nullam tamen exercere valent operationem vitalem, nisi quâ unita manent in uno corpore humano. Cùm igitur præta auctoritas Apostolica, quâ ad perpetuum statum Ecclesie relata, ex Christi Domini ordinatione non aliter competat reliquis ultra Petrum Apostolis, eorumque adeo Successoribus, nisi quatenus constituant unam Ecclesiam hierarchicam, *absolute & simpliciter* in statu perfecto consideratam; hæc verò Ecclesie hierarchicæ substantia requirit unitatem membrorum hierarchicorum *collectim* sumptorum, inter se & cum Capite Ecclesie, Papâ, non nisi in Concilio Oecumenico coadunatorum, consequens est, illam Apostolicam, (de quocumque ligando & solvendo) potestatis, pro perpetuo Ecclesie statu promissa plenitudinis pollicitationem Divinam haudquaquam habere posse locum, antequam fiat talis in Concilio Oecumenico membrorum hierarchicorum tum inter se, tum cum Capite coadunatio. Idcirco tali unione solutâ, ubi Caput, scilicet Romanus Pontifex, à Concilio (quantumvis primitivè fuisset legitime congregatum) *Christi Vicarium Nomen*, seu auctoritatem capitalem suam retrahit, non potest tunc verificari, Ecclesiam hierarchicam in statu perfecto representari à Synodo, nec adeo in eâ ex tunc obtinet illa Apostolica potestatis, Apostolis, quâ unam Ecclesiam hierarchicam constituentibus, promissa plenitudo.

Unde quia Apostolicum, *Christi Nomen* præferens, character definit subsistere in Concilio quantumvis *materialiter* generali, postquam auctoritas Papæ à Synodo legitime antehæc congregatâ se subtrahit: idcirco Concilium ex tunc factum acephalum, sicuti nequit universam Ecclesiam integrè representare, sic ex tunc reddita est impotens, pro futuro indicere novum Concilium Oecumenicum: quippe cùm in tali Synodo jam acephalâ, defecerit *Nomen Christi*, seu character Apostolicus; sit autem *secundùm Christi institutionem*, de substantia Concilij Oecumenici, esse congregatum in *Nomine Christi*, importante characterem Apostolicum.

Theologica ratiocinatio proximè deducta pro quinto firmatur sequenti fundamento. Indubitatæ namque, ac ipso nature lumine conspicuæ veritatis est, quod duobus non nisi *collectim & unitim* sumptis convenit, non competere ipsis *seorsim* ac *divisim* spectatis: sic enim quia vox *homo* importat complexum, seu compositum ex corpore & animâ *unitim* sumptis, nequeunt prædicata hominis, quâ ejusmodi compositi propria, convenire animæ separatæ. At vox *Ecclesia*, præsertim quatenus accipitur in perfecto Corporis hierarchici statu, est nomen *collectivum*, significans complexum seu compositum ex Capite & membris hierarchicis. Ut sic autem Christus Apostolis, quâ unum Corpus hierarchicum constituentibus,

sive

siue quâ Ecclesiam representantibus, promissit illam solvendi potestatis plenitudinem Apostolicam *Matth. 18. v. 18.* sancitam cum ordine ad Ecclesiam perpetuitatem, in Successores ad eam transferibilem. Nequit ergo illa Christi Apostolis, quâ unum perfectum hierarchicum Ecclesie statum conficiantibus, sicque intrâ Concilium Oecumenicum membrorum hierarchicorum cum Ecclesie Capite coadunatum, Universalem Ecclesiam plenè representantibus promissa, Apostolicâ potestatis plenitudo locum habere, nisi in quantum subsistit talis Apostolorum seu Successorum collectio, & intrâ Synodum Oecumenicam ex Apostolico caractere unice subsistentem, unio plena & perfecta. Quod si proinde vel solius Capituli character Christi Vicarius subtrahatur, prorsus jam desicit substratum illud, nempe ex Ecclesie Capite & membris hierarchicis compositum, cui ex Christi ordinatione superstruitur ille alter Apostolorum collectivum sumptorum character Apostolicus, importans Concilij Oecumenici plenitudinem potestatis.

Hinc pro sexto. Si Apostolicâ potestatis Petro, ejusque Successoribus per Christum concessa plenitudo conferatur cum plenitudine auctoritatis, Concilio Oecumenico competentis; non ineptè dicitur, se habere ad invicem, sicuti se habet anima separata ad totum hominem. Ubi namque anima est in statu separationis, habet plenam potentiam intellectivam & volitivam, quibus equidem potitur etiam in statu unionis seu contractionis, attamen cum aliqua à corpore dependentiâ: potestque anima in tali statu exercere operationes sensitivas & vegetativas, cujusmodi actiones vitales in statu separationis nequaquam elicere valent. Sic proinde quæ universis Apostolis, quâ unum Ecclesie Universalis Corpus hierarchicum, in Concilio Oecumenico representantibus, per Christum promissa fuit indefinita solvendi ac ligandi potestas, sub pari incircumscriptâ universalitate *Matth. 18.* promissa fuit Petro unâ cum Clavibus regni caelorum: neque hæc divina Christi promissio ullam importat dependentiam à Concilio Oecumenico, sed absolute ac illimitate facta est Apostolorum Principi, cum ordine ad perpetuum Ecclesie statum, atque adeo cum ordine successione. Quemadmodum igitur anima in statu separationis independentè à corporeis potentijs, habet plenam ac perfectam intelligendi facultatem, sic potestas ligandi & solvendi Apostolica in Petro, ejusque Successore, non est alligata ad Concilium Oecumenicum, quin independentè ab isto possit plenissimè exerceri.

29. Nihilominus septimò ex vi ordinationis per Christum *Matth. 18.* sancitæ, Pontificia suprema auctoritas Oecumenica, nacta est aliquam quasi contractionis & unionis statum, sub qua cum reliquis Ecclesie membris hierarchicis, seu eorundem Caput coadunatur in unum integrum, Ecclesie Universalis plenè representativum, Corpus hierarchicum. In quo mystico corpore locum habet illa Divina, citatò

Matth. 18. cap. 2. vers. 17. usque ad 20. versum. Christi promissio de tali Apostolica ad solvendum & ligandum auctoritatis indefinita plenitudine, quatenus hæc in suo exercitio debeat esse dependens à toto Ecclesie Corpore hierarchico. Necessarium proinde est, ut Corpus Ecclesie hierarchicum, ex Episcopis & Prælati Ecclesiasticis consistens cum Capite, & Caput cum membris hierarchicis in Concilio Oecumenico aggregatum, utrinque consentiat, quò sanctio dici possit *Conciliaris seu Synodalis.* Cujusmodi adeo definitionis Oecumenicæ quâ Conciliaris auctoritas minimè subsistit, nisi ex Duorum, nempe & Capituli, & reliqui hierarchici Corporis consensu, Christo Domino *ibidem versu 19.* pronuntiante: *Si duo ex vobis* (nempe Corpus Apostolicum Ecclesie hierarchicæ sub generalitate quasi materiali representativum, & Caput talis representationis, quasi formaliter perfectivum) consenserint super terram de omnire, quancunque petierint, fiet illis à Patre meo.

Hi enim Duo non sigillatim spectati, sed (uti ex sacro contextu patet) quâ unum Ecclesie Universalis representativum, ac perfectum hierarchicum Ecclesie statum constituentem, non possunt aliquid aliud esse, quàm Caput Ecclesie, unâ cum reliquo Apostolico seu hierarchico Corpore. Sub quorum adeo Duorum intrâ Concilium Oecumenicum consensu, subsistit omnimoda per Christum promissa infallibilitas, ita ut, quancunque rem, atque adeo dogmaticam fidei veritatem ex Verbo Dei eruendam, a Patre Aeterno sibi petierint, ex Christi Domini assententiâ per ipsam promissâ ipsis infallibiliter fiat. Quemadmodum igitur anima in statu unionis, & cum corpore contractionis habet quasdam vitales functiones, quas in statu separationis haudquamquam exercere potest: sic lubeat jam sciscitari, an potestati Pontificiæ, quâ intrâ Concilium suâ Vicariâ Christi auctoritate informatum, cum reliquo Ecclesie Corpore hierarchico conjuncta superveniat specialis aliqua prærogativa omnimodæ & consummatæ infallibilitatis in fidei dogmatibus decidendis?

30. Quæritur igitur talis consummata circa dogmaticas definitiones infallibilitas, ex indubitato fidei principio, competit Synodo Oecumenicæ, ubi ex Apostolico Corpore Duo, nempe Caput cum reliquis Ecclesie hierarchici Corporis membris, ut sic Apostolorum Successoribus, sub Vicario Christi Nomine coadunatis, atque adeo Duo illi collectivè sumpti contulerint. Attamen quæstio haud facilis occurrit in presenti, an Petrus, ejusque Successor etiam in statu quasi separationis, extra Concilium scilicet Oecumenicum, in suâ, Successorisque sui individua personâ possit auctoritate Divinitus constitutâ omnimodæ & consummatæ in fidei dogmatibus decidendis infallibilitatis?

Pro parte equidem affirmativâ videntiur mihi clarè & manifestè stare Christi verba, quæ definitè ac determinatè ad solum Petrum, ejusque Successorem *Matth. 16.* proferebat: *Tu es Petrus, & super hanc Petram edificabo Ecclesiam*

edificam meam, & portæ Inferi non prævalent adversus eam. Quis enim adversus tam dilucida Christi verba, negare audeat, ijs contineri omnimodam in fidei dogmatibus definiendis infallibilitatem, cum cæteroque si Petro, ejusque Successori aliquod fidei dogma definiendi, subrepere posset error, quomodo portæ Inferi non prævalerent adversus talem Petram, atque adeo Ecclesiam super hæc Petram ædificatam? Quo tamen minimè attento, Schola Parisiensis, & modernus Clerus Gallicanus, negant, Petri Successori extra Concilium Oecumenicum competere omnimodam seu consummatam in rebus fidei infallibilitatem. Quem equidem articulum ex instituto expendendi locus erit, sub discussione *tertij* à Clero Gallicano asserti articuli.

32. Interea non asserendo, sed ad majorem rei elucidationem inde comparandam, placeat hic animadvertere, quod Christus in præadductis verbis suis Ecclesie à portis Inferi nullatenus superandæ firmitatem eatenus statuerit super Petram, quatenus super ipsam esset ædificata Ecclesia. Nam verò Ecclesie super hanc Petram, tui commissæ sunt claves Regni Cælorum, ædificatio locum habet etiam extra Concilium Oecumenicum? In hoc equidem Corpus Ecclesie hierarchicum, cum Capite, Petræ prærogativam obtinente, coadunatum assurgit in structuram universæ Ecclesie perfectæ ac plene repræsentativum. An igitur illa Ecclesie supra Petram ædificatio, dicenda est *plene ac perfectè* haud consummari nisi in Concilio Oecumenico, per Petri characterem Apostolicum congregato & informato, nec substituto, nisi quamdiu cum isto Vicario Christi characterem perdat?

33. Quandoquidem pro *nono* infallibilitas Concilij Oecumenici in rebus fidei decidendis omnimoda & consummata, ab universis Orthodoxis sit recepta tanquam definitus fidei articulus: neque verò per ullam Oecumenicam Synodum, vel etiam per ipsummet Papam sit definitè sancitum, quod Papa extra Concilium Oecumenicum potius auctoritate omnimoda & consummata infallibilitatis. Idcirco haud equidem dubito, attentis Christi Domini Verbis, secundum se, & quoad ipsam rei veritatem, Petri Successoribus competere omnimodam in rebus fidei infallibilitatem, quoties definiunt ex Cathedrâ Apostolicâ, hæc enim est ipsissima illa Petra, super quam est ædificata Ecclesia, cui portæ Inferi non poterunt prævalere. Et quia Christus Petro singulariter dixit, esse Petram, super quam foret ædificanda Ecclesia, quo jam fundamento dicere quis audeat, hanc in Petri Successore Petram, seu Cathedrâ Apostolicâ haud subsistere, nisi intrâ Concilium Oecumenicum, nec adeo Summum Pontificem loqui ac definire posse ex Petra, seu Cathedrâ Apostolicâ, nisi in statu quasi concretionis seu unionis cum reliquo intrâ Synodum Oecumenicam hierarchico Ecclesie Corpore? Hæc equidem ex meo sensu profero, & pro indubitatâ teneo. Nihilominus quia non constat, hæctenus vel à Papa, vel ab Ecclesia esse definitum. An Ecclesia, quæ supra

Petram ædificata consummata infallibilitas, auctoritati Pontificiæ indubitanter annexa, sit extra Concilium Oecumenicum in statu ultimæ sue perfectionis? Ideo in hoc puncto me totum quantum subijcio sanctæ Ecclesie, ipsius etiam Papæ iudicio, ne in Tridentino quidem Concilio hæctenus manum imponere volentis ad decidendum hoc difficultatis punctum.

Interea pro decimo & ultimo certum est, quemque fidelium se exponere manifesto fidei periculo, si cum pertinaciâ discordet à dogmatibus per Papam etiam extra Concilium Oecumenicum, pro universâ Ecclesia, adeoque ex Cathedrâ Apostolicâ definitis, Nihilominus quoad punctum omnimoda & consummata in fidei rebus infallibilitatis, dicere, oportet, secundum nos (quamdiu Ecclesie punctum illud non definit) esse Concilio Oecumenico majorem prærogativam infallibilitatis omnimoda consummata, quam sit in solo Pontifice. Sed in quo, disquires, consistit ista consummata infallibilitatis majoritas Oecumenice appropriata Concilio?

Ad hoc punctum respondeo, illam majoritatem consistere in prudentiali credibilitate evidentiâ, quoad specificationis saltem necessitatem, magis constringente ad fidei assensum, ex Concilij Oecumenici definitione, quam ex solius Papæ decisione imperandum. Unde definitio Conciliaris tam extensivè, quam intensivè est majoris saltem quoad nos auctoritatis. Meo equidem iudicio, secundum ipsam rei veritatem, ex Papæ etiam extra Concilium ex Cathedrâ definiendis aliquod fidei dogma, decisione subsistit absoluta specificationis necessitatis ad non dissentiendum: sunt tamen ex Doctoribus etiam Orthodoxis, qui asserunt, esse quidem in fide periculosum, positivè contradicere Papæ, ex auctoritate sua Apostolica decidendis dogmaticæ definitioni: attamen illi Theologi negant, ex hæc esse absolutam specificationis fidei necessitatem, ita ut reus temerariæ Primæ Vernatis, eum motivi fidei specificativi, pronuntiandus sit, qui talem ex absolutâ specificationis fidei necessitate constringentem auctoritatem negat, subsistere ex solitaria Papæ extra Concilium Oecumenicum definitione. Et sic majoritas Concilij Oecumenici est extensivè potior, utpote à pluribus Orthodoxis asserta Doctoribus, quam solitaria Papæ extra Concilium definiendis absolutæ quoad fidei specificationem necessitatis auctoritas. Et hinc ea Concilij Oecumenici auctoritas est etiam intensivè potior, quia de fide definitum est, quod Synodi Oecumenicæ in decidendis fidei dogmatibus sit omnimoda & consummata infallibilitas: neque verò adhuc de fide est, dogma à Papa extra Concilium definitum esse omnimoda consummata infallibilitatis, & absolutæ quoad fidei specificationem necessitatis, licet manifestum subsit fidei periculum in positivè resistendo dogmati sic definito. Quibus ita se habentibus, restat hæc discutiendum; An in vi illius tum intensivæ, tum extensivæ majoritatis, Concilio Oecumenico, ejusque dogmaticæ definitioni competentis dici possit, quod Synodus Oecumenica habeat, alicuius supra Papam Superioritatis prærogativam?

S. IV.

Quantumcunque aliqua specialis prerogativa esset in Concilio Oecumenico, non nisi per characterem Christi Vicarium, atque adeo per Pontificiam auctoritatem subsistere potente, non esset propterea Synodus etiam qua Oecumenica, dicenda habere praecminentiam alicujus proprie dictae supra Papam Superioritatis.

Pro primo equidem videri posset hujus assertionis explicatio & probatio peraccommodè desumi ex sequenti similitudine. Nempe animae quae formae, & corporis quae materiae ea est habenda ratio, ut quidquid perfectionis est huic communicabile, totum sit ex forma seu anima. Unde fit, quod anima & corpus simul sumpta non dicant plus perfectionis intensivae, quam anima praecise spectata. Quia tamen materia & forma sunt duae realiter distinctae entitates, ideo extensivè loquendo, majus quid est homo, constans materia & forma rationali, quam praecisa anima. Pari proinde ratione Concilium quae Oecumenicum, importans integrum Ecclesiae plenè representativum Corpus hierarchicum, formaliter dicit characterem Pontificiae potestatis, seu Vicarium Christi Nomen praefertentis, ac se habentis instar formae, Concilij quae Oecumenici quasi physice constitutivae, atque ut sic informativae reliqui hierarchici, ex Ecclesiae Praelatis aggregati Corporis, seu materiae quasi physicae, ad Concilij Oecumenici substantiam integrandam essentialiter ac integraliter concurrentis.

Quod si ergo fiat Capitis, ac reliqui Corporis hierarchici ad Ecclesiam universalem representandam inter se unitorum quaedam comparatio, quoad hunc ordinem hierarchicum, si Sacerdotij & Episcopatus character sacramentalis excipiatur, nihil perfectionis reperiri potest in toto reliquo corpore ejusmodi hierarchico, quod non deriveur ex Pontificiae potestatis plenitudine. Cujus adeo supereminetia tanta est, ut eminenter contineat Corporis illius hierarchici quoad Jurisdictionis praerogativas omnimodam & totam perfectionem, nec adeo Corpus hoc hierarchicum, quae cum Capite suo in Concilio Oecumenico unitum videri posset, quoad auctoritatem jurisdictionalem, esse quid majus intensivè, ac sit praecisa Pontificiae potestatis supereminetia, licet ambo simul sumpta sint quid extensivè majus.

Nihilominus pro secundo, quemadmodum anima cum corpore unita, est susceptiva gratiae sanctificantis, seu altioris ac supernaturalis formae, animam, ac per redundantiam corpus etiam perficere potens: ex qua perfectione omnino resultat quid intensivè majus, quam sit anima in puris suis naturalibus considerata. Sic ubi totum Ecclesiae Corpus hierarchicum, tam quoad membra, quam quoad Caput, in Concilio Oecumenico unitum, & sub Vicario Christi Nominè, auctoritate nempe Pontificiae, rite ac legitime coadunatum fuerit, tunc ex

Christi Domini 18. Matth. cap. 18. & 19. expressa promissione, Synodus ejusmodi, duas adhuc maxime perfectivas sortitur praerogativas. Una dicto vers. 18. exposita, Concilij Oecumenici praecminentia est, ex indefinita ligandi & solvendi potestate, quae tamen non potest esse major Summi Pastoris, utpote aequè universali ad ligandum & solvendum auctoritate, Petro, ejusque Successori solitariè ac individualiter spectato per Christum concessa. Altera praeterea vers. 19. & 20. asserta Concilij Oecumenici praerogativa subsistit ex infallibili Christi assistentià promittentis, se in medio eorum fore, ubi duo, vel tres in Nomine suo, Vicarià, nempe auctoritate in terris penes Petrum, ejusque Successorem relictà, congregarentur. In quo adeo per ejusmodi Christi Vicarium characterem insignito Concilio, siquè reddito formaliter Oecumenico, dum Duo, Caput scilicet & Corpus hierarchicum Ecclesiae consenserint, horum de fidei dogmatibus definiendis petitio ab ipsomet etiam Patre Aeterno inevitabiliter habebitur rata: juxta illud Christi Domini verbum, Si duo consenserint super quacunque re, quam petierint à Patre meo, fiet illis.

Sed pro tertio aliquis forte desiderabit sibi demonstrari; quod sub illis Duobus, de quibus ibi est Christi sermo, intelligatur tum Caput, tum reliquum hierarchicum Ecclesiae Corpus, in Concilio Oecumenico aggregatum. Cujus proinde quaesiti accipe sequentem resolutionem ac demonstrationem Theologicam. Etenim particulam causalem in praecitato vers. 20. importat connexionem cum proximè praecedente vers. 19. atque hoc mediante, cum versu 18. & 19. dicti cap. 18. Matthaei. At is versus vigesimus meminit tum Nominis Christi Vicariè in Summo Pontifice residentis: tum duorum vel trium in hoc Christi Nomine congregandorum. Hic autem binarius seu ternarius numerus indefinitè politus ex vi connexionis, cum praefato versu decimo octavo designatè complectitur, quotquot participant de ligandi, & solvendi auctoritate, importandà in Synodum, Nomine Christi Vicario congregandam. Quandoquidem proinde isti de ligandi & solvendi potestate participantés Episcopi, seu Praelati Ecclesiastici, Nomine Christi Vicario aggregati conficiant Concilium Oecumenicum: ideo ex vi praetacti versus vigesimi prorsus evincitur, in Synodo Oecumenica reperiri Duo, quorum unum est aggregatio Praelatorum Ecclesiasticorum de ligandi & solvendi potestate participantium: alterum verò est Christi Nomen Vicarium, seu Summus Pontifex hoc Christi Nomen portans in Concilium Oecumenicum. Hisce igitur Duobus in unam Synodum coadunatis, aperte ac disertè promittit ibi Christus, se in medio eorum fore. Atqui dum Christus hisce Duobus in unum collatis suae gratiae assistentià ita praesens est, ut sit in medio eorum, non potest Pater Aeternus ipsis consentientibus, intuitu Christi non impertire quamcunque petierint rem, nempe dogmaticae veritatis, seu moralis Ecclesiasticae disciplinae in Concilio Oecumenico

U u 3 unice

Clonitas
medit
GVI
18.

unicè postulandæ manifestationem. Nequit ergo sub illis dicto *versu 19.* expressis *Duobus* in unum consentientibus, sicque sub hoc consensu suo veritatem dogmaticam, quam inquirunt & postulant, intuitu Christi à Patre Eterno recipientibus, aliud intelligi, quàm Caput Ecclesiæ, *Vicarium Christi Nomen* Synodo Oecumenicæ importans, nec non Corpus Ecclesiæ hierarchicum, consistens ex Prælatiis Ecclesiasticis de ligandi & solvendi auctoritate Ecclesiasticâ participantibus.

40. Neque verò hæc ratiocinatio nostra nititur proprii cerebri sensu, sed fundatur in communi praxi, & recepto sanctæ Ecclesiæ consensu, juxta quem dogmaticæ veritatis omnimodâ & consummata infallibilitas creditur eatenus subsistere ex Concilij Oecumenici definitione, quatenus illi *Duo*, nempe tum Petri successor, *Vicarium Christi nomen* portans Ecclesiæ Caput, tum reliquum ex hierarchicis Ecclesiæ membris Episcopis ac Prælatiis consistens Corpus, in Concilio Oecumenico coadunata in unum consenserint.

41. *Quartò.* Hæc igitur infallibilitatis omnimodâ consummata, circa fidei dogmatum decisionem prærogativa Concilio Oecumenico per Christum promissa; *An sit æquè in Summo Pontifice extra Concilium decernente*, non extat in Ecclesia definitum: sicque secundum nos saltem definitio Pontificia minus ponderis habet quoad certitudinis seu Divinæ, seu Theologicæ omnimodam determinationem. Unde disquirere licet; *Utrum Ecclesiæ in rebus fidei decidendis infallibilitas ultimâ & consummativè, tunc primam habeat locum, quando super Oecumenici Pastoris Petri extat actualiter superstructa Ecclesiæ hierarchica, non nisi in Oecumenico Concilio plenè ac perfectè representata? Quæ profectò ratio videtur fuisse, cur ne ipse quidem Petrus se solo decidere voluerit quæstionem dogmaticam de Veteris Testamenti Legalium à Christianis ex Judaismo præsertim, vel etiam Gentilismo conversis, retinendâ observantiâ, sed ad Concilium Apostolicum, adeoque Oecumenicum Hierosolymitanum, cui ple præsidebat, retulerit eam definitionem.* Et ita observat continua Ecclesiæ sanctæ praxis, quod ultimâ adversus hæreses, decisiones dogmaticæ ab ipsis etiam Summis Pontificibus omni tempore referrentur ad Concilia Oecumenica: manifesto sanè argumento, Ecclesiæ auctoritativam in fidei dogmatibus decidendis infallibilitatem *per modum ultimæ sententiæ* sub omnimodâ & consummatâ, certitudinis, necessitatem fidei specificativam prorsus inferentis perfectione suâ, secundum nos saltem majoricum pondere subsistere ex parte Concilij Oecumenici, quàm ex parte solius Pontificis, extra Concilium sancientis.

42. Quod pro quinto firmatur etiam ex eo, quod Christus Dominus, ubi rogasset pro Petro, ut non deficeret fides ipsius, eidem quidem præceperit, quatenus aliquando conversus Fratres suos Apostolos, eorumque adeo in Concilio Successores Episcopos confirmaret. Nam confirmatio non cadit super re quapiam, nisi quatenus ex alio etiam capite habet aliquod

firmitatis pondus. Unde dum Christus Petro quidem orationis suæ efficaciam obtinuit prærogativam confirmandi Fratres suos, Episcopos & Prælatos in Concilio Oecumenico coadunatos: oportet tamen, omnimodam & plenam fidei firmitatem hujusmodi non jam ex solo Petri successore, sed simul ex Episcoporum Corpore hierarchico provenire. Et hinc videtur Christus eo loquendi modo, alluisse ad hoc, quod Apostolorum ac Successorum in Concilio Oecumenico cum Capite suo, Summo Pontifice aggregatorum, in rebus fidei decernendis omnimoda firmitas, neque ex solo Petri successore, neque ex præcio relicto Apostolico Collegio, seu Hierarchico Ecclesiæ sanctæ Corpore subsisteret, sed unum ex utroque, ita ut oporteret, huic utriusque unum Corpus Ecclesiæ perfectè representativam coadunato, superstrui specialis infallibilitatis pondus ac firmitatem, per quam Petri fratres universi omnimodè confirmarentur. Talis igitur prærogativæ ratio videtur magis supereminere in Concilio Oecumenico, quàm Summi Pontificis auctoritatem Oecumenicam cum reliquo Hierarchico Ecclesiæ Corpore coadunatam complectente, quàm in solo Papa extra Concilium spectato.

Sed numquid pro sexto hinc inferre licet, Concilium Oecumenicum obtinere jus cuiuspiam supra Papam superioritatis? Neutiquam. Quantumvis enim gratia sanctificans erga animæ substantiam comparata, habeat singularis ac majoris præminentiam, respectu animæ prærogativam, nequit tamen ex hoc fundamento ipsi attribui quædam super animam superioritatis strictè sumptæ, nempe quasi imperativa præminentia, eo ipso, quod sit subordinata ipsius animæ libertati, atque ex hac tam in primâ sui infusione, quam conservatione, sit quodammodò dependens. At illa Concilio repromissa consummata infallibilitatis prærogativa eatenus superstruitur auctoritati Pontificiæ, seu characteri Christi nomen præferenti, atque ut sic Synodi quæ Oecumenicæ formaliter constitutivæ, ut consequenter sit dependens à Summi Pontificis, Hierarchicum Ecclesiæ Corpus convocantis &c., unâ secum coadunantis concursu libero. Nequit ergo infallibilitatis omnimodè & ultimâ consummata, Concilio Oecumenico propriæ prærogativa huic impertire alicujus super Papam superioritatis characterem.

Verùm pro septimo videri posset, Concilij super Papâ superioritatem evinci ex hoc, quod Abbas Panormitanus 2. part. Concil. g. 1. docet: nempe si, in fidei præsertim materiâ, solus Papa sentiret contra universos Concilij Patres, tunc debere Pontificem illorum accedere votis. Sed quia Concilij Oecumenici substantia minimè subsistit, nisi ex Vicario Christi characterem, quis dicere auit, Patrum vota tantæ posse auctoritatis esse, ut obstringente valeant Summum Pontificem, ad confirmandum dogma, quod ipsi censent sancientem, cum omnes etiam Patres Concilij in unum consentientes, neque obtinere queant infallibilitatis privilegium, neque Jurisdictione

zione Oecumenicâ potiantur, quousque Pa-
pæ consensus eorum votis accesserit. Sola
igitur Christi gratia ac Spiritus S. instinctus
efficaciter movere potest Summum Pontifi-
cem, ut accedat votis Patrum, Corpus Ecclesiæ
Hierarchicum conscientium: ut sic illi Duo sci-
licet Caput ac reliquum Ecclesiæ Hierarchi-
cum Corpus in unum consentientes, obtine-
ant omnimodæ & consummatæ infallibilitatis in
dogmate fidei sciendi, præminentiam.

45. Quare Concilium Oecumenicum optimè
æquiparatur Carrui prophætico ac mysterioso
Ezechielis 1. capit. descripto, quod consistat qua-
tuor rotis Cherubicis; nisi quod in isto carru ex-
titerint quatuor rotæ in Concilio autem Oe-
cumenico sint duæ duntaxat, Divinæ veritatis
faciem præferentes, rotæ Cherubicæ. Est
igitur Oecumenica Synodus currus Cheru-
bicus, in quo veritas triumphat adversus por-
tas inferi, cujus rotæ quasi Cherubinæ, sunt
Primatus Petri, characterem Concilio quâ Oe-
cumenico primitus impertiens, ac reliquum
Ecclesiæ Corpus Hierarchicum ex Prælati
Ecclesiasticis coadunatum. Sicuti ergo totum
Corpus illius Prophæticis curris in circulo qua-
tuor rotarum erat plenum oculis. Sic totum
Corpus Concilij Oecumenici, consistens in
perfecto ac integro Corpore Hierarchico,
Universam Ecclesiam plenè repræsentante,
est plenum oculis, id est, Spiritu Dei cum
infallibilitatis prærogativâ omnimodâ col-
lustratum, sed quatenus in ipsius circulo sunt
duæ rotæ Cherubinæ, nempe Primatus Ec-
clesiæ, seu Romani Pontificis auctoritas
Apostolica, ac reliquum Corpus Apostolicum
ex membris Ecclesiæ Hierarchicis consistens.
Unde si vel una istarum duarum rotarum
Cherubinarum non concurrat consentiendo,
necdum impletur conditio *Matth. 18. v. 19. &*
20. descripta, in vi cuius Christus sit in medio
*talis curris Cherubici, seu Concilij Oe-
cumenici, impertiens eidem omnimodam &*
consummatam in rebus fidei infallibilitatem.

46. *Obiæd.* Quemadmodum proinde in illo
Prophætico curru quocumque ibat Spiritus,
pariter elevabantur rotæ sequentes Dei Spi-
ritum: sic in Concilio Oecumenico Spiritus Dei
non progreditur ad ullum fidei dogma de-
finiendum, nisi rotæ illæ Cherubinæ, Caput
scilicet ac reliquum Ecclesiæ Corpus Hie-
rarchicum, pariter eleventur, sequentes
Dei Spiritum: quia Spiritus vitæ est in illis
Cherubicis, seu Hierarchicis rotis pariter pro-
gredientibus, Christo Domino *Matthæi 18.*
asserente: *Si duo* (nempe Caput ac reliquum
Hierarchicum Ecclesiæ Corpus in Concilio
Oecumenico sub Christi Vicario nomine con-
dunata) *consenserint*: tunc quocumque petie-
rint à Patre Luminum, pro Veritate fidei ex
Verbo Divino eruendâ, infallibiliter ipsis he-
ri. Quod si ergo contingeret, ut omnes Con-
cilij Oecumenici Patres consentirent in de-
finitionem cuiuspiam fidei dogmatis, sed Pa-
pæ adhuc suum consensum suspenderet, nec-
dum esset sanctio dogmatica cum infallibili-
tatis prærogativâ, sed esset materia adhuc in-

formis, quæ non nisi ex superveniente chara-
ctere Christi vicario, adeoque ex consentia
Summi Pontificis, formari valeret in infalli-
bile ac certum definitum fidei dogma.

Hoc probè agnoscentes Concilij Con-
stantiensis Patres, sub huius finem à Martino V.
petierunt confirmationem fidei dogmatum,
unanimum consensu suo jam comprobatorum,
adjectâ clausulâ, ut, si Pontifex pro tunc con-
firmare noller, ad futurum provocarent Con-
cilium utique Oecumenicû, Pontificiæ aucto-
ritatis characterem, seu Vicario Christi nomine in-
signitum, ut ex hoc postmodum per Capituli
ac reliqui Ecclesiæ Corporis Hierarchici con-
sensum, perficerentur lux adhuc informes fi-
dei dogmatum definitiones.

48. Pro nono fortassis instabit adversarius,
ubi dogmatica quæpiam fidei definitio per
Capituli ac reliqui Ecclesiæ Corporis Hie-
rarchici concordem consensum noscitur esse con-
firmata, ex tunc ei subijci ipsum quoque
Summum Pontificem. An non igitur inferre
hinc licet, Papam in rebus fidei esse subiectum
Concilio Oecumenico? Verùm quia vis sub fidei
motivo constringens in dogmatibus à Con-
cilio Oecumenico definitis reducitur in au-
toritatem infallibilem Divinitus impertitam
Generali Synodo eæ ultimato fidei directivo
principio, evidenter patet, quod dogmaticæ
ejusmodi sanctionis energia obstringat qui-
dem ipsum etiam Summum Pontificem, ut tam-
en hæc obligatio non in Concilij, quæ ex
præciso Ecclesiæ hierarchico Corpore consti-
stentis, Congregationem quasi materiale, sed quæ
Spiritu Dei, ejusque infallibilitate ani-
matam, sicque aded in principium à Deo im-
mediatè constitutum reduci debeat.

49. Decimò replicabit fortassis adversarius. Cùm
gravior fidei causa urget, ipsum Pontificem Ma-
ximûm teneri ad convocandum Universale
Concilium, uti passim supponunt Patres.
Numquid ergo hinc jam elucescit aliqua Con-
cilij supra Papam superioritas, in vi cuius iudicium
Papæ super causâ ad se primitus delatâ, sed ulte-
rius ad Concilium reliquum relatâ, videatur esse
quodammodo reformabile? Verùm ex hoc evin-
citur quidem Concilij Oecumenici, quæ
ipsum Papam complectentis, ejusque caracte-
re & auctoritate, seu vicario Christi nomine in-
signiti majoritas aliqua, saltem quoad nos, sive
quoad omnimodam & consummatam nobis perspe-
ctam infallibilitatem, præminens Summo Pon-
tifici solitarie extra Concilium spectato. Hanc
tamen majoritatem nullatenus præferre ali-
quem superioritatis characterem, constat ex
anteecedentibus.

50. Undecimò opponet denuò adversarius, in
morum quoque decretis conciliaribus, universos
Christi fideles concernentibus, quatenus Pontificiam
Majestatem condæcet, esse vim constringendæ ipsum
etiam Papam. An non igitur hinc inferre li-
cet Papæ subiectionem erga Concilium Oecumeni-
cum, ejusque decreta quoque moralia? Verùm hæc
objectio eodem eliditur modo, quo Doctores
respondere solent isti quæstioni à Theolo-
gis moveri solita; Quomodo scilicet legislator re-
pugnat suis legibus? In Concilio namque Oe-
cumenico

Concordia
GVI

comenico tota ipsius auctoritas legislativa superstruitur toti Hierarchico Ecclesie Corpori, ex Capite & membris Hierarchicis coadunato, sicque adeo decreta Conciliaria respiciunt ipsum quoque Pontificem cum Patribus inibi congregatis indivisibiliter concurrentem eum auctorem ac Legislatorem suum. Sicuti ergo ex hoc, quod Legislator, modo inferius explicando, teneatur suis legibus, haud infertur. Legislatorem esse sibi subditum, sic quantumvis Papa obstringeretur Conciliaribus morum decretis, minimè sequeretur, esse subiectum Concilio Oecumenico. Res igitur ista hanc in modum expediti solet, quod nempe obligatio legum à Summo Principe latarum, non in vi illarum, sed ex efficacia Legis Æternæ, quoad vim directivam, non autem coactivam, afficiat ipsum. Quæ responsio tantò magis locum habet in legibus moralibus à Concilio etiam Oecumenico sancitis, quantò certius est, non minorem in Pontifice extra, quàm intrà Synodum esse auctoritatem legislativam, per Christum Matthæi 16. repromissam. In vi cuius adeo auctoritatis supremæ, utpote Christi Vicariæ, nequit Pontifex constringi legibus moralibus in Concilio Oecumenico latis, utpote à semet etiam comprobatis, nisi in vi auctoris principij, Deo formaliter immanentis, sed virtualiter ad extra in leges etiam humanas se transfundentis.

52. Sed pro duodecimo disquires; Quænam sit istud principium Divinum, vi cuius summus etiam Princeps legibus civilibus, & Summus Pontifex suis, & Concilio Oecumenico moralibus quoque decretis obstringitur? Hujus rationem accipe ex sequenti fundamento. Quemadmodum nempe causæ secundæ operari nullatenus possunt, nisi sub Primæ Causæ influxu tam prævio, quàm concomitante: sic quævis à Deo comunicata hominibus potestas legislativa, per sui à Lege Æternæ dependentiam essentialem non potest imponere ullam obligationem, nisi ipsamet Lege Æternæ ad illam actualiter concurrente, ex hoc autem actuali Legis Æternæ concursu accipit lex humana vim in conscientia etiam foro sub culpâ mortali & pœnâ æternâ obligatoriam. Sicuti ergo lex humana essentialiter debet esse ordinativa in bonum Communitatis, sic consequenter Lex Æternæ legi humanæ se insinuans, eique in conscientia obligandi vim & efficaciam conferens, afficit omnes illos, quorum tanquam unius Corporis seu politici, seu mystici membrorum est executive curate bonum publicum vi legis intentum. At verò Summi Principis respectu Republicæ seu Status politici, & Summi Pontificis tanquam primarij respectu Ecclesie membri est, non tantum gubernativæ & archiepiscopicæ, sed executive, & quoad vim executionis exemplativæ procurare bonum publicum. Ergo Lex Æternæ legi humanæ vim ac efficaciam, in conscientia obligatoriam imprimens, ut sic afficit supremum quoque Principem, ipsum adeo Summum Pontificem. At quatenus Lex Æternæ efficaciam conscientia obligatoriam, imprimit legi humanæ, ut sic obligat ista, sub illo ipso virtutis motivo, quod per legem est per se im-

mediatè intentum ac definitum. Ergo sub hoc etiam specifico virtutis per Concilij Oecumenici decretum intentæ motivo, & non tantum sub generali alicujus cum Republica conformabilitatis ratione lex à Principe, seu Summo Pontifice, intrà Concilium etiam lata, obligat ipsum in conscientia. Eo ipso autem, quod talis obligatio sit præcisè ex Legis Æternæ legi humanæ virtualiter se insinuantis concursu ac efficaciâ, non autem ex lege, quæ formaliter emanante à Principe, seu Concilio Oecumenico, oportet, ipsam tenere solummodo quoad vim directivam conscientia propriam, non autem quoad vim coactivam foro externo eatenus convenientem, ut respiciat legem humanam, prout est formaliter emanans à Legislatore humano. Constat igitur, obligationem legum à Principe latarum ex vi Legis Æternæ obligare suum legislatorem in foro duntaxat conscientia secundum vim directivam, non coactivam. Unde Imperator §. ultimo Institut. Quibus modis testamenta infirmantur, ait: Licet legibus soluti simus, in foro scilicet externo; attamen legibus vivimus, in foro scilicet conscientia.

Decimotertio replicabit fortassis adversarius. Si Pontifex aut vi, aut legibus injustè latis, aliòve modo Ecclesiam destruere nitatur, aut aliorum jura & bona injustè invadat, atque monitus non respiciat, posse bello & armis coerceri, omnique ratione ad jus naturalis defensionis spectante compelli; veluti probare dicuntur Turrecremata lib. 2. cap. 106. Bellarminus de Conciliorum auctor. lib. 2. cap. ult. ad 1. argumentum. Quod Auctor Regalis Sacerdotij lib. 2. §. 14. n. 4. comprobatur sequenti ratione. Quod nempe in casu ejusmodi non resistatur Papæ, sed injustè ipsius invasioni, nec in illum exerceatur Jurisdicctio, sed tantum jure defensionis agatur, quod jus non in Jurisdictione & auctoritate fundatur, sed in facultate naturalis juris, cui noscitur ipse quoque Pontifex subiectus esse. Ex tota causa 25. q. 1. Quod si proinde hoc defensionis jus erga Summum Pontificem competat alicui laico, præcipuè Regi, quantò magis convenit Concilio alicui ex totius Christiani orbis Episcopis conscripto? Hoc vero nunquid, priusquam decernat super injustis Papæ aggressionibus, faciet processum juridicum, sicque adeo judiciariâ auctoritate formabit sententiam super injustitiâ aggressionum? Nunquid ergo processus ejusmodi redarguit Papæ erga Concilium subjectionem aliquam?

Verùm ad istam ex parte adversâ objectionem in promptu est responsio. In illo statu, quo Papa denuntiatur Ecclesie seu Concilio Generali, esse jurium alienorum injustus aggressor, in primis non intentatur actio aliqua adversus Papam, quæ Summum Pontificem, sed contra ipsius personam, quæ privatam, nequeunt enim injustæ ejusmodi aggressiones promanasse ex auctoritate Cathedræ Apostolicæ, quæ per Christum est coarctata unice ad bonum ac edificationem Ecclesie; quare tales injustitiæ respiciunt privatam duntaxat Papæ personam, quæ proinde si deserantur

ad Concilium generale, ne tunc quidem, oportet, iudicium ferri super Papæ persona, ejusque actibus, quæ intrâ ipsam consistunt: quippe cum ipsissima etiam Summi Pontificis persona per characterem auctoritatis Apostolicæ in tantum sit sacrata, ut super ipsam, quamdiu manet in statu certo Patris, nulla potestas humana audeat manum suam extendere. Quare in casu prædicto iudicium Concilij Generalis ferri duntaxat potest super juribus alicui fidelium injuriam passo inexistentibus, atque horum violationibus passivis, quæ effectibus extra Papæ superpositum egressis, & in altero fidelium tam moraliter, quam physice receptis. Quarum adeo injuriarum iudiciam præhabita cognitione, si Papa præmotus, Concilio Generali deferre nolit, non potest equidem iudicialiter contra ipsum decerni, potest tamen auctoritative declarari jus defensionis, fidelibus inique læsis per naturalem æquitatem competens, ad armatam usque resistenciam, ac jurium talium vindicationem. In cuiusmodi tamen vindicatione Rex inique etiam læsus, neque atrectare, seu offendere potest seu ipsam Papæ personam, etiam quæ privatam, seu jura Ecclesiastica, seu bona Ecclesiæ Romanæ appropriata, utpote non ad privatam Papæ personam, sed ad statum Ecclesiasticum spectantia. Constat igitur ex præducto partis adversæ argumento, haudquaquam coargui aliquam Concilij super Papæ superioritatem, seu potestatem iudiciariam.

Decimoquarto obijcit denuo Adversarius. In casu saltem hæreseos, subdi Papam Tribunali iudiciario Concilij. Tunc enim à Concilio iudicari, & deponi posse, patet ab exemplo Honorij I. relato in octava Synodo A. 843. & in Capit. Audivimus. 14. q. 1. Cap. Si Papa. dist. 40. Cap. Novatianus. 7. q. 1. Cap. Didimus. Cap. Acacius. 24. q. 1. Capit. Oves. q. 7.

Verum ex nostra parte est in promptu responsio. Concilio equidem acephalo etiam esse in casu manifestæ hæreseos aliquam, non jam super Papæ, sed super ipsius privatâ personâ, utpote à Papatu ex tunc remotâ, veram iudiciariam, & auctoritative declaratoriam potestatem de Papatûs amissione, per ipsummet jus Divinum sancitâ, & in vi hujus Divini juris suum defectum jam præviè sortitâ. Unde tota Concilij Generalis potestas erga talem Divinitus exauctoratum Papam hæreticum, unice tendit ad auctoritative fidelibus manifestandam Papæ depositionem Divinitus sancitam, executionique publicæ demandandam, conformiter Can. Si Papa. dist. 40. ubi sic habetur: *Culpas Pontificis redarguere præsumit nullus mortalium, quia cunctos ipse iudicaturus, à nemine est iudicandus, nisi deprehendatur à fide devius.* Cui enim alteri nisi Concilio imperfecto & materialiter pro tunc Generali, pro calu hæreseos seu à fide deviationis poterit esse auctoritas iudiciaria super Papæ personâ, ipso jure Divino jam depositâ? Cujus ratio est. Quia ex characterem Pastoris Oecumenici Papa est Caput Ecclesiæ, nequit verò Caput esse Ecclesiæ, nisi sit ejusdem membrum. At Ec-

clesiæ, ejusque membrorum quiddam forma est per fidem. Quando igitur Papa per hæresim formalem excidit à fide Divina, ita desinit esse membrum Ecclesiæ, ut ex jure Divino, jam non sit ipsius Caput, seu Pastor Oecumenicus. Ergo Ecclesiæ super Papæ, quoad suam privatam personam factu hæretico, iudiciariam auctoritatem non aliter exercere potest, nisi declaratoriam de Papatu per jus Divinum amisso sententiam proferendo, nec adeo super Pontifice, sed super homine, qui jam desit esse Papa, aliquam præterdere potest superioritatem iudiciariam.

Decimoquinto. Rursus opponi potest ex parte adversâ Ecclesiæ convenire superioritatem super Papæ, si fuerit intrusus, id est, non electus juxta formam præscriptam in Concilio Lateranensi Can. 1. & Bullâ Gregorij, quæ incipit: *Æterni Patris*: Vel si ejus electioni intervenerit aliquis error juris Divini, seu naturalis: vel si ejusdem electio fuerit Simoniaca; uti decernitur in Bullâ Julij 11. quæ incipit: *Cum tam Divino*. Vel denique, si electio Papæ facta sit per metum gravem ac injustum. Ex Concilio Constantiensi Sess. 39. In quibus adeo casibus eatenus nulla erit Papæ electio, ut hinc arguatur subesse juris Canonici dispositionibus.

Verum ex hisce fundamentis minimè evincitur Ecclesiæ super Papam superioritas; uti mox demonstrabitur. Etenim non potest quicquam esse Papa antecederet ad legitimâ Papatûs collationem. Hæc equidem subsistit ex ipso jure Divino: eo ipso enim, quod Christus Oecumenici Pastoris officium pro perpetuo Ecclesiæ statu sanxerit, redditur hinc consequens; claves regni caelorum cum perpetuo Ecclesiæ statu vi juris Divini connexas per successione ab ipomet Christo constitutam, conferri Summo Pontifici Petri legitimo successori. In quo diversa est ratio successione circa ordinarium Petri Apostolatam, & delegatum Judæ inprimis destinatum, sed Mathiæ in locum illius subrogato commissum Apostolatam, cum ille, utpote perpetuus, ex primâ sui origine esset transferibilis in successorem: hic verò, utpote personalis non haberet successione, nisi quæ speciali, sortis Divinæ signo fuerat designata cum delegationis Apostolicæ in Mathiam Actorum cap. 1. Divinitus collatæ plenitudine. Quandoquidem igitur ex solo Petro superstes maneat Apostolatam in successores pro perpetuo Ecclesiæ statu transferibilis, ita ut ejus collatio sit ipso jure Divino constituta: idcirco penes Ecclesiam non est alia electio Papæ, quàm designativa personæ; adeo ut hæc designatione post Summi Pontificis obitum peractâ, Apostolicæ potestatis plenitudo in personam sic designatam deriveret ex ipsissimo illo jure Divino, quo per Christum sancita fuit Oecumenicæ Ecclesiæ Pastoris perpetuitas. Super Papatûs igitur collatione, cum sit juris Divini, nulla potest esse Ecclesiæ superioritas: bene tamen super electione designativâ personæ Petro successuræ, sicque potituræ illò Divinæ collationis jure. At licuti hæc electio ad hunc sumpta non

57.

229.
230.
231.

58.

X x

superioritas
Ecclesiæ
super
Papam
GVI

248.
249.
250.

non afficit Papam, sed eligentes: *passivè* verò spectata noscitur antecedens Papatûs collationem, estque actus ab hac distinctus: sic quatenus Ecclesiæ auctoritas super eam designativam seu *activè*, seu *passivè* lumpam electionem protenditur, nullatenus importat aliquam super Papa superioritatem, sed supra personas tum eligentium, tum electi, pro statu, quo necdum Papa est, sed primùm pro posteriori redditur particeps illius juris Divini, per quod constituitur Summus Pontifex.

59. *Decimosexidè & ultimò.* Urgebit Adversarius Concilio Generali esse auctoritatem & superioritatem, super Papâ saltem dubio, sic enim Concilium Constantiense ad certum Ecclesiæ Caput obtinendum, super Papa dubio processum judicarium instituendo, noscitur omninò præcendisse auctoritatem super Papa hujusmodi.

60. Verùm dum lubest dubietas de valore electionis Pontificiæ, vel dum Ecclesia certificari non potest de legitimo Pontifice, tunc equidem exemplo Synodi Constantiensis, licet Ecclesiæ processus judicarius circa Papam dubium: hinc tamen Concilij superioritas minimè evincitur, nisi super Papæ dubij personâ, quâ secundùm Ecclesiæ judicium non Papâ: contra quem adeò proceditur, ad judicialiter inquirendum; Annon sit iniquus Pontificiæ auctoritatis usurpator & aggressor? Etenim Pontificis Oecumenici receptio per Ecclesiam reduci debet in fidem Divinam, quâ Pastoris Oecumenici munus noscitur à Christo constitutum pro perpetuo Ecclesiæ statu. At stante illâ dubietate, haud subsistit evidentiâ credibilitatis, per quam sub illo fidei principio credi debeat, hic in individuo esse legitimum Petri Successor, atque adeò verus Papa. In tali ergo casu Ecclesia non tenetur, personam hujusmodi recipere in Summum Pontificem. Unde quoad nos (id est, quoad certitudinem pro istâ personâ in Summum Pontificem recipiendâ *constringentem*) in judicio Ecclesiæ manet Papa sub tali conditione constitutus, ut non sit habendus pro Papâ. In quo proinde statu Ecclesiæ jus est, tum inquirendi super argumentis, per quæ perveniatur ad evidentiâ credibilitatis in linea prudentiali certificantiem de legitimo Petri Successore: tum, si hæc certificatio obtineri non valeat, per aliam viam sibi providendi, quousque ad talem certitudinem pertingere valeat. Quòd si igitur aliud, quàm ex Papæ dubij depositione medium non suppetat, ex illo jure fas est Ecclesiæ, proferre sententiam de Papæ hujusmodi remotione. Neque verò, quæ sanctæ Ecclesiæ Divinitus repromissa est Spiritûs Sancti assilientia, in hoc deficiet, ut judicium illud Ecclesiæ falsum sit, sed omnia ita disponet suaviter, ut si fortè Pontifex, de cujus legitimitate dubietas superari non potest, sit re ipsâ verus Papa, per ejusdem Spiritûs sancti impulsu resignet, atque adeò certæ in Pontificem designationi locum concedat: vel si ad talem resolutionem disponi nequeat, ex illo de Ecclesiæ infallibilitate fidei principio legitimum

formari possit judicium, super nullitate Papatûs ab illo pertinaciter præcensi contra ejusdem propriæ etiam conscientiæ, utpote in tantum obstrictæ erga Ecclesiam, ut hinc in certo habendo Christi vicario Capite, ex jure quasi naturali deferre meritò deberet.

S. V.

Eo ipso, quòd in judicio Ecclesiæ, secundùm credibilitatis auctoritativam in fidei principia reducibilem evidentiâ, habeatur quis pro vero, certo, ac legitimo Papa, nequit ex tunc Ecclesiæ seu Concilium Generale super ipso abstractè ac propriè sumptæ superioritatis jus exercere.

PRIMÒ. Pro istâ propositione nostrâ magis elucidandâ, lubeat præmittere sequentem disquisitionem. Nempe, quia in Papa dubio abstractio Papatûs in tantum operatur, ut Ecclesiæ possit super tali dubio Pontifice judicarium formare processum: an non pariter in vero ac certo, sed facinoroso & scandaloso, Ecclesiæque pernicioso Papâ possit eatenus fieri abstractio à Papatûs prerogativâ, utpote cum facinorosis ejusmodi actibus nullam habente connexionem, ut sub tali abstractione, possit Concilium Generale erga ipsius personam auctoritativè exercere virgam correctivam à Christo Matth. 18. indefinitè erga quoscunque fideles sanctam? Nam quisquis est frater Christianæ Communionis, jubetur post fratrem, alijs etiam adhibitis, correctionem, denuntiari Ecclesiæ, & si hanc non audierit, communionem Sanctorum privari per Apostolicam Ecclesiæ, seu Concilij Oecumenici à Christo sanctam ligandi & solvendi auctoritatem. Nunquid verò Summus Pontifex habendus est in censu fratrum, quatenus cum universis fidelibus participat in communicatione gratiæ & beatitudinis, secundùm quam homo est adoptivus filius Dei, atque cohares Christi? Nunquid cum Summo Pontifice, quâ Hierarchici Corporis Capite secundùm Pastoralis sollicitudinis partem communicant reliqua Hierarchica Ecclesiæ membra, Episcopi ac Prælati Ecclesiastici, quos proinde Papa vocare solet fratres? Anne igitur fas est, ipsum excludere ab illo correctionis fraternæ ac Evangelicæ præcepto? Num si correctionis secretæ impatiens sit, nefas erit, ipsum denunciare Ecclesiæ? Et quia Ecclesiæ Corporis Christi Hierarchici perfectè representatiya, dum Caput cum ipsâ non concurrat, minimè subsistere potest, sed Concilium, quantumvis materialiter Generale pro tunc est acephalum; num isti nefas erit, uti salubri adversus Papam facinorolum, & incorrigibilem præinsinuato Evangelico remedio?

Verùm pro secundo præcæctis disquisitionibus repono unicam sequentem questionem, unâ cum ejusdem resolutione. Si namque deventum fuerit ad virgam correctoriam, secundùm quam Papa facinorosus & contumax Ethnico & Publicano, Ecclesiam addere

de.

detestanti, compar esset pronuntiandus, quid circa hoc foret potestatis in Concilio acephalo? Quæ namque ligandi & solvendi potestas Apostolica Concilio Oecumenico per Christum fuit repromissa, ea superstruitur plenæ ac Generali Synodo, ex Hierarchico Ecclesiæ & Corpore & Capite sub Vicario Christi charactere, aggregatæ. At ista Hierarchici Corporis plenitudo ac integritas ob Capitis cum eo concurrentis defectum, haud intercedere possit, ubi ageretur contra ipsum Ecclesiæ Caput, Summum Pontificem. In tali ergo Concilio acephalo locus non esset virgæ auctoritative correctoriae adversus Summum Pontificem stringendæ, consistentis ex Apostolica, Concilio Oecumenico, non acephalo, ad ligandum & solvendum Divinitus sancitæ potestatis caractere. Et verò ipse Papa etiam solitarie sumptis ex *Matth. 16. cap.* habet æquæ plenam, Concilio Oecumenico comparatam, ac indefinitam solvendi ligandique in Ecclesiæ auctoritatem. Quid ergo contra ipsum agere poterit Concilij Corpus acephalum, Synodi Oecumenicæ caractere per Christi nomen Vicarium subsistente tunc destitutum? In aperto igitur est, ubi etiam per viam correctionis Evangelicæ agendum esset contra Papam facinorosum, non nisi fatentem correctionem respectu ipsius habere locum, nihilque cum eo actum iri ex auctoritate, quamdiu manet in statu certo & indubitato Papatus. Ubi ergo quispiam sub convincente prudentialis credibilitatis evidentiæ est ab Ecclesiâ receptus in Papam, à nemine jam judicari poterit, præter causam consummatæ hæreseos. Sub quo statu uti desinit esse Christi ac Ecclesiæ membrum, sic Papatus prærogativâ destitutus, ex tunc subditur iudicio Ecclesiæ, & Concilij etiam acephali. Ex illo igitur Evangelico correctionis, virgæque censoriæ decretorio sacro textu nequaquam evinci potest Ecclesiæ, seu Concilij Generalis supra papam auctoritas vel superioritas.

63. Tertiò opponit fortè quispiam Argumentum proximè deductum nimis probare, dum inde sequeretur, super Papam etiam dubio nullam esse Concilio acephalo auctoritatem judicalem. Quæ enim *Matth. 18.* per Christum Promissa est solvendi & ligandi potestas Apostolica, nequit convenire nisi Concilio Oecumenico, per Christi vicarium charactrem, Pontificiæ præminentiæ proprium, insignito. Eo ipso autem, quod Papa sit dubius, nequit subsistere Concilium formaliter Oecumenicum, sed acephalum duntaxat.

64. Verùm in tali Concilij acephali statu nequit equidem locus esse præinsinuatæ Apostolicæ auctoritati. Nihilominus universi Episcopi, quæ possibile est, ex Orbe Christiano aggregati in unum, comportant auctoritates suas Ecclesiæ cuique designatæ gubernativas, quæ collectam sumptæ extendunt se virtualiter ad universam Ecclesiam, quatenus scilicet omnibus & singulis Episcopis incumbit, eatenus prospicere suæ dioceseos spirituali incolumitati, ut singulorum tamen

Episcopatum religio ex intrinseca suæ institutionis conditione ordinetur ad Bonum Universalis Ecclesiæ. Quando igitur Episcopatum in uno acephalo Concilio fit unio seu coadunatio, tunc ipsi est potestas & obligatio, prospiciendi de certo Ecclesiæ Universalis Capite, quia Papæ dubij ex ratione superius deductâ, quamdiu dubium ejusmodi vinci non potest, nulla prorsus est habenda ratio, sed in iudicio Ecclesiæ Papa hujusmodi perinde reputatur, ac si vacaret Sedes Apostolica. In quo proinde statu, dum Papatus post diligentem discussionem non est probatu possibilis; inconcussa, & firma manet illa Episcoporum in unum Concilium acephalum tollatâ jurisdictione procedendâ adversus talem Papam dubium, usque ad sententiam de Papatus ipsius nullitate auctoritative declaratoriam. Quæ secus se habent in Papâ certo, quantumvis facinoroso, quippe cum in illo semper præmineat Papatus ab Ecclesiâ recepti possessio, & prærogativa, nullam Concilij, præsertim acephali, superioritatem judicariam admittens.

65. Quartò instabit aliquis. Cùm Papa habeat subjectionem in foro Sacramentalis Confessionis, ad cuius tamen valorem requiritur jurisdictione, ab ipsomet etiam Summo Pontifice saltem mediare derivata; quidni ergo dicere fas sit, Papam subijci Concilio Oecumenico, tametsi hujus forma subsistat ex vicario Christi nomine, Pontificiæ auctoritatis proprio?

66. Verùm in foro Sacramentalis Confessionis ita concurrere debet jurisdictione, ab ipsomet Papa mediare saltem derivata, ut hæc tamen sit voluntaria, in vi cujus nemo nisi volens subijciatur illi foro. Sic proinde, si Papa propter delictum aliquod publicum spontè vellet se ipsam subijcere alicui Concilio, quantumvis acephalo, respectu istius sortiretur subjectionem merè voluntariam, ex se ipso scilicet, non verò ex Concilij, etiam quæ Oecumenici, Divinâ institutione dependentem.

67. Imò pro quinto quando Papa se ipsum volens subijcit Foro confessionali, adedque jurisdictione à semet erga se ipsum prorogatæ, tunc isti supervenit characteris Sacerdotalis potestas, quæ in sui infusione ita dependet à solo Christo, ut in ipsius exercitio sacerdos se habeat quæ Christi duntaxat, non autem Papæ, instrumentum in ordine ad Sacramentalem absolutionem impertiendam. Sub ejusmodi proinde absolutionis Sacramentalis actu ipsomet etiam Papa perfectam erga Confessarium, quæ Christi ministrum, imò erga ipsum quoque Christum habet subjectionem, deberque adeo pro tali Foro profiteri aliquam supra se quæ Christiano homine superioritatem, quæ tamen sit principaliter in Christo, instrumentaliter autem in sacerdote Sacramentaliter absolvente.

68. Pari igitur ratione quoad Fidei dogmatum in Concilio Oecumenico definitiones, Papa plene & absolute constringitur tali definitione, ex vi auctoritatis instrumentaliter Concilio Oecumenico, quæ suæ quoque Vicariæ Christi

superioritas
mediare
apostolica
CMI

Christi auctoritatis characterem præferenti, principaliter autem ipsimet Christo, Spirituique sancto, Synodo quâ Oecumenicâ secundum Christi promissionem assistenti, ineluctabiliter competentis Nihilominus hæc Papæ erga dogmaticas Concilij Oecumenici definitiones obligatio & subiectio respicit quidem perfectam Spiritus sancti, ac Christi respectu Papæ superioritatem: at quia Concilium quâ Oecumenicum, implamet Papæ præminentiam, eeu sui characteristicam formam essentialiter includit, idcirco Concilio Oecumenico non non tam superioritatis strictæ, quàm cuiuspiam erga Pontificem solitariè spectatum majoritatis præcellentiam importat; veluti fusiùs expositum habetur in *antecedentibus*.

Caput. II.

An superioritas Papæ supra Concilium acephalum demonstrari possit ex sacris Literis, Concilijs Oecumenicis, Historijs Ecclesiasticis, & usu ac praxi Ecclesiæ.

§. I.

Pro hujus disquisitionis solidiori resolutione, expedit, varios distinguere Concilij acephali status.

1. **P**rimò igitur status *realis* Concilij acephali contingere potest, dum Papa est dubius, sicque ex universo Orbe Christiano congregantur Episcopi ad certum Papam exquirendum, seu constituendum ab illis, ad quos spectat electio Summi Pontificis designativa: qui status erat primitus in Concilio Constantiensi. Quæ Synodus quantumvis *materialiter* pro tunc etiam dici potuerit Generalis, non tamen erat *formaliter* Oecumenica, quia in ipsâ deficiebat *formalis* character, ex Christi nomine Vicario, Pontifici scilicet auctoritate subsistens, quousque certi Pontificis auctoritas Apostolica eidem tandem accesserat: dum interea in tali Concilio acephalo non alia, quam universorum ex Christiano Orbe ibi aggregatorum Ecclesiæ Antistitum in unum collatæ interveniebat jurisdictio, cum aliquo extensivo ut sic ad publicum Ecclesiæ Bonum referibili augmento.

pag.
243.
n. 3.

2. **S**ecundò. Alter Concilij *realiter* acephali status est, quando Synodus Generalis erat primitus a Summo Pontifice legitime congregata, sed postea fuit eidem substracta auctoritas Pontificia, ejusdem indicens solutionem. Cujusmodi status erat Concilij Basileensis, sibi postmodum arrogantis auctoritativam & judicariam super Papa auctoritatem, dum e contra Summus Pontifex suam tali Concilio supereminentem potestatem eâ exercebat efficaciam, ut illius in altero etiam Papa constituto arrogata auctoritas prorsus evanuerit.

3. **T**ertid. Concilij generalis secundum mentalem dumtaxat abstractionem acephali, varius adhuc status considerari potest. Inprimis

enim potest cum Papâ comparari præcise Concilij Corpus hierarchicum ex Episcopis & Prælati Ecclesiasticis consistens, nomine Christi vicario, seu Pontifici auctoritate aggregatum. De isthoc Corpore Hierarchico disquiri potest in præsentia: an Papa auctoritas habeat aliquam ab illo dependentiam; & an ista dependentia importet aliquam ejus Corporis Hierarchici supra Papa superioritatem? Ad quod perspicacius intelligendum, lubeat corpus humanum à suo capite præscindere non physica separatione, sed mentali abstractione. Sub ejusmodi namque præcissione mentali multas in humano corpore vitales seu vegetativas, seu sensitivas, tum cordis, tum hepatis, aliorumve membrorum functiones reperimus, quæ non sunt in capite, sicque adeo cum isto collatæ faciunt quandam extensivam inajoritatem ultra proprias capitis functiones, quæ tamen ab illis vel maxime & ut plurimum necessariò dependent. Quæ nihilominus capitis quoad sui conservationem, & in ordine ad functiones sibi proprias à reliquis humani corporis membris, corde præcipue ac hepate, dependentia, nullam in humano corpore præcisè spectato super caput importat superioritatis quasi gubernativæ rationem, quin potius caput regimen quoddam teneat super totum corpus humanum, ejusve membra, ac functiones istorum, saltem quoad mediatum aliqualem directionis ac moderationis in eas influxu. Sic proinde, si Ecclesiæ Corpus hierarchicum integrum consideremus secundum quandam Capitis ac reliqui Corporis hierarchici in Concilio Generali coadunati præcissionem mentalem, & secundum aliquam inter se collationem, verificatur equidem, quòd Summus Pontifex, Ecclesiæ Caput, indigeat membris hierarchicis, Episcopis à Spiritu sancto positus, ut regerent Ecclesiam Dei. Quæ indigentia spectat tum Episcopos singulatim spectatos, quâ diversarum Diocesium Rectores, quas impossibile foret ab uno Pastore ad sufficientiam gubernari; tum Episcopos collectim, in unum collatæ faciunt aliquam superius expositam generalitatem extensivam. Quæ etiam extensivâ Corporis hierarchici universalitas est necessaria, ut Caput ipsum, Summus Pontifex, potiatur prærogativâ ultimata & consummata in fidei dogmaticis decidendis infallibilitatis. Quippe cum ista sit per Christum repromissa consensui Capitis, unâ ac reliqui Corporis hierarchici, intrâ Concilium Oecumenicum coadunatis membris. Ex quâ etiam infallibilitatis prærogativâ Capiti Ecclesiæ accretit majoritas quædam intensiva, quam tamen superius demonstravimus, non importare proprie dictam superioritatem, neque Divinitus repromissam esse Concilio quâ acephalo, id est sine Capite considerato, sed utrique consentienti, adeoque collectivè sumpto. Quandoquidem igitur corpus humanum secundum abstractionem mentalem, à capite præcise, nihil habeat super istud superioritatis, sed capitis e contra sit quædam supra reliquum corpus gubernativa seu mode-

moderativa superioritas: num dicere fas est, Concilium Generale quã acephalum, sine Capite consideratum, respectu Capitis, vel potius Papam, Ecclesie Caput, respectu reliqui hierarchici Corporis in Concilio Generali aggregati, habere præminentiam superioritatis?

Quartò. Concilium dici potest aliquoties acephalum, quando legitimã Papæ auctoritate congregatum, præsidentes quidem habet Legatos seu Nuntios Apostolicos, necdum tamen obtinuit personalem consensum Summi Pontificis, decretorum inibi sancitorum confirmatorum: nam verisimilius est, iustius consensûs dogmaticis sanctionibus auctoritate Pontificiã impertiendi auctoritatem, non esse delegabilem Legatis Apostolicis, sed esse personalem Pontificiã præminentiam indivisibiliter annexam. Quia igitur omnimodæ & consummata in fidei dogmatibus infallibilitatis auctoritas, ex Christi Domini institutione non competit Concilio Oecumenico, nisi quatenus Duo, Caput scilicet, ac reliquum Ecclesie Corpus hierarchicum conferunt. Idcirco Synodus quantumvis Generalis, quoad auctoritatem fidei dogmatum definitivam, non est in statu consummata Synodi, quã formaliter Oecumenicã, quousque ad sanctiones ejusmodi accesserit personalis Papæ consensus.

Nihilominus pro quinto dicendum est, ubi per Summum Pontificem facta est indictio Concilij Generalis, mandato ad universos Christiani Orbis Episcopos, Ecclesie quæ Prælatos directo, atque in vi hujus mandati convenerint Præsules Ecclesiastici, præsidentibus præcipue Pontificis Legatis, Concilium jam esse in statu Oecumenicæ Synodi, quoad Apostolicam huic Divinitus commissam ligandi & solvendi potestatem. Ex tunc enim verificatur, Concilium esse aggregatum vicario Christi nomine, sive Antistitem tali modo coadunatorum Convenium existere insignitum Apostolicæ, vicarium Christi nomen præferentis, auctoritatis caractere. Nec interest, si pauci, si plures sub tali caractere fuerint coadunati ex Orbe Christiano Præsules, Christo Domino Matth. 18. pronuntiantes, se in medio eorum fore, ubi duo vel tres in nomine suo congregati fuerint. Quamvis verò isthac Christi assistentia Præsulibus Ecclesiasticis in nomine ipsius aggregatis, videri possit inferre omnimodam in rebus fidei infallibilitatem: nihilominus quia Christus hanc annexit Duorum, scilicet Capitis, nomen suum vicarium præferentis, ac reliqui hierarchici Corporis consensui: ideo præsumptam talis consensus fuerit personaliter præstitus à Papa Christi Vicario, Concilium quantumvis Generale ac Oecumenicum, in ordine ad fidei sanctiones non est adhuc in statu perfecto, seu ultimã consummato: tametsi Apostolica ligandi & solvendi potestas indefinita Concilio Oecumenico, quã Collegij Apostolici successori à Christo immediatè concessa, antecedenter ad illam consummata, ex personali Pontificis consensu concursu subsistentem omnimodæ infallibilitatis perfectionem,

jam locum habeat, ex quo Concilium in Christi vicario Nomine sub Sedis Apostolicæ Legatorum præsidentia inchoari & continuari cepit. Sub eujusmodi proinde statu est paritas & æqualitas, nullaque adeo superioritas inter Pontificiam potestatem, & Synodum ex Capite per Legatos præsidente, ac reliquo Ecclesie hierarchico Corpore coadunatam.

S. II.

Expenduntur patris adversè argumenta ex sacra Scripturæ verbis petita.

Primò. Adversarij prætendunt, & quidè merito, formam posteriorum Conciliorum Oecumenicorum petendam esse ex norma Concilij Hierosolymitani, Actorum 15. à v. 6. descripi. At immeritò sublumunt ex v. 17. & 18. ac sequentibus. Iacobum Apostolum, postquam Prophetica ad disquisitionis de Legalibus tunc propositæ decisionem facientia, adduxisset oracula, definitivam & judicariam protulisse sententiam: Propter quod, inquit, ego iudico, non inquietari eos, qui ex gentibus convertuntur ad Deum, sed scribere ad eos, ut abstineant se à contaminantibus simulacrorum, & fornicatione, & suffocatis, & sanguine. Ex hac igitur Concilij Hierosolymitani normã videtur evinci, quòd definitiva sententia in Synodo Oecumenicã non sit penes Petri successorem. Verùm quis Catholicorum negare audeat, Petrum in Concilio Hierosolymitano præsentem, jam prius à Christo obiivisse Primatum, extitisseque Caput Ecclesie? Quo supposito, quis rursus Catholicorum præsumet negare, Capiti Ecclesie intrã Concilium Oecumenicum convenire officium Præsidentis?

Hoc igitur præsidentie munus in Concilio Hierosolymitano esse à Petro exercitum, præter fundamentum alibi deducendum, ita demonstratur. Etenim is ex Apostolis Præsidis munus in eo Concilio subibat, qui quæstionem ibidem propositam conquestione magnã à Cœtu Concilij prius factã, primus taliter definiit, ut ceteri Apostoli in ejus sententiã uniformiter condescenderent. At legendi sacrum textum cit. cap. 15. Actorum, perspicue constabit: magnã prius conquestione circa propositam controversiam factã, Petrum à v. 7. primum surgentem definiisse quæstionem, dicendo vers. 10. Nunc ergo (oraculis Divinis in contextu recensitis ita se habentibus) quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus? Quã sententiã per Petrum prolata, sacer contextus dicit vers. 12. tacuisse omnem multitudinem, in signum scilicet consensûs. Quamvis proinde Petrus, dum conquestio fiebat, non legatur primus fuisse locutus, secus tamen est, ubi deveniebatur ad definitionem, quæ primò debetur Præsidi.

Neque huic muneri derogatur, licet Paulus, Barnabas & Iacobus post Petrum locuti fuerint, quia ex sacro contextu rursus constat, hos Apostolos condescendisse in Petri

Constituta
Hierosolymitana
CML

sententiam: specificè verò Iacobum Hierosolymorum Antistitem subijciendo, Divinis Oraculis, Petriq̄ue sententiæ conformiter scribendum esse gentibus ad fidem Christi conversis, in hoc suscepisse munus quasi executoris.

9. *Secundò.* Replicabitur ex parte adversâ. Apostolos & Seniores juxta sententiam à Iacobo pronuntiatam scribendo ad gentes fidem Christi professas, *vers. 23.* talem efformâsse Epistolam Synodalem: *V. sum est spiritus sancto, & nobis, nihil ultra vobis imponere oneris, quàm hæc necessaria, ut abstinere vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione.* In quâ Synodali Epistolâ nullam fuisse habitam rationem Petri præminentia, quod meritò faciendum fuisset, si Petro convenisset aliqua supra Concilium superioritas. Verùm quia Concilium Hierosolymitanum erat Oecumenicum ex Petro seu Capite Ecclesiæ, ac reliquis Apostolis, delegationem Apostolicæ auctoritatis licet *personalem, & cum ipsis extinctam prærogativam præferentibus consistens:* ideo facile conceditur, Petro nullam fuisse præminentiam super eâ Synodo: neque enim quæsitio est in præsentia de superioritate Papæ supra Oecumenicam, sed supra acephalam Synodum; uti neque ex eo aliqua evincitur præminentia, quod Iacobus primus videatur fuisse in hoc, ut sententia definita scriberetur ad Ecclesiam Antiochenam. Quemadmodum enim Regis in Comitibus regni sui generalibus præsentia nihil derogat, quod ubi Ordinum consilia & vota sunt collecta, Rex decernat exinde ex Regiæ Majestatis suæ auctoritate: indeque verò regni primus Cancellarius decretum scribendum demandet: sic neque præsentia Petri officere potuit, quod Iacobus Apostolus urbis Hierosolymitanæ (intra quam celebrabatur illud Oecumenicum Concilium) Antistes in *vid. executionis*, judicârit primus, gentes ad Deum converteras, juxta definitionem à Petro jam pronuntiatam, non esse per Legalia inquietandas, sicque ipsæ scribendum esse. Quia igitur neque corporis physici, neque Hierarchici à Capite seorsim spectati, potest aliqua supra Caput, in Concilio Oecumenico præsidis munere fungi consuetum, esse superioritas, idcirco ex præallegatâ Concilij Hierosolymitani normâ evincitur, non Synodum præcisè sine Capite spectatam, supra Papam, Petri successorem, sed hunc erga Concilium quæ acephalam, habere superioritatem.

10. *Tertiò.* Pars adversa suam prætensionem contendit firmare ex *Actorum 20.* *Attendite vobis* (inquit Paulus) *& universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei.* Quæ verba Apostoli vel maxime locum habent in Episcopis collectivè sumptis, seu aggregatis in Concilio Generali. At in Ecclesia, cujus regenda potestas attribuitur Episcopis, in Concilio præsertim Generali aggregatis, includitur etiam Papa. Ergo potestas gubernativa Episcoporum extenditur etiam ad Papam.

11. Verùm sicuti in Comitibus publicis alicujus

Regni, cujus Rex est Caput Monarchicum, conferuntur equidem in unum universæ Regni gubernativæ potestates, de quibus verè dicitur, esse postas ad regendum totum regnum; nequit tamen hinc concludi, eorum potestates gubernativas, etiam in unum collatas, protendi supra Regem, maxime cum ex isto seu *mediate*, seu *immediate* sint derivatæ universæ illorum potestates, sintque ab ipomet Rege ad Comitum publica convocata, in ordine ad consulendum publico Regni bono, ad quod ex *intrinseco suo sine transcendentali* ordinantur cunctæ particularium regiminum jurisdictiones *civiles ac politice.* Et hinc per status politicos, eorumque Ordines in Comitibus cum Rege congregatos, fit quædam *extensiva* cujuspiam Bono publico perquam proficua majoritatis, ad regiam potestatem accessio, quæ tamen majoritatis *supereminenter*, quoad *intensivè* alicujus majoritatis superiorem excellentiam, continetur universim in ipsâ Regiæ Majestatis præcelsentiâ. Nec adeò dicere fas est; Comitum Regni, esse supra Regem, si hic sit Monarcha, sed hunc esse supra Comitum.

Pro quarto igitur pari ratione dicendum est, si universæ cunctorum etiam totius Orbis Christiani Episcoporum jurisdictiones intra Concilium Generale aggregantur in unum, cum suo ad universale Ecclesiæ Bonum *intrinseco & transcendentali* ordine; inde quidem resultaret *extensiva* quædam majoritas, publicæ Ecclesiæ utilitati, ac regimini universali perquam accommodata & proficua, ut propterea Pastor Oecumenicus in publicis Ecclesiæ necessitatibus obstringatur ad talem Generalem convocationem auctoritate Christi vicariâ indicendam. Nihilominus tota illa ex jurisdictionibus Ecclesiasticis in in unum collatis resultans *extensiva* majoritas *supereminenter* contineretur in Oecumenicâ Papæ auctoritate: quippe cum ex istâ cunctæ reliquæ inter Episcopos dispersitæ jurisdictiones eatenus deriventur, ut earundem consortes, seu agni Christi, quoad *cunctam moralitatis lineam*, semper subdantur Oecumenico Summi Pontificis Pastoralis officio. Et quia universorum etiam Episcoporum jurisdictiones in unum Concilium collatæ extrahi haudquaquam possunt à *moralitatis lineâ*, intra quam Pontificiæ auctoritati, ejusque Clavibus, super quocumque in terris ad Regnum Cælorum seu militans seu triumphans ordinabili *moralis*, competit indefinita ligandi & solvendi potestas: idcirco hæc universæ Episcopales jurisdictiones in unam Synodum, quâ *præcisivè* acephalam conjunctæ, secundum *intensivam* majoritatem superioris ordinis, Capitis scilicet propriam præminentiam, superexceduntur à Papali Oecumenicâ potestate. Et licet Concilio generali, quâ *formaliter* Oecumenico, unâ cum Capite scilicet spectato, ex *Matth. 18. cap.* peculiaris adhuc promittatur ligandi & solvendi auctoritas universalis, hæc tamen nequit major & universalior esse, ac sit illa, quæ soli Petro, ejusque adeò successori Pontifici Romano Dicitur

vinitus competit, nec adeo Concilium e-
tam quā Oecumenicum, unā cum Capite
spectatum, potest habere majoritatem jurif-
dictionis, sive superioritatis erga Papam.

Quintō. Urgebit Adversarij Auctoritatem
Conciliorum probari peculiariter ijs omnibus
Scripturæ locis, quibus Ecclesia circa fidem
errare non posse, demonstratur. Cū enim
Concilium repræsentet Ecclesiam, necessum
esse, ut, quemadmodū Ecclesia, ita & Con-
cilium ab omni erroris circa fidem periculo
absit. In cujusmodi adeo infallibilitatis con-
summata prærogativā Concilium superemi-
nere Papæ solitariè spectato. Verum equidem
est, tanto honore Christum esse dignatum
suam Ecclesiam, adeoque Concilium ejusdem
integraliter repræsentativum, ut hoc superemi-
neat in consummata infallibilitatis in fidei dog-
matibus decidendis prærogativā; attamen
sicut Ecclesia absolutè sumpta, nequit intelligi
sinè Capite, sic neque Concilium, quā Uni-
versalem Ecclesiam repræsentans, est intelli-
gibile, quin informatū sit Oecumenico Chri-
sti vicario caractere, Summi Pontificis pro-
prio. Cujus proinde per suum personalem
consensum ad Concilij dogmaticas sanctiones
accessio est prorsus necessaria, ut istæ obtine-
ant consummatæ etiam quoad nos infallibili-
tatis prærogativam; uti patet ex antecedentibus.
Et hinc Concilium non jam acephalum, sed
quā ipsum Papam, Ecclesiæ Caput ejusque
ex Apostolicæ auctoritatis caractere pro-
fluentem consensum substantialiter includens,
habet quidem aliquam majoritatē consumma-
tā & ultimata in Ecclesiā circa fidei dogmata
infallibilitatis. At quia ista majoritas non est
jurisdictionis, sed præminentie cuiuspiam
super Spiritū sancti, ac Christi assistentiā
fundatā: idcirco ne Oecumenico quidem
Concilio competit stricta & propriè dicta
supra Papam superioritas, jurisdictionis
nempe majoritatem importans.

§. III.

Papæ supra Concilium præcisivè acepha-
lum superioritas ostenditur ex Deuter.
17. cap.

14. **N**am primò decernitur in hoc sacro textu,
ut causæ difficiles ex Veteris Testamenti
legibus judicialibus decidendæ, in quibus va-
riabant fortè judicia, seu tribunalia sæcularia,
deferrentur ad Sacerdotes Levitici generis,
& ad judicem, qui judicaret judicij Verita-
tem, jus scilicet Divinā judiciali lege conten-
tum, applicando ad causæ controversiæ statum.
Hi ergo Sacerdotes cum judice, nempe Sum-
mo Pontifice in loco Sanctuarij congregati,
consciabant Ecclesiasticum Veteris Testa-
menti Concilium, in quo præsidebat Summus
Sacerdos. Atqui ad hunc in eo Concilio spe-
casse definitivam sententiam, evincitur ex
cit. 17. cap. Deuter. v. 12. ubi sic habetur:
*Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis
imperio & judicis decreto, morte morietur.* Pari
ergo ratione in Concilij Novæ Legis pertinet
ad Summum Pontificem, proferre definitivam

sententiam. Hæc autem prærogativa præ-
sidentie auctoritatem importans, necessariò
infert, quandam superioritatis super Con-
cilij Corpore majoritatem.

Excipient pro secundo fortassis Adversarij
cum Tostato Abulensi *quæst. 4. in cit. cap. 17.*
Deut. Veteris Testamenti Sacerdotem Sum-
161. m-
mum, tanquam præsidem, nomine & con-
29-
sensu Concilij protulisse sententiam: quomodo
in Novi quoque Testamenti Concilij Oe-
cumenicis, Papam nomine totius Concilij ex
suffragijs Patrum definire ac decernere; veluti
praxis doceat, conformiter normæ Concilij
Hierosolymitani *Athorum 15.* descripti, ubi non
Petri solius, sed totius Synodi Oecumenicæ
nomine nescitur fuisse latum decretum sub
hoc tenore: *V. I. sum est Spiritui sancto, & nobis &c.*
Quemadmodū igitur inepta foret conse-
quentia, quā Dux Venetorum ex eo, quod
nomine totius Senatūs proferat sententiā de-
finitivam, inferretur, esse superior toto Sena-
tu, quin potius hic dicendus sit illo major: sic
ex eo argumento haud concludi, Papæ supra
Concilium, sed hujus potius super Papā su-
perioritatem seu majoritatem, cū reverè
quisque minor dicendus sit illo, ex cujus no-
mine & auctoritate exercet judicium, seu
proferat sententiā judicariam. Quamvis pro-
inde *Deut. 17.* proclametur reus mortis,
qui non obedierit *Sacerdotis* (non Concilij)
imperio: hoc ipsum tamen imperium nomine,
ac vice totius Concilij Ecclesiastici à Summo
Sacerdote latum, non reducebatur in istum,
nisi quatenus erat repræsentans totum Con-
cilium, sicque adeo hujus præminentia debe-
bat in ipso fuisse repræsentata. Pari igitur
ratione Papam Concilio Oecumenico præ-
sidentem, ita nomine Synodi proferre defini-
tivam sententiam, ut illum sit repræsentans,
Divo etiam Augustino inculcante, quod Pa-
pæ summa prærogativa competat ipsi quā re-
præsentanti Ecclesiam.

16. Pro hujus exceptionis refutatione, oportet,
pro tertio discernere varios status Ducum
seu Principum tum politicorum, tum Ec-
clesiasticorum. *Vnus* namque Ducis, v. g. Ve-
neti, status est, ut non tantum sub primævâ sui
origine, vel etiam in hujus ad sui personam
derivatione, sed in cunctis actibus publicis
suam accipere debeat auctoritatem ex Com-
munitatis, aut Senatūs, quem repræsentat, vo-
to communi. Talis proinde Ducis potestas
integra est in colligendis votis singularibus,
dijudicandâque, unâ cum alijs, fortasse votorū
majoritate, juxta quam ita subsistet votum
commune Senatūs, seu Communitatis, ut ex
hujus auctoritate, non ex sua propria præ-
minencia, definire debeat. In tali igitur
statu præminencia Ducis nullam infert su-
perioritatem super Senatu, sed hujus potius
auctoritas importat superioritatem supra suo
Duce seu Præside. *Alter* Principatūs seu Du-
catūs status est, ut in sua prima origine omni-
modam potestatem suam, seu Ducalem, seu
Regiam acceperit ex Communitate, cui per
jus naturæ competeat politica Regia autho-
ritas, vel per se ipsam exercenda, vel trans-
fun-

Constituta
GVI

fundenda pro libitu in unum aliquem Monarcham. Quæ supremæ Potestatis politicæ in unum Monarcham transfusione factâ, quis jam dicere aulit, Communitatem Regni in Statuum Comitij publicis repræsentatam, esse Rege, si Monarcha sit, superiorem? Talis ergo Monarcha repræsentat quidem totum Regnum suum, Comitiatque ex totius Regni Statibus coram se congregata, quæ tamen repræsentatio non ejus est conditionis (uti de primo, Ducatûs v. g. Veneti, statu dicebatur) ut ex Comitiorum auctoritate & voto decernere, seque hisce subiectum profiteri debeat: sed supremæ politicæ potestatis auctoritas unice stat penes ipsum, in vi cujus habet omnimodam, super totius etiam Regni Comitij superioritatem.

17. Tertius Ducatûs seu, Principatûs Ecclesiastici status est, ut ne quidem in primâ sui origine habeat in se derivatam auctoritativam potestatem suam ex Communitate, quam repræsentat, sed immediatè à Christo Domino. Atque talis status est in Summo Pontificatu, prout eleganter eum describit sanctus Augustinus *Serm. 108. De diversis*, ita differens. Inter Apostolos penè ubique solus Petrus totius Ecclesiæ meruit gestare personam. Propter ipsam personam, quam totius Ecclesiæ solus gestabat; audire meruit. *Tibi dabo claves Regni Cælorum; has enim Claves non homo unus, sed unitas accepit Ecclesiæ.* Hinc ergo Petri excellentia prædicatur, quia ipse universitatis & unitatis Ecclesiæ figuram gessit: quando ei dictum est, tibi dabo, quod omnibus traditum est. Quando igitur Petrus præsignabatur totius Ecclesiæ gestare personam, ac gerere figuram unitatis Ecclesiæ, nisi quando Christus ipsi dicebat. *Tu es Petrus: & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam?* Quasnam verò Christus Petro Ecclesiæ figuram gerenti claves dedit, nisi quæ importabant indefinitam quodcumque ligandi & solvendi potestatem? Nunquid verò ab istâ indefinitâ super quodcumque morale protensâ auctoritate excludi potest ullus actus moralitatem in regnum Cælorum ordinabilem præferens? An non igitur ea Petri auctoritas ita est repræsentans Ecclesiæ, ut omnium ejus membrorum seu singillatim, seu collectim in Concilio acephalo iumptorum moralitates complectatur, cum aliqua adeo super ipsas superioritatis præminentia?

18. Quæ universa S. Chrysostomus eleganter expressit *homil. 55. in Matth.* super hæc verba *cap. 16. Vos verò quem me esse dicistis &c.* Sicut enim beatus Petrus, interrogatus omnibus, solus respondens, etiam non expectatâ aliorum sententiâ, pro omnibus respondere censetur, quia ipsi Pater cælestis præ reliquis omnibus Christi Divinitatem revelavit, non quia alij, quid respondendum esset, ipsum docuerunt; ita ipse Petrus (concluditis S. Doctor) fundamentum Ecclesiæ statuitur, ut eam sustentet, non ut sustentetur ab eâ: claves accipit ab ipso (Christo) cum Ecclesiâ communicandas, ab ea iterum recipiendas. Constat igitur, Petrum repræsentare Ecclesiæ, non eo sensu, quod ab Ecclesiâ receperit suam auctoritatem, sed quod

in Ecclesiæ, ejusque membra Hierarchica derivetur ab ipso participatio potestatis clavium: sicque adeo Petrus est gerens figuram Ecclesiæ, tanquam Princeps, ex quo tanquam primo in terris principio clavium potestatis communicetur Ecclesiæ membris Hierarchicis, & sic universitatis & unitatis Ecclesiæ figuram gessit, quando ei dictum est: *Tibi dabo claves*: quod omnibus traditum est in Petro seu Principio & Principe, transfundente in omnes, de suâ clavium potestate. Quare illa repræsentatio Ecclesiæ in Petro, non importat hujus respectu Ecclesiæ subjectionem, sed superioritatem respectu Hierarchiæ Ecclesiasticæ *acephalicè spectatæ.*

Hinc pro quarto regrediendo ad præallegatum ex *Deuteronomio* sacrum textum, ita licet ulterius argumentari. In eo namque sacro textu consideratione præcipuâ dignum occurrit: licet iudicium causæ ad Concilium Sacerdotale delatæ spectaret etiam ad iudicem, & ad totum conventum Sacerdotum, qui cum Summo Sacerdote conjuncti, debent indicare iudicij veritatem; uti verba Divina *vers. 9. & 10.* habent, nihilominus obedientia tali iudicio ac decreto iudicario debita, sequenti *vers. 12.* reducitur in unum Sacerdotem Pontificem Maximum: quatenus *ibidem* morte dignus pronuntiatur, qui superbiendo nolisset obedire Sacerdotis imperio, & Decreto iudicis. Ex quo manifestum redidit, in Veteri Testamento Concilium illud Sacerdotale non fuisse potitum supremâ iudicariâ auctoritate, nisi quâ conjunctum cum Summo Sacerdote, sub quâ proinde coadunatione ita consistebat suprema iudicij auctoritas, ut sententiæ tamen inde prolatae vis ac energia à præcitate sacro textu adscriberetur præcise Sacerdotis imperio. Cur hoc? nisi quia sub Sacerdotis Summi, seu Iudicis, & tanquam Capitis, Præsidijque characterè, eum quasi formâ Concilij, consistebat hujus auctoritas, quæ ubi Concilio accessisset, vim obtinebat, sub mortis etiam reatu obstringendâ ad decreti seu imperij taliter lati obedientiam. Quemadmodum igitur corporis humani formâ huic catenus præminet, quatenus in se eminenter continet cunctas etiam corporales seu sensitivas, seu vegetativas potentias: & hinc, licet anima secundum se præcise spectata, non habeat vim eliciendâ tales functiones corporales, sed ad eas præstandas opus habeat corpore ac membris ipsius, eum organo ad ejusmodi operationes per naturam destinatis, minimè tamen dicere licet, corpus exercere quandam super animâ quasi superioritatem. Sic in Veteri Testamento ex ordinatione Divinâ iudicariâ suprema Ecclesiastica potestas, ipsarum etiam Dei legum iudicialium interpretativa, & ad causas seu civiles, seu criminales applicativa, non competeat quidem Summo Sacerdoti, nisi quâ concurrenti cum Concilio, eo ipso tamen, quod hujus sententiæ esset quasi informis, quamdiu non informabatur Summi Sacerdotis consensu, ideo istius imperium ita fuerat dependens à Concilio, ut

respe.

respectu istius Summus Pontificatus se habe-
ret tanquam forma, in tantum supereminens,
in quantum anima in ordine ad functiones
etiam corporales supereminet corpori, à quo
seu organo est dependens. Ob cuiusmodi
adeò præminentiam facer textus præciso
Sacerdotis imperio attribuit vim reatus mor-
tiferi inflicivam, quatenus scilicet Concilij
vota in Sacerdotis tandem consensum reduci
debent, ut ab hoc, eua formâ, recipere
vim auctoritativam: sicque proinde vis im-
perij reducebatur in Summum Sacerdotem,
quò Concilio consensu suo auctoritativo ac-
cedentem; atque adeò iste meritò dicendus
fuerat Concilio præminuisse.

Pro quinto igitur, per rationem minime
disparem in expendenda auctoritate Oecume-
nica Concilij Generalis intrâ Novum Testa-
mentum, res ita tractari debet, ut, si Syno-
dus, quantumvis materialiter Generalis, sit
realiter acephala, id est absque Capite, Sum-
mo Pontifice; dicere oporteat, ipsam non
consistere nisi cœtum Ecclesiasticum, aucto-
ritatis Oecumenicæ caractere destitutum, ac
consistentem unice in aggregatione Episco-
pali jurisdictionum in universale Ecclesiæ
bonum, ex ipsâ intrinsicâ quoque naturâ
suâ coordinatarum. Quòd si verò Concilium
Generale sub vicario Christi caractere sit
primitivè coadunatum, sicque Oecumenicâ
Papæ auctoritate insignitum, nequit equidem
dici realiter acephalum, attamen quâ abstrac-
tivè acephalum, potest comparari cum Summo
Pontifice. Sub tali igitur comparatione Papa
se habet ad reliquum Concilij abstractivè ace-
phali corpus, tanquam forma. Neque verò in
Concilij Generalis primâ duntaxat coaduna-
tione, quam, oportet, fieri in Nomine Christi,
seu vicariâ huius auctoritate, sed sub ipsa
etiam dogmatica definitione, eatenus debet
Concilio accedere Summi Pontificis cum il-
lius sensu consonans consensus, ut antee-
denter ad istum, sanctio Conciliaris sit adhuc
informis, indigens auctoritativo Papæ ac-
cessu, eua formâ Decreti quâ dogmatici, per-
fectivâ & consummativâ. Quantumvis ergo
pro isthac Oecumenicâ Synodali Decreti vi
auctoritativa, Papa sit dependens à Concilio
tanquâ ipsius etiam Spiritus sancti sibi coope-
rantis organo; quemadmodum etiam anima
in ordine ad corporales functiones est depen-
dens à corpore, eua organo per sui informa-
tionem actuato: eo ipso tamen, quòd Papæ
Oecumenicæ auctoritas ad Concilium abstrac-
tivè acephalum comparata, se habeat tan-
quam forma, reliquum verò Hierarchicum
in Synodo generali aggregatum Ecclesiæ
Corpus se habeat per modum organi quasi
materialis, à quo per Christi institutionem
pro ultimata dogmatica sanctione debeat
dependere Summus Pontifex; idcirco hic me-
ritò dicendus est præminere Concilio ab-
stractivè acephalo.

Instat pro sexto Adversarius. Hanc ip-
sam Summi Pontificis in dogmaticis sanctio-
nibus à Concilio dependentiam arguere huius
superioritatis Papæ: quippe cum talis

dependentia in eo fundetur, quòd Concilium
sit repræsentans universalem Ecclesiam; ve-
luti Synodus Constantiensis adhuc acephala
suis Decretis præfixum voluit huiusmodi
titulum.

Verum ex hætenus deductis jam extat
demonstratum, Synodo acephala non com-
petere, esse Ecclesiæ Hierarchicæ, nisi mate-
rialiter quasi spectatâ, repræsentativam, ita ut
Ecclesiæ Hierarchicæ, seu Synodi, quâ Oe-
cumenicæ formalis denominatio & ratio, non
sit nisi ex caractere Christi Vicario Ponti-
ficæ potestatis proprio. Priusquam igitur
ista auctoritativa Christi vicaria forma ac-
cedat Concilio acephalo, nequit quidquam
habere de auctoritate Oecumenicâ. Huius
ulteriore demonstrationem accipe ex se-
quenti inductione. Duplex namque est Con-
cilij Oecumenici Matth. 18. per Christum
constituta præminentia. Una consistit ex
eâ, quæ Apostolis collectim sumptis, quâ Ec-
clesiam repræsentantibus, sicque in Concilio
Oecumenico aggregatis ibidem est promissa
indefinita ligandi & solvendi potestas. Quem-
admodum verò anima se habens, tanquam
principium formale respectu emanationis con-
naturalium potentiarum, ex ea profluentium
in corpus, nequit inferior, sed potius superior
dici debet isto, utpote quod in ordine ad il-
las se habet tanquam materiale, subitque ra-
tionem principij materialis & organici erga
rationales quoque animæ operationes, quæ
ex phantasiâ dependentes. Sic in Concilio
Oecumenico, quâ jurisdictionis illius univer-
salis per Christi Domini verbum susceptivo,
formale quasi principium ejuldem est charac-
ter Papæ, præferens Christi nomen vica-
rium, Synodi quâ Oecumenicæ formaliter
constitutivum: materiale verò est reliquum
Corpus Ecclesiæ Hierarchicum, consistens ex
Christiani orbis Prælati Ecclesiasticis, in u-
num cum Christi Vicario aggregatis. Num
igitur fas est dicere, istud Corpus, si acephalicè
spectetur, esse Papâ superius, vel potius Sum-
mus Pontifex respectu Concilij præcisivè ace-
phali major & superior nominandus est?

Septimo. Altera dein Concilij Oecume-
nici prerogativa consistit ex omnimodâ &
consummatâ in dogmaticis sanctionibus in-
fallibilitate. Hæc verò competit Concilio
non acephalo, sed pleno ac Oecumenico,
ut sic composito ex Capite ac reliquo Eccle-
siæ Corpore, per vicarium Christi Nomen
aggregato, quâ ambobus in unum veritatis
Divinæ sensum consentientibus. Quemad-
modum igitur capacitas redimendi genus hu-
manum, non poterat equidem convenire
Christi animæ separatæ, sed quâ unitæ cor-
pori, ita tamen, ut hæc capacitas per se primò
competeret Christo ratione animæ, corpore
ad eam se habente per modum organi, ma-
terialiter concurrente ad opus Divinæ re-
demptionis. Sic consummata in fidei dog-
matibus decidendis infallibilitas, neque soli
Papæ saltem quoad nos, neque Concilio ace-
phalicè considerato, sed plenè ac perfectè Oe-
cumenico competit, ita tamen, ut auctoritas

X y Pon.

superioritas
auctoritas
materialiter
formaliter
GVI
18.

22.

ex pag.
242. n.
42.

23.

ibi. n.
42.

20.

ca. 19.
247. n.
42. km

21.

Pontificia sit quasi *formale*, reliquum verò ex Episcopis aggregatum Ecclesiæ Corpus Hierarchicum, sit *materiale* constitutum Concilij quâ susceptivi consummata & ultimata in rebus Fidei definiendis infallibilitatis. In quantum ergo anima Christi in ordine ad opus redemptionis humanæ supereminet corpori, ad eandem redemptionem *passivè & materialiter* concurrenti: sic Papæ auctoritas, seu Concilij Oecumenici forma, prævalet reliquo Ecclesiæ intra Synodum Generalem aggregatæ, corpori Hierarchico, etiam in ordine ad participandam illam consummatam in sanctionibus dogmaticis infallibilitatis prærogativâ.

24. *Obavè.* Ad ipsissimam hanc prærogativam magis elucidandam, haud inepta est Novi ac Veteris Testamenti Sacerdotiorum sequens comparatio. In Antiquo namque Testamento Divina proferebantur Oracula tû ex Sanctuario, in quod Summo duntaxat Sacerdoti patebat aditus; juxta 16. cap. *Levit.* tum ex Rationali *Vrim & Thummim*, ornamento Summi Sacerdotis, quo pectus ipsius tegebatur, & cui inscripta erant ista verba: *Doctrina & Veritas.* Nunquid verò tale in fidei dogmatibus definiendis Oraculum Divinum præstò est Novi Testamenti Summo Pontifici, Petri successori, tum ex eo, quòd sit Petra, super quam fundata est Ecclesia, cui portæ inferi non prævalebunt: tum ex eo, quòd Christus pro Petro, ejusque adeo Successore rogavit, ne fides ipsius deficeret, sed in fidei veritatibus confratres suos confirmandi efficaciam obtineret? Ubinam verò talis præ eminentia in sacris Litteris habetur concessa Concilio *acephalo*? An non igitur Papa in hoc dicendus est præminere Synodo, sive *realiter*, sive *præcisivè acephale*?

25. Verùm de hoc *infra* differemus ex instituto. Interea dum in præsentem est sermo de consummata fidei, saltem *quoad nos*, omninò ultimata infallibilitate, subsistente in Papa, quâ consentiente cum reliquo Generalis Concilij Corpore Hierarchico: non importunè sequens efformatur argumentum. Nempe sicut Sacerdotis Summi in Antiquo Testamento de consulendis Divinis Oraculis, prærogativa non habebat in ipso locum, nisi quâ ingresso Sanctuarium, vel quâ consulente Deum per Rationale *Vrim & Thummim*, sic ea consummata circa fidei dogmaticas sanctiones infallibilitatis omnimodæ prærogativa competit Papæ intra Sanctuarium Concilij Oecumenici, quatenus scilicet cum isto consentit. Qui consensus, seu Papæ ad Concilium sub vicaria Christi auctoritate sua aggregatum accessus auctorizativus, est mysticum Rationale *Vrim & Thummim*, ex quo Deus ipse loquitur, faciens quodcumque petierint *Duo*, Caput scilicet ac reliquum Ecclesiæ Hierarchicum Corpus, pariter consentientia: quibus ut sic Christus cum Patre suo Eterno ac Spiritu sancto *infallibiliter* assistendo inspirat, ac edocet ipsos veritatem dogmatis, pro quâ firmandâ in unum sunt coadunata. Quamvis proinde Papæ intra Concilium sit infallibilitatis consummata præ eminentia

244.
n. 49.

major, quàm *secundùm nos* saltem (quandò Ecclesia aliud non definit) sit in solo Papæ, extra Concilium constituto. Quia tamen hæc ipsa prærogativa eatenus competit Concilio Oecumenico, quatenus in hoc Papæ auctoritas quasi *formale*, reliquum verò Hierarchicum Ecclesiæ Corpus est quasi *materiale*. Idcirco sicut anima non nisi quâ unita humano corpori, est capax gratiæ sanctificantis ex meritis Christi suscipiendæ, nequit tamen dici, quòd anima in ordine ad istam gratiæ sanctificantis capacitatem, dependens à corpore mortali, sit isto inferior, sed potius asserendum est, quòd anima super corpore competat superioritas; imò ne totus quidem homo potest dici habere superioritatem super animâ; sic licet Papa non nisi quâ conjunctus cum Concilio, per suam Christi vicariam auctoritatem aggregato, obtineat consummatam omnimodæ saltem *quoad nos* ultimata infallibilitatis prærogativam, quia tamen Papæ suprema auctoritas est *quasi formale*, Concilij quâ Oecumenici constitutum, nequit Concilium ejusmodi dici, habere *strictam* respectu Papæ superioritatem.

§. IV.

An ex regulâ fraternæ correctionis per Christum Matth. 18. institutâ evinci valeat Concilij Generalis supra Papam superioritas?

IN præsentem agendum nobis erit cum Tomato Abulensi, in *Defensorij sui part. 2. cap. 72. & 73.* tractante hæc Christi Domini ad Petrum etiam prolata verba: *Si peccaverit in te frater tuus &c. dic Ecclesiæ.* Nam primò Christus hoc dicebat Petro, dum quidem non erat adhuc Papa, illa ipsa tamen verba referebantur ad tempus, quo Petrus erat futurus Papa. At verò ex ipsdem Christi Domini verbis constat, Petrum remitti ad peccatorem incorrigibilem denuntiandum Ecclesiæ. Sub hæc verò Ecclesiâ intelligi Concilium Generale, probat præcitatus Abulensis cap. 70. Quòd si ergo Petrus quâ Papa esset major, quàm Concilium Ecclesiæ repræsentativum, non remitteretur à Christo ad Ecclesiâ, sed sufficeret, quòd sibi tanquam Papæ de delicto fieret denuntiatio, sicque id puniret; cùm judex superior nunquam remittatur ad inferiorem.

Verùm lubenter admittimus, illa Christi Domini verba; *dic Ecclesiæ*, referri ad Petrum pro eo tempore, quo erat futurus Papa, attamen si sacer ille textus confertur cum suo contextu, evincitur, Ecclesiæ nomine ibi venire Concilium Generale non *acephalicè* spectatum, sed quâ in *Nomine Christi*, adeoque *vicariâ* hujus auctoritate, Papæ inexistente, condunatum. Unde sit consequens, si peccator publicum Ecclesiæ sanctæ Bonum, sanctamque unitatem & pacem perturbet, peccati etiam in ipsum Papam utpote Oecumenicum Pastorem, cui Ecclesiæ Universalis cura incumbit. Dum Papa igitur tanto major nequit se solo efficaciter remedari, ipsius utique officio

scio incumbit, ut dicat id, seu denuntiet Ecclesie sive Concilio, Ecclesiam Universalem repræsentanti, minimè tamen subsistenti absque characteris sui vicarium Christi Nomen importantis concursu. Quæ proinde denuntiatio tunc minimè fit à Papâ quâ inferiore: quemadmodum etiam in processu capitalis sententiæ, juxta Imperij Romani normam, fit accusatio nomine Principis territorialis, qui tamen minimè dicendus est inferior suis subditis, judicij criminalis assessoribus, quâ collectum etiam spectatis, seu in commune Concilium ad criminale judicium coadunatis. Ea igitur denuntiatio Concilio Generali faciendâ per Papam, huic competit, quâ supremo Ecclesie Principi. Et licet in ultimâ dogmatis sententiâ Papa non procedat, nisi unâ cum Concilio, quippe cum duos, nempe Caput ac reliquum Ecclesie Hierarchicum Corpus, oporteat, juxta sacrum contextum, consentiendo in unum concurrere, ut omnimoda & consummata stet dogmatis, Universam Ecclesiam constringentis infallibilitas. Et hinc dicere licet, Concilium Oecumenicum, quâ ex Capite simul ac reliquo Ecclesie Corpore Hierarchico indivisim subsistens, infallibilitatisque consummata & ultimâ prerogativam obtinens, importare aliquam majoritatis excellentiam, de quâ non æquè certum ac definitum fidei dogma est, consistere in solo Papâ. Nihilominus ista majoritas, cum ipsam etiam Papæ auctoritatem, seu formale Concilij quâ Oecumenicum constitutum complectatur, minimè importat strictam Concilij non jam *acephali*, sed plenè Oecumenicum super Papâ superioritatem; velut multoties ostensum est in antecedentibus.

Secundò ex Christi verbis superius adductis Auctor præallegatus denuò contendit, inde elici, quòd Ecclesia, seu Concilium, non solum in pertinentibus ad fidem judicet de statu Papæ, sed etiam in pertinentibus ad mores & crimina. Quando namque dicitur Papa, esse subiectus Ecclesie Universalis Matri suæ, cujus vicem plenè tenet sacrum Generale Concilium, aliquid non secundum Deum, sed secundum hominem favere volentes Pontificibus, constituendo eos quasi Deos impeccabiles, perperam distinguunt, dicendo, Papam in his, quæ sunt fidei, esse Concilio subiectum: sed in alijs delictis soli Divino relicto esse arbitrio, ita ut nemo mortalium, ne quidem Concilium Generale, ipsum judicare possit, juxta Cap. Si Papa. dist. 10. Quæ tamen assertio videtur refragari auctoritati Christi Domini, ex quâ evincitur, Papam subijci judicio Generalis Concilij non solum in pertinentibus ad fidem, sed etiam in tangentibus actiones morales: quia in lege de correctione fraternâ Christus subiecit Petrum Ecclesie, quæ est Concilium Generale, & tamen lex de correctione non solum habet locum in peccato hæresis, sed in omnibus alijs delictis, sicut tota observat Ecclesia.

Verum si Papa deficiat à fide, cur Concilio ex solis etiam Episcopalis Jurisdictionibus aggregato subijciatur, in promptu est

ratio, quòd ejus persona, utpote per hæresim avulsa ab Ecclesia, jam nequeat esse hujus Caput, nec adeò processui adversus ipsum faciendò obistere possit character Pontificius; ex quo subsistit ejus supra Concilium *acephalum* præminentia. Imò si vel Papa dubius sit, dum character Papalis Episcopalibus jurisdictionibus supereminens, secundum prudentialem credibilitatis evidentiam non patet, nec adeò constare potest esse exemptus à jurisdictionibus Episcopalibus in unum *acephalum* Concilium collatis, jam præsumendus est hisce subesse, atque adeò contra ipsum procedi potest in tantum, ut pro Ecclesie Bono perinde decerni queat, ac si nulla præterit Papatus in ipso habenda esset ratio. At verò si certa sit Pontificia dignitas, quomodò adversus istam ratione cujuscunque sceleris procedere fas erit, ita, ut dum est certum Ecclesie Caput, adversus ejus personam auctoritativè decernatur, sitque ex correctionis fraternæ censurâ perinde habendus ac Ethnicus, id est, ab Ecclesia avulsus? Quomodò enim inter se cohærere possent, esse verum adhuc & certum Ecclesie Caput, & tamen reputandum esse ad instar membri ab Ecclesie Corpore abscissi?

Tertiò Abulensis præcitatus ulterius ita argumentatur. Secundam correctionis fraternæ regulam tam Papa pro denuntiatione peccatorum contumacium, quam quilibet Christianæ fraternitatis confors remittitur ad Concilium pro ipsius etiam Papæ peccatis denuntiandis; quippe cum ipse sit Frater omnium fidelium. Ergo actionum quoque moralium peccata in Papâ possunt judicari per Generale Concilium. Et sic factum est sæpe antiquitus, ut patet in B. Damaso Papa, qui accusatus de adulterio, coram Concilio Generali, cum quadraginta quinque Episcopis se purgavit. Sic etiam Symmachus Papa tempore Regis Theodorici in Italia regnantis, coram S. Synodo est purgatus, & ita de multis alijs Pontificibus legitur in horum gestis & historiâ B. Damasi, ac sæpe in *Decretis 2. quæst. 5.* Ad quod facit etiam *Capit. 11. octava Synodi Oecumenicæ*: ubi sic habetur, *Universalis Synodus cum convenienti reverentiâ quamlibet quæstionem de Romanâ Sede exortam audire tenetur, & in ea proficere, non tamen audacter sententiam in Romanum Pontificem dicere.*

Verum consideratu dignissimum hîc occurrit, quomodò in primis ex Christi circa correctionem fraternam præscripto, Papa remittatur, ad contumacem Ecclesie, id est, Concilio Generali denuntiandum? An hæc remissio fiat in vi indefinitæ Concilio Generali quâ Oecumenico, sicque per Papæ characterem informato competentis, *Matth. 18.* descriptæ, ad ligandum & solvendum potestatis? At non minùs universalis ac incircumscripita noscitur ex *Matth. 16. cap. ligandi & solvendi potestas* Papæ convenire. Quid ergo ex hac parte specialis inesset utilitatis illi, ad Concilium Generale per Papam deferendæ peccatoris contumacis denuntiatio-

Pag. 253. 254. 255.

30.

Pag. 254. 255. 256.

31.

Monitas
GVI
18.

ni, dum solitaria etiam Papæ auctoritas æquæ ac Concilij Generalis potestas prævalere potest ad contumacem ab Ecclesiæ communiōne avellendum, ita ut instar Ethnici sit propterea habendus? An fortè contumacis peccatoris ad Concilium Generale remissio per Papam facienda est, tanquam ad Tribunal superius, in causa facti, ut scilicet delicti veritas per processum *judicarium* indagetur, sicque pœnæ condignæ subijciatur, & ulterius non devolvatur? At quid utilitatis in hac quoque remissione interveniret, dum quæ Concilio Generali quæ *formaliter* Oecumenico est concessa *judicaria* suprema potestas, unice fundatur in illâ *indefinitâ* ligandi & solvendi auctoritate, cui ex paritate verborum noscitur compar Papæ etiam *solitariè* spectato competere æquæ universalis ligandi ac solvendi potestas? Altior igitur quædam ratio indaganda est, propter quam Papa remittatur ad contumacem peccatorem denunciandum Ecclesiæ, sive Concilio Generali.

32. Pro quarto igitur ratio hæc ex sequenti eruenda est fundamento. Nempe ubi peccator Papæ correctioni, ejusque Decreto contumaciter resistendo, dignoscitur reus vel aperta, vel plusquam probabilis hæreseos, tunc ne in Ecclesiæ ac Religionis sanctæ publicum detrimentum cedat ejusmodi pertinacia, opus est, eam percelli ac reprimi per Ecclesiæ seu Concilij Generalis publicam & auctoritativam censuram. In quo rei statu contumacia non tam *quoad processum facti*, quam *quoad decisionem juris* fidem ipsam contingentis, dogmaticamque ex fide definitionem publicam efflagitantis, per Papam refertur ad Oecumenicam Synodum; non ideo, quod ipse Papa seu Petra, super quam est ædificata Ecclesia, non habeat etiam dogmatis ex fidei principijs *auctoritative* decisivam potestatem, sed quod certior adhuc *secundum nos* sit fidei regula ex definitione Generalis, quæ per Papam tamen informati ac per ejusdem consensus firmati Concilij. Quam tamen Synodi Generalis quæ Oecumenicæ, & per Papam confirmatæ majoritatem, nullatenus inferre aliquam super Papa *proprie dictam* superioritatem, liquet ex *antecedentibus*.

33. Quinto. Quando proinde Abulensis in suo præsentis argumento ex Christi de correctione *fraternâ* verbis prætextit: *Papam eatenus etiam remitti ad Concilium Generale*, quatenus ipsius, utpote fratris peccata, hæresin licet non redolentia, debeant ad ejusmodi Synodum deferri. Ad hoc responso in promptu est. Dum enim nullum Papæ peccatum est intelligibile, quod sub peccati reatu sit profluens ex Papali auctoritate per Christum institutâ, sed ex personâ hujus potestatis per Christi ordinationem particeps, ut sic communicante cum fidelibus universis, tam in gratiæ & charitatis sanctæ, quam in Religionis etiam publicæ, Ecclesiæque Orthodoxæ communicatione: quis jam neget, Papam ut sic esse Fratrem Christi fidelium, adeoque non ut Papam, sed quæ Christianum hominem subesse correctioni *fraternâ* per Christum *Matth. 18.* in-

stituta? Quid ergo? Si Papa quæ peccator, sicque adeo quæ homo privatus, *secretè*, vel etiam *coram testibus privatim* à viro ad hoc idoneo secundum præceptum Evangelicum correptus, se non emendet, sed Ecclesiam publicis peccatis suis scandalizare *protervè* pergat; an nefas erit, ipsum deferri ad Concilium etiam *acephalum*, ut ab eo acriori verborum reprehensione castigatus, ad melioris vitæ frugem reducat? Sed ubi nec ista reprehensio & correctio verbalis profecerit, dum in fide non defecit, Ecclesiæque proinde membrum & Caput permanet, *indefinitâ* adeo ligandi, super *quodcumque* ad Regnum celorum ordinabile *morale* protensâ præfulgens potestate: quomodo tunc Concilium Generale (cui non nisi quæ Oecumenico, ipsum adeo Papam involventi, pariter *indefinitâ* solvendi & ligandi auctoritas competit) adversus ipsum stringere poterit virgam coercitivam?

Hoc ipsissimum est, quod ex *Cap. 11. o-
dava* Oecumenicæ Synodi *superius* adducto habetur, quod scilicet Generalis Synodus in Romanum Pontificem haud potest *audacter* proferre sententiam: talis namque audacia prorsus interveniret; si virga coercitiva stringeretur adversus potestatem *indefinitâ* ligandi & solvendi auctoritate *dotatam*, cujusmodi auctoritas ex *Matth. 16.* noscitur in Papâ, non autem in Concilio *acephalo*, sed plene Oecumenico habere locum, velut eruitur ex *Matth. 18.* Si equidem Pontifex sponte suâ & voluntariè uti peccatorem, atque adeo quæ hominem privatum (uti fit etiam in *foro confessionali*) se subijciat Concilio, merito istud procedet ad quævis salubria, ac emendationi procurandæ congrua remedia, absque ulla tamen *judicariâ coercitivâ* *fori externi* propriâ auctoritate, utpote haud potente constringere illum, cui, quamdiu hæreticus non est, inamissibiliter inest *absoluta* & *indefinita* solvendi potestas. Et hinc à fortiori potest Papa ut subsidio Concilij Generalis, ad famam inique sibi ereptam, Ecclesiæ Bono, ac regimini perquam necessariam reparandam: in quo tamen actu nulla erga Papam, sed hoc ipsomet etiam concurrente, suamque auctoritatem Synodo pariter impertiente, erga ejus iniquos diffamatores exercetur jurisdictionis.

Pro quo magis elucidando fingamus pro sexto Concilium aliquod Generale, quod eo ipso, dum est *acephalum*, nequit *formaliter* Oecumenicum esse, adversus Papam non hæreticum, nec adeo jure *Divino* non depositum, vel etiam non dubium, nec adeo Episcopalibus ob Ecclesiæ Bonum publicum in unum congestis jurisdictionibus subditum, eò utique procedere, ut in ipsum ab Ecclesiâ agnitum verum Papam, stringat Excommunicationis censuram, Ethnici adeo statu condignum eum decernens: quid efficacis, seu vis constringentis, poterit in tali sententiâ reperiri, dum ipsemet Papa ejusmodi sententiam evacuare, imò omni prorsus valore delictam, adeoque nullam, ex sua Oecumenicâ aucto-

Cir.
pag.
234.
n. 18.
c. 19.

auctoritate declarare, ac iudicē pronuntiare valet? Nam eo ipso, quod de fide sit, Papæ ab Ecclesiâ recepto, competere claves Regni caelorum, cum indefinitâ super quocunque in Regnum caelorum ordinabili morali potentia solvendi & ligandi potestate; eviderter redditur manifestum, quamcunque Concilij *acephali* adversus Papam quomodocunque latam sententiam posse ex vi illius Oecumenicæ auctoritatis enervari à Papâ, imò nullam, omniq̃e constringente efficaciam prorsus destitutam, *iudicē ac judicialiter* pronuntiarī. Sicut ergo ex fidei principijs evincitur, nullam Generalem *acephalo* Concilio esse vim & auctoritatem, suis sententijs *iudicis* constringendi Papam, sic ex eisdem fidei principijs eviderter confutatur Concilij Generalis *acephali* supra Papam auctoritas.

Hoc ipsissimum principium pro *septimo* firmatur ex unanimi consensu Conciliorum, feriorum Pontificum, SS. Patrum, ac Theologorum concorditer asseverantium, Romanam Sedem, sive Papam à nemine, nec quidē à toto Clero iudicari posse, eò quod Papa Vicarius Christi sit super universam Ecclesiam Christianam, ejusq̃ue auctoritas præcellat Concilio, possitq̃ue adeò ab omnibus appellari Romana Sedes, nec ulla sint rata Concilia, quæ non sunt supra Apostolicam auctoritatem. In hunc sensum locuti sunt Patres Concilij Nicæni, juxta ejusdem *Canonem 39.* nec non Patres Concilij Sinæssani, *juxta ejusdem Acta.* Patres insuper Concilij Romani sub Synacho Papa, Patres etiam Synodi Romanæ sub Leone III. Patres *obava* Oecumenicæ Synodi sub Adriano II. Pontifice. Patres Concilij Lateranensis sub Leone X. Similia sunt, quæ scripserunt Anacletus Papa & Martyr, Julius Papa, Gelasius Papa, Nicolaus Papa, Palchalis & alij. Ultra SS. Patres seorsim scribentes in hoc concordant, Patres Concilij Oecumenici Sardicenis sub Julio Papa, Patres Concilij Chalcedonenis Oecumenici sub Leone Papa, & Patres Concilij Nicæni II. sub Adriano I. Papa. Ex Canonibus & Theologis pariter sentiunt Ivo Carnotensis *Epist. 81.* B. Augustinus Triumphus *de potestate Papæ quest. 6. art. 1.* S. Bernardus *Epist. 113. & lib. 3. de considerat. cap. 2.* S. Thomas Aquinas *in 4. distict. 19. & alibi.* S. Antoninus *tract. 22. p. 3. cap. 6. §. 19.* S. Bonaventura *in 4. dist. 19. & de Cælesti Hierarchiâ parte 2. cap. 1. & Alexander A-lensis p. 3. q. 40. membro 2.*

Regrediendo ad Tostatium Abulensem opponi potest pro *obavo*, Ex fundamentis Evangelicis *Matth. 18.* traditis apparere, Christum reliquisse in Ecclesiâ unum tribunal supremum, quod de omni homine haberet judicare, & istud esse Concilium Generale, Universalem Ecclesiam sufficienter representans. Quod Tribunal esse impeccabile, nec ullatenus errare posse in his, quæ sunt de necessitate salutis, & ob hoc pertinere ad ipsum, judicare ac determinare *ultimatè* de omnibus dubijs tam in fide, quàm in actionibus *moralibus*, & post ejus determinationem non licere alicui fidelium resistere,

quia manifestè Divino iudicio resisteret. Verum libenter damus, Concilium Generale non quâ *acephalum*, sed quâ *formaliter* & *completè* Oecumenicum, ipsummet adeò Papam includens, esse ultimum in Ecclesia Tribunal, circa fidei, aut morum sanctiones dogmaticas pronuntiare potens. Eo ipso tamen, quod hujus sancti Tribunalis quasi anima & forma sit Papæ auctoritas Oecumenica, neque illius iudicium definitivum, seu sententia *ultimatè* decisoria subsistat, nisi ex Papæ cum Concilij suffragijs majoribus consensu auctorizativo: idcirco nequit respectu Papæ aliquam præferre strictè superioritatis præminentiam, uti multoties ostensum fuit.

Pro *nono* replicabit quis ex Abulensi *præcitato cap. 72.* Ipsummet Petrum actibus suis ostendisse, quod Concilium Generale ipso esset majus, quia subibat mandata Generalis Concilij, dum scilicet Apostoli & Seniores, qui erant congregati in Jerusalem, & faciebant Generale Concilium, audientes, quod Samaria recipiebat verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Joannem. Unde manifestè patet, Concilium putasse, quod sibi liceret mandare Apostolis illis, neque hi resistebant, sed suscepto mandato Congregationis, mox iverunt illuc; veluti patet *ex Actorum 8. cap.*

Verum responsionis loco ex Adversarijs sciscitari lubeat. Num ex eo, quod Deus Pater in mundum miserit Filium suum Unigenitum, coarguere ausing, Patrem esse Filio majorem ac superiorem? Hæc namque missio non respiciebat præcisam Christi humanitatem, sed ejusdem personam in æternitate genitam à Patre, & in tempore vi causalitatis à Patre & Filio, ac Spiritu S. *indivisibiliter* prodeuntis unitam. Nequit ergo ex illa missione ullatenus coargui personam mittentis supra personam missam auctoritas. Quare nec ex eo, quod *Actorum 8.* Petrus sit à Concilio Ierolimmitano missus Samariam, inferre licet hujus supra Petrum superioritatem. Nunquid enim inter ipsos etiam homines, quæ in unum seu politicum, seu Hierarchicum corpus coadunatos, alia datur missio *auctoritativa* & *præceptiva*, alia verò *excitativa* vel officij in Majore etiam existentis, vel charitatis vigentis inter superiores & subditos, vel etiam inter coæquales? Petrus igitur mitti potuit à Concilio, tum excitando ejus officium Pastoralis curæ Oecumenicæ, tum ejusdem charitatem, exercendam erga conversos Samaritanos.

Pro *decimo* ex eodem Abulensi urgere licet. Quando Petrus se subtrahebat à Gentibus, & cum ipsis non manducabat de cibis communibus, sed cæperat observare Legalia propter quosdam, qui erant de circumsione: propter quam dissimulationem scandalizabantur Gentiles, putantes, se teneri ad observanda Legalia; tunc Paulus increpuit Petrum, qui tacendo, non se oppoluit tali increpationi; sed ubi per Concilium Generale fuit factum decretum de conversis gentilibus non adstringendis ad Legalium observantiam, prorsus acquievit Petrus, credens se subditum

Concilio
GVI
186

Concilij determinationi ac statuto.

41. Verùm disquirere denuò liceat ex Adversarijs. Num Concilium Ierosolymitanum prohibuerit etiam *materialem Legalium usum* Oppositum sanè liquet ex *cap. 15. Actuum*, ubi Gentilibus ad fidè convertis non quorumcunque Legalium *materialis* usus interdicebatur, sed abstinentia duntaxat à suffocatis & sanguine. Ex sacro igitur contextu liquet, Decretum Concilij Ierosolymitani unicè fuisse intentum ad condemnandam hæresin Pharisæorum contendentium, oportere, Gentiles convertos circumcidi, & servare legè Moysis. Usus igitur *materialis* Legalium non erat interdicitus Apostolis, siquidem Paulus etiam talem aliquando adhibebat usum *materialem* Legalium, ex altiori scilicet cujuscumque rationis motivo. Neque verò Petrus sub formalitate hæresin sapiente, quasi Legalia sub *formali* Mosaicæ legis obligatione essent de præcepto, unquam obstringebat gentiles convertos, vel ipsos etiam Judæos ad talem *formalem* usum Legalium inducebat. Quare Petrus nihil unquam faciebat, quod pugnabat cum Decreto Concilij Ierosolymitani. Imò ipsissimum istud Decretum ex Oecumenicâ Petri auctoritate Apostolicâ ordinariâ, seu sui formâ habebat firmitatem, cui ipsemet Apostolorum Princeps meritò se conformaret ob Divinæ comprobationis ex Concilij, unâ & Oecumenicæ suæ auctoritatis consensione subsistentis, ab omnibus Christi fidelibus, ipsomet etiam Ecclesiæ Capite, *religiosè* observandæ reverentiâ; uti hæc patent ex antecedentibus.

42. Sed pro undecimo excipiet quispiam. Quo igitur jure Petrus in *Epistola ad Galatas* dicatur reprehensibilis, dum suo exemplo inducebat Gentiles convertos ad Legalium usum *materialem* duntaxat? Hoc exaggerans Maymbourgus in *sua Historia Ecclesiasticâ cap. 7. fol. 62.* istanc facit argumentationem prorsus execrabilem. Dum Paulus in *sua ad Galatas Epistola* ob prædictam causam dicit, Petrum fuisse reprehensibilem: vel in hoc dicit veritatem, vel falsitatem. Si hoc posterius dicatur, erit consequens, quòd *Epistola ad Galatas* non sit Verbum Dei. Si illud prius asseratur, sequitur, Petrum non fuisse infallibilem, nec Paulum pro tali eum reputasse.

43. Verùm si textus Græcus *Epistola ad Galatas*, ad stipulante etiam Syro, consulatur; liquet inde, Petrum non dici à Paulo reprehensibilem, sed reprehensum à Fratribus, qui hoc Petri factò offensus fuerant, quòd ignorassent Petri causam & mentem. Juxta has igitur versiones Petrus ex Legalium usu *materiale* ne venialis quidem culpæ reatum contraxerat, utpote qui non tam in se reprehensibilis, quàm ab alijs per ignorantiam reprehensus, juxta Pauli assertionem, habendus esset. Sed posito & concessio, Petrum in Gentilibus ad judicandum suo exemplo inducendis, culpæ reatum contraxisse, hic tamen reatus neque cum *fide*, neque cum istius confessione debitâ ullatenus pugnabat, siquidem Pe-

trus eo modo *formalem* Mosaicæ legis proprium Legalium usum, seu horum ex necessitate salutis obligationem nullatenus vel docuerit, vel crederit, & ideo Maymbourgus ineptè fuit hinc argumentatus adversus infallibilitatem non tam Petri singularis personæ, quàm Cathedræ ipsius Apostolicæ per Divinam pollicitationem solidatâ repromissam. Quare tota reprehensionis causa in Petro, si verè fuit reprehensibilis, reduci debet ad Gentilium, ex ignorantia quasi invincibili obortam offensionem: quæ tamen offensio minimè poterat Petro imputari, ad reatum saltem mortiferum, dum actio ipsius sanctæ intentionis, & causæ rationabilis motivo eatenus fuerat vestita, ut ea Gentilium offensio seu scandalizatio non tantùm à Petro non fuerit prævifa, sed propter sanctæ honestatis rationes nequaquam imputanda, nisi fortè sub aliquâ subreptionis, fidem minimè contingentis culpâ veniali.

S. V.

Papæ supra Concilium acephalum superioritas demonstratur ex Oecumenicâ & indefinitâ Matth. 16. Petro repromissâ ligandâ & solvendâ auctoritate.

PRIMò. Videtur equidem, primâ statim fronte opponi posse, quòd *Matth. 18. vers. 18.* æquè *indefinita* ligandâ auctoritas sit Divinitus promissa Concilio. Nequit ergo, quæ *Matth. 16.* Petro est commissa auctoritas Oecumenica, importare aliquam super Concilio superioritatem. Verùm ex *Matth. 18. cap.* integro contextu inter se collato constat, illam *indefinitam* ligandâ & solvendâ potestatem, quæ Apostolis Ecclesiam representantibus, adeoque *collectivè* sumptis, seu in Concilio aggregatis fuit repromissa, reduci ut sic in Ecclesiam. At Ecclesia intelligibilis non est sine Capite. Nequit ergo ea auctoritas ullatenus competere *acephalo* Concilio.

Pro secundo igitur, faciendo comparationem inter Papam & Concilium *acephalum*, ita licet in præsentia argumentari. Nempe auctoritas Oecumenica Petro *individualiter* ac determinatè *Matth. 16.* promissa, protenditur *super quocunque* in terris subsistente *moralis* ad Regnum Cælorum, Ecclesiam scilicet militantem & triumphantem ordinabili. At sub isto *quocunque* continetur utique omnimoda Episcopalis Jurisdictionis, tum quoad *actuali* sui collationem, & proximè ad regendam certam Diocæsin potestatis æstuationem, tum quoad sui *moralis* omnimodum exercitium. Nequit ergo in Concilio *acephalo* præter characteres Episcopales *immediatè* à Christo promanantes, & in hisce radicatas, adeoque *radicales* duntaxat, ad regendum Dei populum potestates, non nisi per Summum Pontificem in statum *actualis & proximæ* jurisdictionis reducibiles, quidquam reperiri, quod sub illo *quocunque* ad Regnum cælorum ordinabili *moralis* non sit contentum;

tum: super quo adeo emineat Papæ Oecumenica auctoritas & superioritas.

46. Pro tertio excipient fortassis Adversarij. Illa verba: *Tibi dabo claves Regni cælorum*, non ad solum Petrum, sed ad Apostolos universos dicta esse, sive respicere Petrum non in se solo spectatum, sed quæ totius Ecclesiæ figuram gerentem; uti passim tradit S. Augustinus. Ergo illam clavium potestatem attribuendam esse toti potius Ecclesiæ, quam Petro solitariè sumpto. Unde in *Decretis causâ 24. q. 1. cap. 6.* sic haberi: *Quando Petrus accepit claves; Ecclesiam sanctam significavit.*

47. Verùm quæ S. Augustinus tract. 124. in Joannem circa medium. fultus ac eleganter hanc in rem disseruit, ad istam reduci possunt formam syllogisticam. Nempe id, quod per proprietatem in Christo est Petra, hoc per significationem est Petrus in Petrà: atque adeo sub ista significatione intelligitur Christus ita esse Petra Ecclesiæ, ut hæc sit in Christo per proprietatem Capitis absoluti ac primarij, Petrus autem sit Ecclesia per significationem, seu figuratam duntaxat Capitis Vicarij repræsentationem. At istis ad Petrum prolatis Christi verbis; *Tibi dabo claves Regni cælorum*; & Ecclesia fundata in Christo, ab hoc clavium regni eatenus accepit in Petro, quatenus per hunc significatur, sive repræsentatur Ecclesia, propter Apostolatûs sui primatum; uti loquitur præcitatus S. Augustinus. Quia igitur Ecclesia accepit claves Regni cælorum in Petro, propter Apostolatûs sui primatum, manifestè sequitur, claves Regni cælorum in Petro ita esse datas Ecclesiæ, ut in Petro esset talis potestas, tanquam in Principe, seu Capite, sive Præposito universæ Ecclesiæ; uti apertis verbis loquitur is S. Doctor lib. quest. Veteris & Novi Testamenti. Item lib. 2. de Bapt. contra Donatistas cap. 1. Quandoquidem ergo Concilium acephalum, quantumvis Generale, sit destitutum tali Capitali præminentia, cui annexa est clavis Regni cælorum, Ecclesiæ in Petro eui Principe suo concessa, hujus verò indefinita auctoritas protendatur super quocunque ad Regnum cælorum in terris ordinabili morali: neque verò Episcopi in Concilio acephalum præter characteres Ediscopales quidquam congerant, quod non sit contentum sub illo quocunque: manifestum hinc redditur, Papæ eui Capiti & Principi Ecclesiæ competere Oecumenicæ auctoritatis super tali Concilio superioritatem.

48. Pro quarto replicabit fortassis aliquis Adversariorum. Nullibi haberi in sacris Literis expressum, quod illa indefinita super quocunque in terris morali, Ecclesiæ in Petro concessa clavium potestas, transferit in Petri successores; nec adeo horum super Concilijs etiam acephalis superioritatem evinci ex illo sacro textu.

49. Verùm esto, sub ijs formalibus verbis non haberi expressam Romanorum Pontificum in ea clavium potestate successionem: sub ijs tamen eatenus continetur virtualiter, ut includabiliter inde eruat, Etenim illa

Christi verba: *Tibi dabo claves regni cælorum*, diriguntur determinatè ac demonstratè ad Petrum. Illa ipsa autem verba, secundum clarum sacri contextûs tenorem, sunt à Christo prolata sub connexionè ad præcedentia: *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Unde planum est, illam potestatem Petro promissam, esse connexam cum Ecclesia per Christum fundatâ. At potestas connexa cum statu Ecclesiæ per Christum fundatâ, durare debet, quamdiu talis Ecclesiæ status subsistit. Eo ipso autem, quod Christus Dominus promiserit, adversus Ecclesiam à se fundandam portas inferi non fore prævalituras, sequitur, Ecclesiæ hujusmodi statum fore perpetuum, adeoque duraturum usque ad extremi judicij diem. Oportet igitur, secundum Christi Domini verba, illam indefinitam & universalem ligandi ac solvendi potestatem non expirâsse in Petro per martyrium in cælos sublato, sed perpetuò duraturam esse usque ad diem judicij. At potestas cum Ecclesiæ statu perpetuo connexa, atque adeo perpetua, secundum ipsam rei naturam ita transit in successores, ut isti cum suo antecessore reputentur una persona, non quidem materialiter, sed quoad formalem potestatem officij pastoralis. Manifestum proinde hinc evadit, secundum Christi Domini verbum, in Ecclesiâ talem esse successionem, vi cujus perpetuò persistat illa Divinitus promissa Petro, indefinita ligandi ac solvendi potestas, omnimodam adeo respectu Ecclesiæ cunctis Christi fideles complectentis, judicariam, & legislativam auctoritatem importans.

Hinc pro quinto patet discrimen ac differentia inter Petri ac reliquorum Apostolorum auctoritatem Apostolicam. Nam universis quidem Apostolis Christus contulit *Ioannis 20.* æqualem potestatem, eamque amplissimâ, prout indicant ejusdem Domini nostri verba *Ioannis 20. cap. dicentis: Sicut misit me vivens Pater, & ego mitto vos Nihilominus hæc ipsissima vox misse... significat, Apostolicæ auctoritatis sublimitatem ibi concessam fuisse per modum Legationis duntaxat; prout D. Paulus 2. Corinth. 5. vers. 20. indicat: Pro Christo, inquit, Legatione fungimur. Unde idem Paulus ad Ephesios 6. v. 20. ait, pro quo (scilicet Evangelij mysterio) Legatione fungor. Atqui ex ipsa natura Legationis constat, eam non esse perpetuam, seu ad Successores transferibilem, sed industriam personæ, cum quâ cohareat, esse in ea electam. Illa igitur plenitudo Apostolicæ auctoritatis expiravit cum personis reliquorum Apostolorum: nec nisi ex Petro subsistere potest successor clavium Regni cælorum; uti superius fuit ostentum.*

Nec obstat: quod Episcopi dici soleant successores Apostolorum. Hoc enim accipi non potest de illâ delegatâ Apostolis communi auctoritate Apostolicâ: sed in Episcopis est talis successio quoad Ordinis duntaxat Episcopalis characterem, & huic insitam potestatem, adeoque radicalem solummodò Pastoralis officij propriam Jurisdictionem, non verò, quoad actualis Jurisdictionis potestatem proximam.

mam. Hanc enim accipiunt Episcopi à Summo Pontifice in partem pastoralis sollicitudinis eos vocante: quemadmodum in Sacerdotibus etiam simplicibus est quidem potestas absolvendi à peccatis, quoad characterem Ordinis sacerdotalis, & radicalem in hoc importatam super peccatis ac peccatoribus, suam Confessionis sacræ Tribunal accedentibus, jurisdictionem, quæ tamen proxima & actualis à peccatis absolvendi potestatis denominationem subire non potest, nisi per facultatem Episcopi, seu ex concessione Papæ actualiter conferatur.

52. Sicuti ergo Sacerdotes, quoad istam à peccatis absolvendi potestatem, quæ in characterem Sacerdotali radicatum, sunt ipsorum etiam Apostolorum successores, non tamen absolute, sed limitate ac restrictivè: sic Episcopi quoad illam regendæ Ecclesiæ potestatem radicalem, non absolute dici queunt Apostolorum successores, sed cum præinsinuatâ limitatione jurisdictionis in Episcopali characterem radicata, non nisi per Summi Pontificis collationem actualis. Et hinc Episcopi ne quidem in Concilio aggregari, absque interventu Romani Pontificis præferunt characterem Oecumenicæ Apostolicæ jurisdictionis erga universam Ecclesiam protensæ, qui character est Synodi Generalis quæ Oecumenicæ formaliter constitutivus. Quia proinde iste character deficit in Concilio *acephalo*, ex meris jurisdictionibus Episcopalibus coacervato, ideo ad tale Concilium haud pertinent Christi promissiones, Concilio Oecumenico factæ de indefinitâ solvendi ac ligandi potestate, eique connexâ in rebus fidei infallibilitate. Cum igitur e contra tales præeminentiæ sint in Papâ, cujus Oecumenica auctoritas protenditur super universas Episcoporum in Pastoralis sollicitudinis partem vocatorum jurisdictiones: manifestè hinc evincitur Papæ supra Concilium *acephalum* majoritas ac superioritas.

S. VI.

In quo fit continuatio argumenti proxime deducti ex Joannis 21. cap. v. 15. 16. & 17.

53. *Primum.* In hoc sacro textu legitur Christus præ cæteris Apostolis definitè ac determinatè Petro contulisse Oecumenicum Pastorale officium, dicendo: *Pasce oves meas, pasce agnos meos.* Indubitatum namque est, Christum proferendo ista verba, non tantum secundum Divinitatis contuitum, sed etiam secundum Humanitatis visionem beatificâ, in Verbo Eterno, seu in Prædestinationis Divinæ Decreto, imò secundum scientiæ quoque infusæ notitiam, distinctè complexum fuisse universas Oves suas & Agnos in unam Ecclesiam pro hujus perpetuo statu aggregandos. Quod si proinde Oecumenicum pastorale munus, ultra Petri personam ex Christi Domini institutione non fuisset protensum, minimè potuisset completi universas Oves & Agnos in unam Christi Ecclesiam pro perpetuo hujus usque ad finem mundi propagando statu co-

dunandos & adaugendos. Oportet igitur; Oecumenicum illud pastorale officium commissum fuisse Petro cum ordine successione per Christi institutionem duraturæ usque ad finem mundi. At verò in antecedentibus ostensum fuit, sub illis Christi verbis, id *pasce* perinde sonare, ac id *regere*. Quare id Oecumenicum pastorale munus Petro, ejusque successoribus à Christo commissum, importat auctoritatem gubernativam, protentiam super universis Christi Ovis & Agnis, pro perpetuo Ecclesiæ militantis statu exituris. At in Concilio quantumvis Generali, sed *acephalicè* spectato, quid, nisi Oves seu Agni Christi conveniunt, nempe Episcopi ex universo Christiano Orbe convocati? Hi verò secundum mentalem à Capite suo, Petri successore, præisionem, sub quâ intelliguntur conficere Conciliū *abstractivè acephalum*, nullâ potiuntur auctoritate, nisi Episcopali in unum collatâ, ad curandum publicum Ecclesiæ bonum. At qui Episcopalis jurisdicção ab ipsomet Summo Pontifice in Episcopos ad suæ pastoralis sollicitudinis partem vocatos derivata, non potest non semper manere subiecta Pontificiæ auctoritati, sicut ipsi etiam Episcopi, quæ Christi Oves seu Agni extrahi haudquaquam possunt à sphaera Oecumenici Petro, ejusque successoris commissi pastoralis officij. Quia igitur in ejusmodi quatumvis Generali Episcoporum Concilio *acephalicè* spectato, sive in Episcopalibus ex toto Christiano Orbe in unum collatis jurisdictionibus etiam *collectum* sumptis, per sacras Scripturas, nulla est assignabilis præeminentia alicuius supra Papam majoritatis: è contrario autem præadductus sacer textus confert Papæ prærogativam, supereminentem omnimodæ jurisdictioni Episcopali, atque suâ gubernativâ auctoritate Oecumenicâ completentem cunctos totius Orbis Episcopos, manifesta hinc redditur Papæ supra Generale, *acephalicè* spectatum Concilium superioritas.

Pro secundo excipient fortassis Adversarij. Sub ipso Concilij Tridentini statu fuisse concertatum: an sub illis Christi verbis: *Pasce Oves, seu Agnos meos*, illi *collectum* etiam sumpti, non verò in sensu duntaxat *distributivo* sint contenti sub Oecumenicæ Papæ officij Pastoralis sphaerâ gubernativâ? Necdum igitur ex illo sacro textu liquidum reddi, quod Episcopi ex Christiano Orbe in unum collecti, ut sic Concilium Generale, saltem *abstractivè acephalum* conficientes, subdantur Papæ auctoritati Oecumenicæ, ut propterea adstruenda sit Papæ supra Concilium ejusmodi superioritas.

Verùm Christus sub illis ad Petrum protentis verbis: *Pasce Agnos meos*, nullam fecit exceptionem sensû *collectivi*. Quomodo igitur nobis fas erit, hujus *collectivi sensûs* ab ipsis verbis exceptionem facere, absque aliqua in sacris Litteris fundatâ solidâ ratione? Hæc fortassis exceptio dicetur fundari in hoc: quod Concilium Generale sit *representans universam Ecclesiam, quæ est columna & firmamentum veritatis*. At quia Ecclesia quoad statum perse-

si Hierarchicum non potest representari in corpore avulso à Capite, sed quò integrato ex Capite ac reliquo Ecclesiæ Corpore Hierarchico, nequit ad Concilium Generale quò acephalum spectare illa prerogativa, secundum quam sit columna & firmamentum veritatis, ita ut ex hac præminentia prætendi possit agnorem Christi collectivè sumptorum, ab Oecumenica Papæ auctoritate exceptio. Est autem ipso naturæ lumine notum, si Comitæ Generalia coalescant ex Statibus Regiæ Majestati subditis, neque huic Cœtui ex Regni Ordinibus coadunato altior quæpiam præminentia (in comparatione cujus potestas Regia non esset jam suprema) convenire dignosceretur, nefas fore, talibus Comitibus alicuius supra Regem superioritatis præminentiam asserere. At res ita se habet cum Episcoporum quantumvis Generali acephalicè sumptà Synodo, ut, quæ Concilio Oecumenico Divinitus promissæ sunt prerogativæ, eidem non competant, nisi quæ consentienti cum Capite ejusdem quasi informativo, & formaliter perfectivo. Cùm igitur omnes ac singuli Episcopi inter Christi Agnos computati, secundum se, & omnimodam jurisdictionem suam subiaceant Pastoralis Papæ officio, ejusque auctoritati Oecumenicæ: neque verò tali Cœtui acephalicè spectato ex sacris Litteris noscatur concessa alicuius altioris supra Papam prerogativæ supereminetia: nequit jam Episcoporum Generalis coadunatio, sive jurisdictionum Episcopaliū collatio collectivæ, vi talis collectionis extrahi è spherâ Oecumenicæ Pastoralis, seu gubernativæ Romani Pontificis propriæ auctoritatis: atque adeò hujus per Christum asserta universalitas nullatenus admittit illam agnorem Christi collectivè sumptorum à Papæ superioritate exceptionem.

Hunc super Episcopis etiam collectivè sumptis præminentiam gradum pro tertio probat Papæ per se, vel Legatos suos in Concilijs Oecumenicis præsentia. Nam ex Actis Nicæni Concilij constat, huic Synodo unà cum Vito & Vincentio, Ecclesiæ Romanæ Presbyteris, præfuisse Hosium Cordubensem, quem fuisse Romani Pontificis Legatum, asseritur etiam in Praefatione Concilij Sardicensis. Concilio equidem Constantinopolitano I. Oecumenico II. non interfuere vel Damasus Papa, vel ejus Legati, eò quòd hic Pontifex Episcopos Orientis Constantinopolim vocatos, cogitabat vocare Romam ad plenissimam Episcoporum Occidentalium ibi congregatam Synodum, nisi isti iustas ob causas se excusando, contra Macedonianos ac Eunomianos sententijs & animis se conjunctos probassent tam Episcopis Occidentalibus, nihilominus illa Constantinopolitana Synodus in tantum cepit esse Oecumenicæ, in quantum teste Photio in libello de septem Synodis à Damaso Papa confirmata fuit in ijs, quæ ad Macedonianæ ac Eunomianæ hæresis condemnationem, fideique Nicænæ confirmationem spectabatur. Ex S. Gregorio lib. 6. Epist. 125. Quòd S. Cyrillus in Ephesino Oecumenico III,

Concilio habuerit auctoritatem Legati à Cælestino Papæ constituti, patet ex Epistola Cælestini ad Cyrillum, relatâ Tom. 1. Conciliorum editionis Colonienfis, pag. 737. & alibi. Ex Leonis ad Concilium Chalcedonenle Epist. 47. aperte constat, Legatos ipsius ad istam II. Oecumenicam Synodum ita directos fuisse, ut ipsemet Papa in eis præsideret. Quam Romani Pontificis intentionem fuisse ratam habitam à Concilio, liquet ex hujus Epistola ad Leonem, relatâ vel actione 3. vel circa finem Concilij. Circa Concilium Constantinopolitanum II. Oecumenicum IV. nimis planum est, Eurychium Patriarcham Constantinopolitanum agnovisse, quòd præsentia sit debita Romano Pontifici; uti liquet ex Epistola ad Vigilium relatâ in fine 1. collationis Synodi. In Concilio Constantinopolitano III. Oecumenico VI. Præsides fuisse Legatos Agathonis Romani Pontificis, Petrum & Georgium Presbyteros, ac Ioannem Diaconum, testatur Zonaras in vita Constantini IV. patetque ex ipsâ Synodo, ubi in omnibus Actionibus isti primi omnium nominantur, loquuntur ac subscribunt. Concilium Nicænum II. Præsides habuisse Adriani I. Legatos Petrum Archipresbyterum, & Petrum Abbatem S. Sabbæ, constat ex Actis Concilij, in quibus isti primi nominantur, & primi subscribunt. Denique Constantinopolitana inter Oecumenicas VIII. Synodus, celebrata sub Adriano Papa, Præsidentes habuisse hujus Legatos Donatum & Stephanum Episcopos, & Marinum Diaconum, probatur ex eo, tum quòd primi nominentur & subscribant, tum quòd in prima Actione exhibuerint litteras suæ Præsidentia, tum quòd Donatus se nominarit Adriani Universalis Papæ in ea Universalis Synodo præsentem. Quandoquidem igitur tam aperte constat Summi Pontificis in Concilijs Oecumenicis jus præsidendi, hoc verò præsentia jus importet superioritatem, prorsus dicendum est, Papam esse supra Concilium.

Pro quarto excipiet fortassis pars adversa. Præsidentiam in Concilio non tam arguere jus superioritatis erga totum Concilium, quàm erga singulos in Synodum aggregatos Antistites, exemplo Comitiorum Imperialium, quibus Cæsar quidem præsidet ceu superior singulorum Statuum ac Principum, nullatenus tamen obtinere superioritatem supra Comitæ, constare potest ex ijs, quæ Hermannus Hermes in suo publici Juris fascicula cap. 40. à n. 70. asserit.

Verùm quidquid sit de jure præsidendi in Comitij Imperialibus competente Cæsari, oportet, Summi Pontificis in Concilijs Oecumenicis præsidendi jus expendere ex ipsissimo Divinæ institutionis fundamento. Etenim secundum hanc character Oecumenici Concilij consistit ex nomine Christi vicario ex Matth. 18. n. 20. At istud Christi Nomen vicarium per aperta Domini verba respicit non singulos Concilij Oecumenici Antistites, sed totam eorum, qui de ligandi & solvendi jure participant, Congregationem. Est autem

Z z in

superioritas
 Concilij
 Oecumenici
 CVM

n. 36.

n. 37.

n. 38.

n. 39.

ex pag. 259. n. 40.

57.

58.

ex pag. 259. n. 41. & 42.

56.
 27.
 28.
 29.
 30.
 31.
 32.
 33.
 34.
 35.

in nomine Christi vicario jus superioritatis. Ergo hujus vicarij Christum præferentis Nominis auctoritas ita respicit totam Concilij Ecclesiam repræsentantis Congregationem, ut respectu ejusdem importet jus superioritatis. Quod professi videntur Conciliorum mox enarrandorum Patres, Papam vocantium Ecclesie Universalis Pontificem, seu Caput universalis Ecclesie, prout videre singulariter licet in Concilio Chalcedonensi Oecumenico III. nec non in Concilio Lugdunensi sub Gregorio X. ubi inter alia dicitur Romana Ecclesia obtinere summum & plenum Primatum ac Principatum super universam Ecclesiam Catholicam: & in Concilio Florentino in litteris unionis circa finem dicitur, in B. Petro fuisse plenam potestatem gubernandi Universalem Ecclesiam,

S. VII.

Superioritatis Papa supra Concilium probatio ex Christi verbis, quibus Matth. 16. Petrus dicebatur Petra, super quam esset ædificanda Ecclesia.

59. **N**AM primò ista verba Divina non contigisse solum Petri personam, sed quosque pro perpetuo Ecclesie statu Successores ipsius, pater ex sacro contextu, in quo asseritur, Ecclesiam ita firmiter substitutam, ut portæ inferi non prævalerent adversus ipsam. Sub illis igitur Christi Domini verbis innuitur aliqua intrâ Ecclesiam in rebus fidei infallibilitas, quæ ex Petro, ejusque adeo successore diffunderetur in ipsam Ecclesiam. Ergo in Petri successore primitus stat ista infallibilitatis præ eminentia, ut ex ipso diffunderetur in Ecclesiam, seu Concilium Ecclesie repræsentativum. Atque hæc causa est, cur Concilia, quantumvis Generalia, dogmatum suorum sanctiones confirmari semper petierint à Romanis Pontificibus.

60. Nam pro secundo Nicæna I. Oecumenica Synodus confirmationem dogmatum Concilij suffragio sancientorum, profitebatur subjectam esse auctoritati sacre Romanæ Ecclesie, non alio ex principio, quam quòd B. Petro, eiusque adeo Successori, dictum sit: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Ex quo fundamento constat insuper, Acta Synodi Constantinopolitanæ cum in finem esse à Damaso Papa revocata ad Concilium Romæ indictum, ut post eorundem examinationem suâ auctoritate firmaret Decreta ac sententias hæresum condemnatorias, sancitas in præfata Synodo Constantinopoli prius celebratâ, cujus Patres, non attento, quòd Conciliariter aggregati eas tulissent sententias, obedienter se submiserunt Romano Pontifici, suos Legatos cum purgatione ad hunc mittendo. Quomodò enim infallibilitatem in dogmatibus fidei obtinerent Concilia, nisi ex Petrà, super quam ædificata est Ecclesia? Hæc autem Petra quæ alia esse potest, nisi Apostolica Petri Cathedra? Quia igitur illa Petra fidei firmitatem in Ec-

clesiam inferens, non respicit singulos tantummodò fideles, sed totam Ecclesiam, quæ repræsentativè est in Concilio: quomodò ejus auctoritas singulis duntaxat Concilij membris Hierarchicis, non verò toti Corpori isti intrâ Concilium aggregato, & ex Ecclesie Antistitibus collectim sumptis consistenti, præmineret?

Hinc pro tertio. Quando Concilij Ephesini 66. Patres se tanquam Ecclesie membra, sancto suo Capiti Romano Pontifici devotos acclamârunt, oportet, hanc acclamationem intelligere de Ecclesie membris Hierarchicis, quæ collectim sumptis, nempe in Concilio Oecumenico aggregatis, atque ut sic Capiti, Nestorianæ hæresis condemnationem præferentem se se condunantibus; uti patet ex Actis ejusdem Concilij cap. 17. Quam totius Concilij Ecclesiam repræsentantis respectu Papæ subordinationem, clarioribus adhuc verbis professâ est IV. Oecumenica Synodus Chalcedonensis, Papam Romanum vocians Ecclesie Universalis Pontificem, nec non Caput Universalis Ecclesie. Ex ipsissimo illo principio in præadductis Christi ad Petrum Matth. 16. prolatis verbis fundato, Concilium Oecumenicum II. Constantinopolitanum profitebatur, quòd sequeretur Apostolicam Sedem, cujus etiam essent Communicatores Patres ibi aggregati, eidem obediendo, & ab ipsa condemnatos condemnando. Cui principio inhærens VI. quoque Oecumenica Synodus, Constantinopolitana III. Romanum Pontificem appellavit Primæ Sedis Antistitem universalis Ecclesie, stantem super fidei Petram, cujus etiam auctoritati Apostolicæ submisit Decretorum suorum confirmationem. An non igitur ex præfata Conciliorum Oecumenicorû inductione clarè demonstratur, præfidentiam Romani Pontificis unâ cum auctoritate Concilij confirmatoriâ, fundari in ejus præ eminentia non erga singulos duntaxat Synodi Patres, sed erga Universam Ecclesiam, atque adeo erga universale quoque, Ecclesiam universam repræsentans Concilium? Illa ipsa verò definitiva, & Conciliarium sanctionum confirmatoria auctoritas, secundum præadductas Synodos Oecumenicas, fundatur in præfatis Christi verbis; *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Hæc autem sacra verba connectuntur cum istis proximè subsequen-
tibus, *Tibi dabo claves Regni Cælorum: habentia pariter respectum ad Universalem Ecclesiam. Hæc ipsa verò clavium potestas indubitanter importat superioritatis præ eminentiam. Quia igitur clavium ejusmodi unâ cum Petrà, super quam ædificanda esset Ecclesia, prærogativa & auctoritas per Christi Domini verba, secundum præallegatorum Conciliorû Oecumenicorum intelligentiam, noscitur protendi super Universam Ecclesiam in Concilio Generali repræsentatam, in aperto jam extat probata Papæ super Generali Concilio superioritas.*

Atque hæc pro quarto est ratio, cur septima Generalis Synodus tam promptè receperit Papæ super sacrarum imaginum cultu litem

47. teras Apostolicas. Cur etiam *oſtarum* Gene-
 48. rale Concilium pronuntiãr, ſibi non licere
 49. contra Summum Pontificem proferre ſen-
 50. tentiam. Cur Concilium Lateranenſe ſub A-
 51. lexandro III. edixerit, à Papa non poſſe ha-
 52. beri recurſum ad ſuperiorem; quod minimè
 53. ſubſiſteret, ſi Concilium eſſet ſupra Papam.
 54. Cur in Concilio Lugdunenſi ſub Gregorio X.
 55. plenus Primatus & Principatus ſuper univer-
 56. ſam Eccleſiam fuerit agnitus in Petri ſucceſ-
 57. ſore Romano Pontifice. Cur Concilium Flo-
 58. rentinum deſinierit, Romanum Pontificem in
 59. univerſum terrarum Orbem tenere Prima-
 60. tum, ac Pontificem Romanum Petri ſucceſ-
 61. ſorem eſſe totius Eccleſiæ Caput. Cur deni-
 62. que Concilium Lateranenſe ſub Leone X. à
 Rege Galliarum comprobatum ac receptum,
 rejecerit, & nullitatis damnãrit Acta Synodi
 Baſilenſis, ſuperioritatem Concilij ſupra Pa-
 pam aſſerentis; adſtraendo econtra per indu-
 ſionem prerogativæ Papæ ſupra Concilium
 in antiquioribus Oecumenicis Synodis agni-
 tas & approbatas.

63. Ad hæc magis elucidanda pro quinto lu-
 beat clariùs diſtinguere Summi Pontificis ſeu
 Capituli, & Concilij quali *acephalicè* ſpectati
 munera & prerogativas. Ponamus igitur,
 Concilij Patres per ſuffragiorum ſuorum ma-
 joritatem, vel etiam per votum unanime tu-
 liſſe judicium ſuum ſuper aliquo dogmate:
 nunquid ex tunc dicere licet, jam ſubſiſtere
 firmitatem dogmatis ejuſmodi, antequam
 accedat Papæ conſenſus auctorizativus?
 64. Oppoſitum profeſto liquet inprimis ex
 Synodi Ariminenſis ſub Liberio Papæ
 exemplo, ubi ſub ſpecioſo pacis cum A-
 rianis componendæ prætextu, expuncta eſt
 vox *Homineſos*, Filij æterni cum Patre Con-
 ſubſtantialitatem designans, ac ejus loco in-
 troduſta eſt vox *Homioſos*, ſimilitudinem
 duntaxat Filij cum Patre denotans. Cui pro-
 inde Ariminenſi Symbolo Liberius Papa de-
 negavit ſuum ſuffragium, ſeu auctorizativum
 acceſſum, & ideo deportatus eſt in exilium.
 65. Habetur etiam Synodus Quiniſexta ſub Ser-
 gio Pontifice Conſtantinopoli celebrata;
 quam circa cœlibatam Sacerdotum, & Sab-
 bathi jejunium erraſſe, ac proinde à Sergio,
 aliſque Pontificibus rejectam fuiſſe, conſtat
 ex Anaſtaſio in Sergio & alijs. Secunda quoque
 Synodus Epheliſina abſolvit Eutychem, & dam-
 navit Flavianum, aliſque Catholicos Epiſ-
 copos, damnata proinde; atque abolita à
 Leone Pontifice. Ex quibus proinde exem-
 plis evincitur, in Concilio *acephalicè* antece-
 denter ad Papæ acceſſum auctorizativum,
 nihil stare firmum circa dogmaticas fidei de-
 finiſiones. Imò tametiſi Concilium legitimè in
 Chriſti vicario nomine fuerit congregatum,
 pro ſigno tamen Papæ conſenſum ſeu ulti-
 matæ definiſionis acceſſum auctorizativum
 antecedente, quantumvis Patrum vota eſſent
 concordia, ſemper adhuc deficit infallibilitas
 in fidei dogmatibus definiendis.

64. Nam licet Chriſtus promiſerit, ſe in mè-
 dio eorum fore, qui nomine Chriſti, ſub au-
 thoritatis ſcilicet Chriſti Vicariæ uni Roma-

no Pontifici competentis charactere, ſunt
 congregati: hujus tamen aſſiſtentia Chriſti,
 infallibilitatem adſerentis effectus, ſecundùm
 ſacrum Evangelij contextum, alligatur *duo-
 rum*, nempe Corporis Hierarchici, & Capituli
 Eccleſiæ conſenſui. Quantumvis ergo Conci-
 lij Patres in terendis ſuis ſuffragijs legitimè
 procedant: quantumvis etiam ſuffragiorum
 majoritas in unum collata, jam præferat Con-
 cilij Generalis conſenſum: pro ſigno tamen
 antecedente Summi Pontificis conſenſum *ul-
 timatè* definitivum, atque *Conciliaris* dogma-
 ticæ ſanctiſionis auctoritativè confirmatorium;
 nondum ſubſiſtit infallibilitas per Chriſti aſ-
 ſiſtentiam, tunc primùm fortitura effectum;
 quando ad Corporis Hierarchici per Concilij
 repræſentati vota accedit auctoritativus Papæ
 conſenſus. Quandoquidem igitur anteceden-
 ter ad Papæ auctoritativum acceſſum, in de-
 cretis Concilij quantumvis Generalis, nec-
 dum ſubſiſtat in fidei dogmaticis ſanctiſionibus
 infallibilitas, ſed iſta derivari debeat in Con-
 cilium ex Cæthedrâ Apoſtolicâ ceu *Petra*, ſu-
 per quam fundata eſt Eccleſia: idcirco ex hoc
 etiam fundamento manifeſtè extat demon-
 ſtrata Papæ ſuper Concilium *abſtractivè ace-
 phalum* præminentia & auctoritas.

Excipient tamen pro *tertio* Adverſarij, 65.
 Hunc Papæ cum Concilio conſentientis acceſ-
 ſum, decreti Synodalis approbatorum, non
 fieri in vi auctoritativæ ſupra Synodum Ge-
 neralem ſuperioritatis, ſed in vi quaſi contra-
 ctus: quomodò Hermannus Hermes in *Turis*
 publici ſaſciculo præcit. 40. cap. à num. 3. ſcri-
 bit: Jurisperitorum quorundam eſſe ſen-
 tentiam, quòd in Comitibus Imperialibus quid-
 quid agitur & concluditur, contractus, tranſ-
 actioniſque inſtar eſſe inter Imperatorem ex
 unâ, & Statuum Imperij ex alterâ partibus,
 ita ut in tali coneractu una pars tranſgens ſit
 Imperator, & altera pars ſint Ordines Im-
 perij *conjunctim* ſumpti. Quidni enim pari ra-
 tione diſcurrere liceat de Concilio Oecumè-
 nico, ita ut in hoc ſit unâ pars Summus Pon-
 tificex, altera verò pars ſit reliquum Eccleſiæ
 Hierarchicum Corpus, ex Præfulibus Eccle-
 ſiaſticis coaleſcens, maximè cum Chriſtus *ca-
 tato* cap. 18. Matth. infallibilitatem Concilij
 Oecumenici viſus ſit ex hoc determinâſſe,
 quòd ubi *Duo*, nempe Papa & Concilium
 conſenſerint, adeoque quaſi tranſgendo con-
 vengerint in unum fidei dogma definiendum,
 Patet æternus ſit eis quæcumque rem, adeo-
 que veritatem in Synodo quaſitam, ex Chri-
 ſti Domini promiſſo infallibili impertitu-
 rus?

Verùm tranſactionis & conventionis nã-
 tura eſt, ut ſervetur utrinque æqualitas. Con-
 cilio equidem Oecumenico competit *indefi-
 nita*, Papæ auctoritati compar, *ſolvendi & li-
 gandi* potestas, unâ cum conſummatâ in rebus
 fidei infallibilitatè. At utraque iſta præmi-
 nentia haud competit Synodo quaſi *acephalicè*,
 ſed Concilio duntaxat Oecumenico, tam Ca-
 put, quàm reliquum Eccleſiæ Hierarchicum
 Corpus *indiviſibiliter* complectenti. In hoc
 igitur Oecumenicum Concilium ex Corporè
 2 2 2
 Ecclæ:

superioritas
 auctoritas
 conciliaris
 GVI

ex pag.
 261, m.
 62.

66.

67.

Ecclesiæ Hierarchico quasi *acephalicè* spectato, quid importatur nisi collectio jurisdictionum Episcopaliū: quæ adhuc impar est ad præinsinuatæ præminentias, quamdiu non accedit nomen Christi vicarium, seu Apostolicæ auctoritatis character? Hoc igitur nomen Christi vicarium utique dicendum est, importare superioritatis super reliquo Hierarchico Ecclesiæ Corpore præminentiam. Hoc ipsissimum quoque vicarium Christi nomen Romani Pontificis proprium, est Petra illa, super quam Christus edixit, ædificandam fore Ecclesiam. Eiusmodi autem Petra utique importat præminentiam aliquam super Synodo quasi *acephalâ*, Ecclesiam non *complete* & *formaliter*, sed *materialiter* duntaxat representante. Illa ipsa porro Petra est Petri cathedra Apostolica, cui annexæ sunt claves Regni Cælorum. Hæc verò cathedra Regni Cælorum clavibus dotata, liquidò importat majoritatis & superioritatis prærogativam. Nequit ergo inter Papam & Concilium, quasi *acephalicè* spectatum subesse æqualitas in ordine ad constituendum Concilium, quæ *complete* & *formaliter* Oecumenicum, nec non ad consensum *ultimatè* auctorizativum in dogmatibus fidei definiendis cum omnimodæ infallibilitatis consummatâ præminentia exhibendum. Nullatenus igitur per modum transactionis, seu conventionis in Concilio Oecumenico inter se coeunt Papa ac reliquum Corpus Hierarchicum, sed respectu hujus ceu Concilij quasi *acephali*, obtinet Papa majoritatis & superioritatis præminentiam.

S. VIII.

In quo expenditur jus appellandi vel à Papa ad Concilium; vel ab hoc ad Summum Pontificem.

67. PRIMO difficultatis hujus expediendæ viam præstruere videtur Concilium Constantiense Sess. ult. supplicando Papæ Martino V. ut hæreticos errores, seu hæreses per sacram Synodum damnatas pariter damnaret, atque damnatas publicè pronuntiaret, antequam Concilium dissolveretur, alioquin protestari se de gravamine, appellando ad futurum Concilium. Ex quo utique evincitur, ipsummet Concilium Constantiense agnovisse, sibi non fuisse auctoritatem compellendi Papam, ut suam pro confirmandis decretis præinsinuatæ, adjiceret auctoritatem. Ad quid enim conducere potuisset ea ad futurum Concilium provocatio & appellatio, si ipsi Generali Constantiensi Synodo (utpote quæ non minoris, cum futuro Concilio auctoritatis fuerat) non eratis ad Papam pro dicta approbatione compellendum? Altiore profectò subesse debet hæc ratio, per quam ex illâ à Papa ad Concilium futurum appellatione, nullatenus probari valeat hujus supra Papam superioritas.

68. Ad quod explicandum, pro secundo non importuna est sequens Veteris Testamenti ac Novi Fœderis Pontificatum inter se comparatio, Ponamus scilicet in Veteri Testamento

super causâ aliquâ ex Portis seu Tribunalibus Regijs ad Sacerdotium, magnumque Concilium, cui præsidet Summus Pontifex, delatâ, fuisse ab hoc ex ipsissimis Divinis judicialibus Legibus pronuntiatam Judicij veritatem; attamen Regè ejus temporis non acquievisse, sed interpellasse Pontificem, ut ingressus Sanctuarium, consulere Dominum super ejusdem Judicij veritate; vel ex *Thummim & Urim* super tali judicio ulteriorem adhuc Divini Oraculi requireret certitudinem: num dicere fas est, talem à Rege factam Summi Pontificis interpellationem habuisse rationem strictæ appellationis? In ejusmodi casu ab ipomet Sacerdote Maximo, unâ & magno Concilio, ex Divinis judicialibus Legibus, judicij veritatem pronuntiantem, habitus fuisset recursus ad eundem Summum Pontificem, quatenus ipsi soli erat Divinitus concessum, ut semel in anno ingressus Sanctuarium, posset consulere Dominum, vel ex *Thummim & Urim* reportare Divinum Oraculum. Qui proinde ad Summum Pontificem recursus non erat de uno iudice inferiori ad alium superiorem iudicem, sed ad eundem, quæ diversis à Deo dotatum prærogativis, nec adeò strictè loquendo poterat dici appellatio. Quod proinde applicando ad Novi Fœderis Pontificatum Summum, ex principiis fidei constat, ejus utpote Petri Cathedram Oecumenicam esse Petram, super quam ædificatur Ecclesia. Quomodo autem fieri posset, ut quocumque sit decisio dogmatica ex istâ Petra seu Cathedra Apostolicâ, non esset omnimodæ fidei certitudo? Non equidem dubito, quin Summus Pontifex etiam extra Concilium possit decernere ex Cathedrâ Petri. At quia ultimam ejusmodi decisionem nonnulli etiam Catholici Doctores reducere unicè volunt in Papam cum Concilio Oecumenico concurrentem, ideo secundum nos saltem, non est tam evidens certitudo, quòd Papa extra æquè, ac intrâ Concilium definiat ex Petri Cathedrâ Apostolicâ.

Hinc ergo pro tertio statuamus casum, quo falsa quædam dogmata damnata fuerunt à Summo Pontifice, quæ tamen condemnatio haud proficit, quin Hæresis latius diffundatur. Unde Orthodoxi pro remedio passim conclamant, oportere, ut convocetur Concilium Oecumenicum. An non pro tali statu in ipso etiam Summo Pontifice erit obligatio recurrendi ad ultimum Ecclesiæ sanctæ Tribunal, & Concilium Oecumenicum? An non in cæteris quoque Ecclesiæ sanctæ Præsulibus, uti etiam in Christianis Principibus præsertim Regibus, ad Ecclesiæ universale Bonum procurandum, vel ex Christiano characterè, vel ex juramento, vel etiam ex muneris & characteris Episcopalis, *intrinsicâ* ratione, tunc stat jus & obligatio urgendi Papam ad celebrandum Concilium Oecumenicum? Quæ proinde erga Papam pro Synodi Oecumenicæ convocatione instantia, an non est quædam à Papa extra Concilium decernente provocatio ad Concilium Oecumenicum? Nunquid autem talis provocatio

tio subire videtur nomen & rationem appellationis?

70. Verum hujus provocationis conditione accuratius considerata, procul abest, ut *fratrem loquendo* dici possit appellatio. Non enim ea fit ratione, ut Concilium sine Papa seu Capite suo definiat, & ultimam proferat sententiam: sed ejus ratio in hoc se tenet, quod Summus Pontifex, per cujus auctoritatem unice, stat Concilium, *formaliter & complete* Oecumenicum, sit quidem Petra, cui superstruitur ædificium Ecclesie, habeatque sibi à Christo collatas claves Regni Cælorum, in vi cujus possit auctoritative super fidei dogmatibus pronunciare iudicij vicem. At tamen præter istam prærogativam, est ipsi Divinitus concessum privilegium, ut in nomine Christi, ad eoque hujus vicariâ, sibi propria auctoritate, cogere possit Concilium Oecumenicum, in eoque munus Præsidis ac Judicis exercere, ita tamen, ut ultimata, omnimodam, & consummatam in sanctionibus fidei infallibilitatem obtentura sententia iudiciaria, neque ex solius Concilij suffragiorum majoritate, vel etiam uniformitate, neque ex solius Patris arbitrio, sed ex utriusque consensu subsistere debeat. Quod ad Concilij Oecumenici Sanctuarium ingrediendi, indeque proferri infallibile, atque consummatum super fidei questionibus Oraculum Divinum reportandi, privilegium singulare est Summi Pontificis præminentia Divinitus constituta, non ab simili illi prærogativa, quam Veteris Testamenti Pontifex habebat in Divino Oraculo ex *Vrim & Thummim* reportando. Ille ipse namque Summi Pontificis ad Concilij suffragium accessus & consensus est insit *Vrim & Thummim*, obtinens ex Christi Domini promisso, consummata infallibilitatis omnimodam certitudinem ac veritatem. Quando igitur a Summo Pontifice extra Concilium pronuntiant, sit recursus ad Concilium Oecumenicum, ipsummet etiam Papam includens, aperte evincitur, ejusmodi recursum fieri ad ipsam, quâ consentiendo Concilij suffragio, proferentem ultimum omnimode ex Christi promisso consummata infallibilitatis iudicium. Neque ergo talis à Pontifice extra Concilium pronuntiant, ad Papam in & cum Concilio, ex consensu utrinque præstito ultimam definiendam recursum, proprie loquendo dici appellatio, cum sit ab uno ad eandem, sub diverso tamen statu constitutum, & secundum diversas à Christo constitutas prærogativas consideratum iudicem.

71. Exinde pro quarto haud difficile est iudicare, quid sentiendum sit de appellatione per Concilium Constantiense interpositâ à Papâ ad futurum Concilium, casu, quo Pontifex Maximus Martinus V. noluisse Decreta fidei Conciliariter conclusa, sua auctoritatis accessu & consensu approbare, atque auctoritative confirmare. Ubi namque Decreta ejus Concilij fuerant Conciliariter conclusa, ad sui firmitatem & consummatam fidei infallibilitatem, ex Christi præscripto ita indige-

bant Papæ consensu auctorizativo, ut ad hunc à Papa exigendum, jus esset tum Concilio *acceptivè* adhuc spectato, tum singulis Præsulibus, vel etiam fidelibus universis. Quod si proinde Papa Spiritus sancti innitens instinctui, eum Decretorum Conciliarium auctoritative confirmatorum consensum suum non tantum denegasset, sed si quæ a fidei veritate visa fuissent discordare, *positivè* reprobasset, tunc Decreta ejusmodi prorsus nulla & inania extitissent. Ubi verò Pontifex suum consensum sanctionum Synodali auctorizativum suspendisset, tunc harum firmitas tamdiu mansisset in suspensio, quamdiu non esset eidem accessura Summi Pontificis approbatio & confirmatio. Quare tum Concilio (quamdiu Papæ auctoritas ei se non adjungeret) *acceptivè*, tum Præsulibus Ecclesie jus temper erat integrum, apud Papam instandi pro tali consensu, & dum iterum, iterumque suspenderetur, causam protrahendi ad futurum Concilium, ut in eo caperetur experimentum vel de conjungendo utriusque, Concilij nimirum & Papæ consensu, vel de hujus *positivè*, sicque Decretorum annullativâ reprobatione, juxta quem adeo modum, illa sub Constantiensis Concilij finem interposita à Papæ gravamine (dum scilicet nollet suum auctorizativum consensum Decretis Conciliariter factis adjungere) ad futurum Concilium appellatio, nihil aliud importabat, quam instantiam recursus ad futurum Concilium, pro efflagitanda mutua & Concilij & Papæ super Conciliaribus Decretis consensione, ut omnimodæ hinc infallibilitatis certitudo, & firmitas consummata accederet Synodalibus sanctionibus. Ex cujus adeo appellationis modo & conditione per se liquidum & manifestum est, nullam inde probari Concilij, præsertim *acceptivè*, super Papâ superioritatem.

72. Sed in quantum, disquires pro quinto, se extendunt Sixti IV. & Pij II. constitutiones, quibus profertur Excommunicationis sententia in eos, qui à Papâ appellarent ad futurum Concilium? Hujusmodi constitutionis rationes allegat præfactus Sixtus IV. tum quod de minoribus ad majores iudices duntaxat appellare permittat auctoritas, & propterea inhibeat, ab Imperiali & prætorio iudicio appellari, tum quod non homo, sed is, qui solo verbo fecit cælum & terram, Apostolicam Sedem, & in ea sedentem prætulit universis etiam Concilijs, quæ ab eâ robur accepisse, SS. Patrum Decreta testantur &c. Unde inferebat idem Pontifex, appellantes à Romano Pontifice ad non indictum, nec congregatum Concilium, constituere aliud Caput in Ecclesia Dei &c. sanctæque Sedis primatum negare, ac Ecclesie unitatem dividere &c.

73. At quid, inquires pro sexto, est specialis energie in hoc, quod Sixtus IV. reprobet appellationem à Papâ ad non indictum, neque congregatum Concilium? An ergo, si hoc de præfenti sit coadunatum, fas erit, ad illud à Papâ appellare? An non si hoc saltem liceret, sublimius jam Sede Apostolicâ Tribunal præ-

prænderetur? Verùm si vel indictum, vel aggregatum sit Concilium Oecumenicum, in eo jam intervenit Apostolica auctoritas, utpote forma & anima Synodi quæ Oecumenicæ.

74. Quod si ergo ad Concilium tali modo indictum provocetur à Papa, non jam ab inferiori sit appellatio ad majorem, sed Papæ auctoritas, seu Oecumenici Concilij forma postulatur, nec aliud in hoc agitur, nisi ut, quæ Papæ auctoritas extra Concilium decrevit, eadem sub altiori Divinitus constitutâ præminentia Papæ unâ & Concilij consensione auctoritativæ annexa impleretur, ad effectum omnimodæ & consummatæ per Christi promissum infallibilitatis in dogmaticis sanctionibus obtinendum.

75. Operæpretium est pro septimo hæc accuratius expendere, ex quo S. Scripturæ fundamento appellationes à Papa ad futurum Concilium à Pio II. in Bulla *Execrabilis*. condemnentur, tanquam erroneæ ac detestabiles. Hic nempe Pontifex Maximus *ibidem* dicit, spiritu rebellionis imbutos esse, qui à Papa ad futurum Concilium appellare præsumunt. Hujus autem dicti sui rationem profert ex hoc, quod Romano Pontifici Christi vicario dictum sit in persona B. Petri: *Pasce oves meas &c. Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in celis*. Ex quo adeo Christi verbo elucescit, nihil esse super terram morale, in Regnum cælorum ordinabile, quod non subit superioritati Romani Pontificis. Quamvis proinde character Episcopalis, unâ cum vi Sacramentorum Eucharistiæ & Ordinis effectrice, nec non unâ cum radicali jurisdictione pastorali, in eo characterè contentâ, utpote qui sit *immediate* à Christo, non sit de illo quocumque Pontificis superioritati subiecto *moralis*, at tamen ejusdem usus quæ *moralis* superinduit conditionem illi subjacentem. A fortiori autem talis subjectionis conditionem subit *formalis & actualis* Episcopalis jurisdictionis, utpote derivata à Papa. Et multo magis exercitium morale jurisdictionis Episcopalis etiam *collectim* sumptæ, & ab universis Christiani Orbis Episcopis in unum *acephalicè* spectatum Concilium *collectæ*, obtinet ejus subjectionis conditionem; uti sæpe in *antecedentibus* dictum & ostensum fuit. Quomodo igitur fas esse possit, à Papâ appellare ad ejusmodi *acephalicum* Concilium?

76. Quamvis porro pro octavo consummatæ infallibilitatis præminentia Concilio *formaliter* atque *complete* Oecumenico per Christum asserta, sit *immediate* à Christo, nec adeo possit ut sic subesse Romani Pontificis superioritati; eo ipso tamen, quod ista infallibilitas non nisi *duobus*, nempe Capiti & Corpori Ecclesiæ Hierarchico, quæ intrâ Concilium Oecumenicum consentientibus, sit promissa; ex parte sui substrati jam involvit illam Papæ superioritatem. Quamvis insuper Concilio Oecumenico etiam Divinitus competat *indefinita* ligandi & solvendi potestas, comparatæ Papali Oecumenicæ auctoritati: at tamen *Decreta Consiliaria moralia* inde promanantia,

sicuti sunt de illo quocumque in Regnum cælorum ordinabili *moralis*; sic subjacent quoque Pontificis Maximi superioritati in tantum, ut ejusmodi morum decreta solus etiam Pontifex, secundum rerum exigentiam, mutare ac dispensare valeat: sicuti etiam e contra Pontificiæ leges *morales* ex vi illius universalis Concilio quæ Oecumenico per Christum collatæ auctoritatis, possunt quidem immutari, eo ipso tamen, quod hæc etiam Concilij Oecumenici non nisi ex Capite & Hierarchico Ecclesiæ Corpore subsistentis auctoritas, ex parte sui *substantialis* substrati involvat Papæ super omni in terris *moralis* superioritatem, illi Concilij quæ Oecumenici potestati *indefinita* comparè, nequit jam Concilio quæ *complete* etiam ac *formaliter* Oecumenico attribui stricta erga Papam superioritas. Cùm igitur nihil in Concilio sit assignabile, super quo fundari possit aliqua super Papam superioritas, merito dixit Pius II. exercitum rebellionis ab illo, qui à Pontifice Romano appellat ad futurum Concilium.

Non denique firmantur hæc universa ex Concilio Constantiensi *sess. 8. art. 37.* ubi inter alios *Wicleffi* errores damnatur iste quoque articulus; *Papa non est immediatus Vicarius Christi*. In quo Synodus ista consonat cum Nicæni Concilij *Canone 39.* excommunicationis censurâ ferentis illum, qui negaverit, Romanum Pontificem esse Vicarium Christi super cunctos populos, & cunctam Ecclesiam Christianam. Ex quo adeo *fidei* principio ita licet argumentari. Quod potestas Ecclesiastica est propinquior Christo, eo noscitur esse superior. At eo ipso, quod Romanus Pontifex sit *immediatus & proximus* Christi Vicarius, nequit ulla dari in terris auctoritas Ecclesiastica, quæ sit Christo propinquior, nec ulla adeo in in terris potestas potest esse superior Apostolicæ Papæ auctoritate. Sed fateri oportet, eam, sicuti est *immediate* à Christo, atque hujus vicaria, sic esse supremam. At verò appellationis natura est, esse provocationem ab inferiori iudice ad superiorem. Quia igitur Christi vicaria in Pontifice potestas est *immediata & proxima* Christo, ideo ab eâ non datur in terris ulla appellatio *strictè & propriè* sumpta, ad ipsam verò à quocumque in terris constituto iudice Ecclesiastico jus est appellandi.

Caput. III.

Quantum momenti circa auctoritatem Concilij evinci valeat ex Decretis Synodi Constantiensis *sess. IV. & V.*

His Decretis *inferius* referendis causâ dedit schisma gravissimum mox recensendum. Nempe Clemens V. in Romanum Pontificem electus, Sedem Apostolicam Anno 1305. transfulerat Avenionem. Sed Gregorius XI. Anno 1378. redijt ad Urbem, ubi, cùm fatis functus esset, Cardinales ad instantiam plebis Papam iterum petentis, elegerunt Archiepiscopum Barensem, nominatum Urbanum VI. Cardinales verò Galli cum tribus Italis, præ-

rendo, ac si ille fuisset electus per metum, Fundis congregati, elegerunt alterum, qui Clementis VII. nomen assumpsit, Cathedramque rursus Avenionem transferre conatus est.

Ex hac proinde duplici electione ortum est schisma gravissimum: dum Clementi VII. adhererent omnes Gallicæ ab Alpibus ad Belgium usque & Oceanum Britannicum Provincias, una cum Scotia, Hispania, & Insulis ejusdem subditis, Cypro, Rhodo, & Genua: Urbano autem paruerunt Italia, cum suis Insulis, Germania, Belgium, Bohemia, Hungaria, Polonia & Anglia.

Mortuo Romæ Urbano VI. ab istius Obedientiæ Cardinalibus in ejus locum electus est Bonifacius IX. cui Anno 1404. successit Innocentius VII. qui una cum Cardinalibus in Conclavi consentientibus se se obstrinxit juramento ad cedendum Papatui, quoties alterius Obedientiæ Pontifex esset idipsum facturus. Hoc juramentum pariter præstitit Innocentij successor Gregorius XII. Anno 1406. in Pontificem electus: sicuti etiam præstitit Avenione Petrus de Luna, Benedictus XIII. in Clementis VII. successorem Anno 1394. substitutus.

Gregorio XII. & Benedicto XIII. promissionem cedendi Pontificatui non adimplentibus, Cardinales utriusque Obedientiæ ab ijs recesserunt, & duos illos de Papatu contententes, ad Concilium pro extirpatione schismatis, & unione Ecclesiæ, anno sequenti habendum evocârunt. Hinc Benedictus XIII. ubi Galliæ Rex ipsi subtraxerat Obedientiam, fugit in Arragoniam ad Perpignianum, interpositâ protestatione, se Concilij judicio subiectum non esse. Similiter Gregorius XII. Senas retrocessit, constanter asseverans, ad se spectare Concilij convocationem, ipsosque Cardinales ad aliud in Provinciâ Aquileensi evocavit Concilium.

Celebrata equidem fuit ab utriusque Obedientiæ Cardinalibus Pisana Synodus, in qua tantum abest, decisam fuisse quæstionem de Concilij supra Papam superioritate, ut Gregorius XII. ne quidem facta fuerit decisio, in tempore schismatis sit Concilio supra Papam auctoritas. Quamvis enim Universitatum Parisiensis & Bononiensis fuerit sententia: Stante dubio Papatus inextricabili propter dubium Facti & Juris, provisionem spectare ad Concilium, seu Ecclesiam Vniuersalem; Patres tamen Pisis congregati ausi non fuerunt, ex hoc titulo duos de Papatu contententes deponere, sed arbitrarij sunt, oportere, ut prius probetur, Gregorium & Benedictum operando contra Symboli de una Ecclesiâ Catholicâ articulum, fovere schisma, hincque adeo censendos esse Schismatis nutritores ac Hæreticos. Sub quo proinde titulo Patres Pisani die V. Junij Sess. 15. in Gregorium & Benedictum tanquam de Papatu colludentes, Schismaticos & veros Hæreticos, sententiam depositionis pronuntiârunt. Exinde Cardinales in locum eorundem elegerunt Petrum de Candiâ, Ordinis Minorum, dictum Alexandrum V. Nec verò schisma hinc extinctum, sed adauctum fuit: non obstante enim dictâ depositione, Bene-

dicto adhererunt Regna Scotiæ, Navarræ, Castellæ & Arragonum, cum Sardinia, Majorica & Canarijs Insulis, aliisque terris: Gregorio verò XII. dudum post Pisanum Concilium paruerunt Regna Sicilia, Regnumque Neapolitanum, nec non Duces Bavarie cum pluribus Episcopis Germaniæ.

Interea moritur Alexander V. à Concilio Pisano electus, atque ab ejus Obedientiæ Cardinalibus in Pontificem subrogatur Balthasar Cossa, Joannes XXIII. appellatus. Qui cum Imperatore Sigismundo Laudam Anno 1413. convenit: ubi pro extirpatione schismatis, & unione Ecclesiæ Concilium Constantiense ad annum sequentem indixit: habitaque est hujus Synodi prima Sessio Anno 1414. 16. Novembris, sed nihil in ea est actum de materia unionis.

Interea Constantiam pervenerunt Legati Gregorij XII. & quamvis Joannes XXIII. indubitatus Pontifex haberi volens, Gregorium instar Pseudopontificis ob hæresim Pisis damnati, ejusque Legatos putaverit minime audiendos, Concilium tamen quæstionem de jure Pontificatus relinquens intactam, permisit, ut Legatus Gregorij in habitu Cardinalitio ingredi posset Constantiam. Et quia Ludovicus Bavarie dux Obedientiæ Gregorij XII. obtulerat Patribus Concilij, quod Gregorius ad promovendam unionem, esset personaliter accessurus Concilio, si Joannes XXIII. à præsentia ipsius amoveretur. Hinc arrepta est ansa agendi de materia unionis, pro qua videbatur expeditior via cessionis, sicque Concilium apud Ioannem XXIII. instare cepit, ut cederet Papatui pro unione Ecclesiæ, casu quo alij duo de Papatu contententes essent cessuri.

Hinc Rex Romanorum cum Nationibus Galliæ, Germaniæ, & Angliæ apud Ioannem XXIII. impensius instabat, ut constitueret Procuratores ad cedendum Papatui, ubi & quando Concilio videretur expedire. Quâ de causa Ioannes inter diem Mercurij & Ioannis 21. Martij, arripuit fugam, & Schaffusam se contulit. Ex quo Papæ discessu magna Constantiæ oritur animorum turbatio. Quare Collegium Cardinalium die 22. Martij nominavit tres Cardinales Legatos ad Papam, ne Concilium dissolveret, sed constitueret Procuratores ad renuntiandum. Hinc 26. Martij Constantiæ celebrata est III. Sessio, cui non interfuere nisi duo Cardinales, Cameracensis nimirum & Florentinus, reliquis omnibus aut Schaffusæ constitutis, aut indecorum reputantibus eidem assistere. In hac Sessione statutum fuit, Synodum Constantiensem ex recessu Ioannis XXIII. dissolutam non fuisse, sed nec dissolvi debere ante extirpationem schismatis, nec transferri posse absque Concilij consensu, quæ tamen omnia Cardinales Cameracensis & Florentinus non aliâ ratione publicari permiserunt, nisi sub conditione rati habitationis à Ioanne XXIII. faciendæ.

Post hanc Sessionem tertiam eodem die 26. Martij Constantiam reverti sunt tres Cardina-

6.

ibi v. 9. & 10.

7.

n. 11. & 12. 13. & 14.

8.

Pag. 293. n. 15. ac sequent.

9.

Mortuus
Benedictus
Gregorius
CXXIII

Regnum ca
bjacent quosq
ti in tantum
os etiam Pont
iam, mutare te
econtra Pos
ur universali
Christum tal
dem immort
am Concilij O
& Hierarchia
auctoritas, ex
involutæ Papæ
superioritatem
potestati inde
Concilio qui
Decretis de
superioritas. Cui
signabile, h
per Papam
s II. exerci
i Pontifice la
Concilio.
ec universi
at. 27. ubi
natur iste quo
medietati Tu
a consonant
comunicatio
negaverit,
Christi super
in Christi
ta licet ap
falsifica esse
esse super
tifer sit om
ius, neque
falsifica, et
c ulla ad
superior Apo
tati, oport
illo, atque
s. At vero
vocationem
Quia igno
cessus est
b ea non dicit
& propterea
in terit
jus est appo
auctoritatem
cretis Syno
& V.
is causâ det
recensendum
num Pont
in Anno 104
Gregorius XI
bi, cum fuis
antiam plebi
nt Archiep
Lebanum VI
is Italio, pra
163.

Ibi n. 29. ac sequen.
 dinales Legati cum duobus alijs, qui coram Rege Romanorum, & quibusdam Patribus differendo de auctoritate Iohannis XXIII. inter alia dixerunt, dissolutum esse Concilium propter absentiam & discessum Papæ. Cum verò nonnulli Patres sese acriter opponerent, suscitato contra Cardinales clamore, isti abierunt insalutato hospite. Alterâ die iidem Cardinales & Ambassiatores Regis Francorû volentes lenire, quæ præcedenti die pronuntiaverant, retulerunt Nationibus & Regi in Congregatione publicâ, quod Iohannem induxissent, ad dandum Procuratorium, & continuandum Concilium, quæ tamen omnia credebantur ludicra, & fictè pro parte Iohannis oblata.

10. Ubi sacro Veneris die Iohannes à Schafusâ de novo aufugisset, rursus turbati sunt cunctorum animi, pluresque ex Nationibus Germanicâ, Gallicâ, & Anglicâ deliberarunt, in crastinum celebrare Sessionem IV. & in ea statuere, tum quod Concilium Constantiense potestatem haberet *immediatè* à Deo, cui etiam Papa obedire teneretur in his, quæ spectant ad fidem, extirpationem schismatis, & reformationem Ecclesiæ in Capite & in membris: tum quod Papa cogi possit, si obedire contumaciter contemplerit. Quæ tamen, contradicentibus pluribus Patribus, apud Nationes conclusa, cum non solum Nationi Italicæ displicerent, sed neque sacro Cardinalium Collegio, ad deliberandum oblata fuissent, ideo dicti Cardinales & Ambassiatores Regis Galliæ noluerunt venire ad Sessionem, nisi omitteretur *secundum* capitulum, & in primo Decreto nulla fieret mentio *reformationis Ecclesiæ in capite & in membris*. Exinde Sabbato sancto in vigilia Paschatis cum Patres jam parati essent ad celebrandam Sessionem IV. mediante Rege Romanorum adhibitum est expetitum moderamen, tum ut omitteretur *secundum* decretum de potestate *coactivâ* Concilij supra Papam, tum ut in primo Decreto nulla fieret mentio *de reformatione Ecclesiæ*. Ubi post IV. hanc Sessionem actum fuisset de articulis & clausulis præinsinuat, & *ibidem* prætermittis, in Sessione V. restabiliendis, Cardinales partim noluerunt venire ad Sessionem, partim ne scandalum publicum, & dissolutionis Concilij periculum oriretur, ad eam venire statuerunt, præmissâ etiam protestatione secretâ, quod non irent animo contentiendi his, quæ audiverant in ea V. Sessione statui debere. Quam protestationem fecerunt quoque Legati Regis Galliæ quàm strictissimè conjuncti cum Cardinalibus. Et ideo Cardinalis Florentinus, ad quem tunc spectabat Decretorum publicatio, rogatus ut Decreta legeret, munus illud exequi recusavit, sed alter ejus vices subire iussus fuit.

11. Quibus ita constitutis, progredimur ad expendendum; quantum momenti adferri possit ex prædicti Concilij tum Pisani, tum Constantiensis actus & Decretis ad Concilij supra Papam auctoritatem comprobendam? Et quia dicebatur *superius*, stante dubio Papatus inextricabili pro-

pter dubium *Facti & Juris*, provisionem de Papâ spectare ad Concilium, idcirco præliminariter venit hic etiam discutiendum; Ex quibus Verbi Divini fundamentis subsistat certitudo Papatus ad excludendam omnimodam Juris & Facti de Papâ dubietatem? Quia porro Synodus Pisana Gregorium XII. & Benedictum XIII. ceu schismatis fautores, & articuli fidei de unâ Ecclesiâ, temeratores ac Hæreticos deposuerunt, ideo consulto hic quoque inquiritur; Qualiter subsistat ista Hæretica pravitas contra Gregorium & Benedictum imputatio? Post quorum adeo decisionem sequentibus paragraphis faciendam, opportunè examinabitur; Quantum vigoris sit in prædictis Decretis Concilij Constantiensis?

S. I.

Ex quibus Verbi Divini fundamentis subsistat certitudo Papatus ad excludendam omnimodam Juris & Facti de Papâ dubietatem?

Certitudo Papatus in quolibet etiam individualiter spectato legitimo Petri successore reducitur in hæc *Matth. 16.* exarata Christi Domini verba: *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam; Et, Tibi dabo claves Regni Cælorum.* Nam primò sub hisce verbis Divinis Apostolica clavium auctoritas connectitur cum perpetuo Ecclesiæ statu; nec adeo pro solo Petro, sed pro ejusdem perpetuis in futurum successoribus, tenet ea Christi constitutio, in vi cujus ædificatio Ecclesiæ sit super Petram, seu Petri Cathedram. In quibus proinde Christi verbis apprimè notandum venit, non subsistere Christi, verba, *Tibi dabo claves Regni Cælorum*, nisi respectu illius personæ, quæ non tam *materialiter*, quàm *formaliter*, quoad *Cathedrâ Apostolicam officium*, est Petrus, sive Petra, super quam ædificatur Ecclesia. At ædificatio Ecclesiæ est *formaliter* per fidem. Quia igitur Petri successor non intelliguntur datæ claves Regni Cælorum, nisi quatenus super ipsam ceu Petram ædificatur Ecclesia, hæc verò ædificatio stare debet per fidem, manifestè sequitur, non prius personæ in Papam electæ datas intelligi claves Regni Cælorum, quàm ab Ecclesiâ intuitu illorum Christi verborum sit per fidem receptus in legitimum Petri successorem. Eo ipso autem, quod Ecclesia sit una, nequit dici in Papam receptus ab Ecclesia, in quem non unanimes Ecclesiæ consensus conspirat. Quotiescunque ergo per schisma Ecclesiæ membra scinduntur, diversos Papæ loco, recipiendo, nequit pro tunc ulli competere character à Christo constitutus, quod sit Petra, super quam ædificanda esset Ecclesia, nec adeo ulli ex schismaticis ejusmodi Pontificibus dici potest concessa auctoritas clavium Regni Cælorum, utpote unice per Christum destinata illi, quem Ecclesia agnovit Petri Successorem, ceu Petram, super quâ ædificanda sit Ecclesia.

Hinc pro secundo, haud difficulter intelligitur,

igitur, quam firmum subsistat illud Parisiensis & Bononiensis Universitatum *superius* adductum principium, quod nempe stante dubio Papatus inextricabili propter *dubium Facti & Licitis*, provisio spectet ad Concilium, seu Ecclesiam Universalem. Nam isthoc principium latum fuit ab ijs Universitatibus tempore schismatis ex Gregorio XII. & Benedicto XIII. de Papatu contententibus Ecclesiam gravissime infestantis. Tunc verò procul aberat, ut Ecclesia dici posset edificata super Petram, seu Petri in Cathedrâ Apostolicâ successore: sicut enim Ecclesia in se una est, sic ejus edificatio stare non potest sub scissurâ, quâ una pars unum, altera recipit alterum, ceu Petræ & Cathedræ Apostolicæ possessorem. Quia ergo clavium potestas per Christum non est promissa nisi Petræ, super quam edificata est Ecclesia; consequens est, in eo statu nullum re ipsâ fuisse Papam, adeoque Ecclesiæ Universalis seu Concilio potestatem, imò obligationem fuisse, providendi de Papatu.

Verùm pro *tertio* disquiret aliquis, quomodo subsistat illud principium, ex quo dicitur Concilium Pisanum deposuisse duos de Papatu contententes, quod scilicet fovendo schisma, operarentur contra articulum Symboli de unâ Ecclesiâ Catholicâ, sicque hæreseos reos se re ipsâ probarent? Num enim dicere fas est, hæreseos reum esse, quisquis agit contra aliquem fidei articulum? Profectò hæreseos reatus subsistit ex temerata Prima Veritate, aliquem fidei articulum revelante. Potest autem absque temeratione Primæ Veritatis, Christum nostrum Redemptorem revelantis, imò *actualem* de Christo fidem retinendo, quis operari contra Christum, quin propterea reus dicendus sit fidei erga Christum deperditæ. Quantumvis ergo illi duo de Papatu contententes in effectu sciderint unitatem Ecclesiæ; num propterea fidei erga hanc temerata rei pronuntiandi fuerant? Dicit equidem debebani, re ipsâ egisse contra materiam fidei, ejusque exigentiam & obligationem, non verò ex eo præcisè reputandi videbantur *formaliter* temerasse fidem, seu Primam Veritatem fidei motivam & specificativam. Hæc proinde ex causâ arbitrator, illud Patrum Pisanorum arbitramentum non tam fuisse causam motivam in deponendis illis Pontificibus schismaticis, velut ob hæresin jam essent re ipsâ per Christum depositi: quam fuerit causa duntaxat impulsiva, ansam præbens principio per nos *superius* sancto. Eo ipso enim, quod neuter illorum de Papatu contententium fuerit in statu, in quo super ipsum, ceu Petram, edificaretur Ecclesia, ipsum unanimiter fide recipiendo tanquam Petræ seu Cathedræ Apostolicæ possessorem; ideirò clarum erat, in utroque defecisse conditionem à Christo positam pro dandis Ecclesiæ clavibus, illi unicè per Christum destinatis, qui per fidem esset ab Ecclesiâ receptus in Petram seu Petri successorem.

Quamvis proinde pro *quarto* Patribus Pisanis ijs fuerit, in locum duorum de Papatu contententium sufficere Alexandrum V, ne-

que tamen electus Pontifex pertingebat ad statum illum, quo Ecclesia per fidem unanimem ipsum agnosceret Papam, sicque sub statu ejusmodi numerari posset inter illos, de quibus pronuntiavit Christus, *Tibi in Petra ab Ecclesia, (unitatem personante) recepto dabo claves Regni celorum.* Veluti hæc constant ex dictis *superius*; nempe ex susceptione Alexandri V. à Concilio Pisano in Papam electi non extinctum, sed adactum fuisse schisma, sicque continuatum fuisse obicem illum de Ecclesiâ super unam Petram edificandâ, ac proinde clavibus uni Petri successori per Christum conferendis. In qua forte multò magis erat Ioannes XXIII. nec adeò pervenit unquam ad statum illum, in quo esset verus Petri successor: dum non nisi pars Ecclesiæ nitebatur super ipsum edificare, Universalis Ecclesiæ scissurâ ubique tunc prævalente.

Ex præadductis principijs pro *quinto* elucidat, quomodo speciali ratione verificetur de Papatu, quod creatio Papæ fiat à Spiritu sancto? Etenim creatio Papæ fit in vi verborum Christi, quibus Petro cum ordine perpetuæ successionis dictum fuit: *Tibi dabo claves Regni celorum.* Hæc autem verba, uti ex sacro Contextu patet, dicta sunt Petro, ejusque successori, quatenus est Petra, super quam edificatur Ecclesia. Hæc verò Ecclesiæ super Petram edificatio, non est nisi per fidem, quatenus per eam ad illa Christi verba reflexam, ab Ecclesia recipitur quis ceu verus Petri successor, adeoque possessor Petræ seu Cathedræ Apostolicæ. At fides non est nisi ex Spiritu sancto. Ergo instans illud, in quo ab Ecclesia quis recipitur in legitimum Petri Successorem, & Petræ ac Cathedræ Apostolicæ possessorem, est specialiter à Spiritu sancto.

Neque verò hoc ita accipiendum est, ac creatio Papæ in verborum Christi, *Tibi dabo claves Regni celorum*, non prius subsisteret, quam Universalis Ecclesiæ unanimi consensu per fidem illis Christi verbis nixam, illum, qui à Cardinalibus eligitur in Papam, ceu legitimum Petri successorem receperint. Nam ubi concors est electio, in primarijs suis membris Ecclesia ex tunc jam recipit electum ceu legitimum Petri successorem, elucetque exinde evidentiâ credibilitatis, in vi cujus possitis, qui concorditer designatus est Petri Successor, per fidem recipi ab omnibus fidelibus ceu Petræ, & Cathedræ Apostolicæ possessor. Quæ equidem credibilitatis evidentiâ tunc ita propagari incipit per Universam Ecclesiam, ut sub hujus tandem unanimi consensu stet consummata ac prorsus convincens credibilitatis evidentiâ, in vi cujus per fidem, præadductis Christi verbis nixam, oporteat, firmiter credere, Papam ab Ecclesiâ unanimiter receptum, esse Cathedræ, seu Petræ Apostolicæ legitimum possessorem.

Secus res se habet, ubi in ipsa Papæ electione est discordia, ita ut nulla saltem convincens stare unquam possit credibilitatis evidentiâ, in vi cujus per fidem in præacta Christi

Christi verba redactam, ex ijs, qui contendunt de Papatu, recipi quisquam possit in certum Papam, ceu indubitatum Cathedræ Apostolicæ possessorem. Cujusmodi status & conditio Papatus erat tempore Concilij Pisani & Constantiensis, usque dum legitime electus fuit Martinus V. Unde mirum est, Clerum Gallicanum in suo presentis Instituti articulo secundo Decretis Sessionis IV. & V. Synodi Constantiensis, in statu dubij Papatus editis, tantam tribuere auctoritatem, ut per eam contendat, moderari plenam Sedis Apostolicæ in rebus spiritualibus potestatem. De quo aded puncto ex professo agemus in subsequentibus paragraphis.

S. II.

Quantum momenti sit in Decreto I. Sess. IV. Concilij Constantiensis ad probandam Concilij super Papâ superioritatem?

19. **C**ompilatio Actorum Concilij Constantiensis sub tempore Synodi Basileensis à quibusdam ejus deputatis facta, refert præinsinuatam Sess. IV. Constantiensis decretum primum sub hoc tenore. Hæc sancta Synodus Constantiensis, Generale Concilium faciens pro extirpatione presentis schismatis & unione ac reformatione Ecclesiæ Dei in Capite & in membris fienda &c. decernit & declarat primò, quòd ipsa Synodus in Spiritu sancto congregata, legitime Generale Concilium faciens, Ecclesiam Catholicam militantem representans, potestatem à Christo immediatè habet, cui quilibet, cujuscunque status, vel dignitatis, etiamsi Papalis, existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti schismatis, ac reformationem Generalem Ecclesiæ Dei in Capite & in membris. In quo decreto vim facere nititur illa Basileensis compilatio per verba; *Pro reformatione Ecclesiæ Dei in Capite & in membris.* Hæc namque voces videntur respicere etiam verum Papam, ceu Caput Ecclesiæ Dei. Si ergo Concilio Constantiensis fas erat, facere Decretum pro reformatione Ecclesiæ in ipso etiam Capite, consequenter videtur hinc evinci, à Synodo Constantiensis fuisse præsentâ superioritatem Concilij supra Papam, verum Ecclesiæ Caput.

20. Verùm hujus illationis energia mox evanescet ex ijs, quæ tam in via Facti, quam in via Juris proximè deducemus. Primò igitur quoad viam Facti contraponitur historia Concilij Constantiensis antehac summarie relata, & hic breviter repetenda. Nempe Ioanne XXIII. se subtrahente Concilio, plures eundem ex Nationibus Germanicâ, Gallicâ, & Anglicanâ deliberabant, celebrare Sess. IV. & in ea statuere, tum quòd Concilium Constantiensis habeat potestatem immediatè à Deo, cui etiam Papa teneatur obedire in his, quæ spectant ad fidem, extirpationem schismatis, & reformationem Ecclesiæ in Capite & in membris: tum quòd Papa cogi possit à Concilio, si obedire contumaciter contempserit. Quia verò hæc non

solùm displicebant Nationi Italianæ, sed & sacro Cardinalium Collegio ad deliberandum oblata non fuerant, noluerunt Cardinales à Concilij ad Ioannem XXIII. legatione reducere, Ambassiatoreſque Regis Galliarum, venire ad Sessionem, nisi inter alia capitula omitteretur secundum, & in primo Decreto non fieret mentio reformationis Ecclesiæ in Capite & in membris. Quod etiam evictum fuit. Quamvis enim, ubi alterâ die deventum erat ad Sessionem IV. hæc particula de reformatione Ecclesiæ in Capite & in membris necdum fuerant deletæ in schedola, quam publicare iussus fuerat Cardinalis Florentinus: hic tamen perveniens ad ea verba substitit, eaque falsa, & præter communem deliberationem addita fuisse, asseruit, sicque effecit, ut omitteretur clausula de reformatione. Neque defunt manuscripti Codices etiam Gallici, in quibus Decretum primum Sessionis sine clausulâ de reformatione exhibetur; veluti sunt Manuscripta Parisijs asservata, & ante aliquot annos ex Bibliotheca Thuana ibidem edita, in quibus decreta Sessionis IV. ex speciali Galliarum Legatorum relatione exhibentur, & sine mentione illius clausulæ posterorum memoriæ consecrantur.

Quâ de causâ pro secundo illud primum Sessionis IV. Constantiensis Decretum sub hæc verborum formula accipiendum est: *Primò declarat, quòd ipsa Synodus in Spiritu sancto congregata, legitime Generale Concilium faciens, Ecclesiam militantem representans, potestatem à Christo immediatè habet, cui quilibet, cujuscunque status, vel dignitatis, etiamsi Papalis, existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem & extirpationem dicti schismatis.* Probat hæc formula. Tum quia tres Codices manuscripti, continentes Acta Constantiensis Concilij, ab ipsius Notarijs conscripta, ex quibus Basileenses Decreta Constantiensia compilârunt, non habent illa verba contenta in primo Decreto Sess. IV. & ad reformationem Generalem Ecclesiæ in Capite & in membris. Extant insuper quatuor manuscripti Codices continentes gesta indubitata Constantiensis Synodi, quorum duo circa ipsius Constantiensis Concilij tempus conscripti, licet habeant multò plura, quàm hæctenus fuerunt edita, nullam tamen in Decreto Sessionis IV. faciunt mentionem de reformatione Ecclesiæ in Capite & in membris. Duo demum Codices, continentes regestum Actorum Constantiensis Concilij, quorum unus circa tempus ipsius Concilij scriptus, spectavit ad Cardinalem Sirletum, alijs antiquo caractere Italico conscriptus est, tametsi omnia Acta contineant à prima Sessione usque ad electionem Martini V. in Decreto tamen Sessionis IV. nullam faciunt mentionem illius clausulæ de reformatione in Capite & in membris. Indubitatum igitur est, prædicta verba, quæ in alijs Codicibus Actorum Constantiensium exhibentur, erroneè fuisse à Basileensibus adjuncta Decreto Constantiensis Sessionis IV. Tum quia extat adhuc celeberrimus Codex Capranicensis, qui ad usum Cardinalis de Capranica temporibus Concilij Basileensis vi-

derus

detur scriptus, in quo deest illa quoque clausula de reformatione Ecclesie in Capite & in membris. Accedit alius Codex antiquissimus, qui ex Bibliotheca Cardinalis Ludovisij in Bibliothecam Cardinalis Ottoboni migraverat, atque hujus liberalitate in Bibliotheca Vaticanâ repositus fuit, in quo eadem omnino desiderantur. Testatur denique Schelstratus, inter omnes manuscriptos Codices Constantiensis Synodi, quos magno numero viderit, nullum se reperisse, in quo verba illa habeantur, præter unum, in quo Tabellarius, cum originale difficili characterè exaratum esset, Aucta descripsit ex impressis Codicibus, & verba illa contra fidem Originalis manuscripti, Decreto primo Sessionis IV. Constantiensis adjunxit. Quibus ita constitutis, satis elucet, Decretum primum Constantiense Sessionis IV. restringi ad tempus schismatis, sicque evanescere argumentum ex compilatione Basileensium, clausulam illam de reformatione Ecclesie in Capite & in membris indebitè intrudentium, desumptum ad probandam Concilij Constantiensis prætensionem de Concilij super Papam etiam certum auctoritate.

Sed ad ea, quæ iuris sunt, progrediendo, pro tertio lubet percontari, quomodo Concilium Constantiense pro statu Papæ dubij poterit prætere esse immediatè à Christo? Etenim ex Matth. 18. constat, Concilium Oecumenicum non consistere, nisi sit congregatum in nomine Christi, sive vicariâ Christi auctoritate, non nili penes certum Papam subsistente.

Verùm dicere omnino oportet, quod Synodus Constantiensis cum veritate asseveraverit, suam potestatem esse immediatè à Christo. Indubitatum namque est, potestatem Episcopalis characteris esse immediatè à Christo, in eoque radicatum esse jurisdictionem Pastoralem, nuncupari solitam radicalem, in Corpus Christi mysticum, nempe fideles, potestatem spirituales, seu Ecclesiasticam: ad quam Paulus Apostolus Ad Rom. 20. volebat intentos esse universos Ecclesie Præsules dicendo: Attendite vobis, & universo Gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei. In quantum ergo character Episcopalis immediatè à Christo seu principali Causâ collatus, intrinsecum ac essentialem habet ordinem ad Corpus Christi mysticum, in tantum Spiritus sanctus in vi ipsius Episcopalis characteris posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei: quemadmodum etiam character Sacerdotalis eatenus protenditur super Corpus Christi mysticum, quatenus importat potestatem absolvendi à peccatis fori pœnitentialis propriam. At verò hæc ipsa Sacerdotalis à peccatis absolvendi potestas in ordine ad peccata mortalia, ut sortiri valeat suum effectum, indiget quidem actuali seu formali per Episcopum, vel Papam concedendâ jurisdictione, & tamen absque hujus delegatione seu collatione specificâ, pro casu necessitatis prodire potest in effectu validè absolutionis moribundo impendendâ. Sic proinde pastoralis in character Episcopali radicata potestas ex intrinsecâ naturâ suâ eatenus

respicit Corpus Christi mysticum, sanguine Christi redemptam Ecclesiam, ut in ordine ad actuale sui exercitium, secundam viam ordinariam indigeat aliquâ sui morali auctoritate per jurisdictionem formalem & proximam à Papâ derivabilem faciendâ. Nihilominus vi ejusdem characteris Episcopalis ex natura sua intrinseca respicientis Corpus Christi mysticum, sicque ex substantiali sua habitudine ordinati ad universalis Ecclesie Bonum publicum, in casu extraordinaria necessitatis, quæ maximè urget, dum nullum noscitur Ecclesie sanctæ Caput Oecumenicum, pro tunc resultat obligatio providendi publico Ecclesie Bono. Unde vi ejusdem characteris Episcopalis, & in hoc radicata gubernativa erga Christi Ecclesiam potestatis, à Christo immediatè competit Episcopis libera & expedita facultas ad prospiciendum in casu publicæ necessitatis fidelibus, Ecclesieque sanctæ in ijs, quæ fidem ac extirpationem schismatis, atque Capitis certi provisionem concernunt. Quia proinde Generalis quædam Episcoporum illo Christi characteris insignitorum, & in vi hujus characteris à Spiritu sancto ad Ecclesie sanctæ regimen ordinatorum Congregatio representabatur in Synodo Constantiensi, ad schismatis, fideique errorum extirpationem coadunata, rectè dicitur fuisse congregata legitimè in Spiritu sancto, à quo scilicet omnes illi Episcopi ad Ecclesie regimen, ejusque Bonum publicum erant ordinati. Quare Synodi istius potestas erat immediatè à Christo, utpote coalescens ex Episcoporum pro publico Ecclesie sanctæ Bono, nempe hæresum ac schismatis extirpatione ibi aggregatorum in unum collatis, à Christo seu Causâ primariâ, unâ & Spiritu sancto immediatè promanantibus characteribus.

S. III.

Quantum valeat Decretum Sessionis V. Concilij Constantiensis ad probandam Concilij super Papa superioritatem?

Hoc Decretum ita se habet: Declarat Synodus, quod ipsa in Spiritu sancto legitimè congregata, Concilium Generale faciens, & Ecclesiam Catholicam representans, potestatem à Christo immediatè habet, cui quilibet, cujuscunque status, vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti schismatis, & reformationem dictæ Ecclesie in Capite & in membris. Item declarat, quod quicumque, cujuscunque conditionis, status, dignitatis, etiam Papalis, qui mandatis, statutis, seu ordinationibus, aut præceptis hujus sacre Synodi, vel cujuscunque alterius Concilij Generalis legitimè congregati, super præmissis, seu ad ea pertinentibus factis, vel faciendis obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, condignè pœnitentiæ subiciatur, & debitè puniatur, etiam ad alia iuris remedia, si opus fuerit, recurrendo.

Hinc pro primo objicit Maymbourgeois. Posito, verba illa: Et ad reformationem Ecclesie in Capite, & in membris, non contineri in De-

Moritas
de
CIVI

24.
25.
Pag.
286. n.
51. 66
seq.

creto primo Sessionis IV. clarum tamen esse, quod posita sint in Decreto Sessionis V. Nihil autem referre, quânam Sessione sit statuta illa clausula.

26. Verùm isti objectioni occurrit Schelstratus, asserendo, plurimum referre, quod clausula illa Sessione V. potius, quàm IV. fuerit edita: quàmvis enim utraque illa Sessio ab una tantùm ex tribus Pontificum de Papatu contendendum Obedientijs facta sit, ac proinde neutra plenum robur habere possit, differt tamen Sessio V. à Sessione IV. quod illa celebrata sit, contradicentibus gravioribus de Obedientia Ioannis XXIII. Patribus, cum econtra Sessio IV. habita fuerit consentientibus omnibus, qui erant de dicto Ioannis XXIII. obedientiâ, licet non intervenerint Antistites, qui fuerant de obedientia Gregorij XII. & Benedicti XIII. Quàmvis igitur non agatur hic de Decreto Concilij Generalis, ad quod omnes fideles tenentur, sed de Decreto Concilij, quod ob varias rationes meritò vocatur in dubium, hoc tamen necessum est, tantò magis infirmari, quanto plures rationes militent contra illud. At ultra rationes, ob quas Decretum Sessionis IV. revocari potest in dubium, contra Decretum Sessionis V. repetitur etiam illa, quæ desumitur ex contradictione plurium Patrum, qui erant etiam de Obedientia Ioannis XXIII. Quia igitur clausula illa de reformatione solum Sessione V. fuit publicata, quæ Sessio, uti mox ulterius patebit, multis infirmatur rationibus, ideo Decretum continens eam clausulam, minimè firmum dici potest ac debet.

27. Firmatur pro secundo hæc responsio ex relatione historica paucis hic reiteranda. Ubi namque post Sessionem IV. deputati quatuor Nationum die 2. Aprilis statuerunt, quod proximâ Sessione V. omnes articuli & clausulæ per Nationes concordatæ in ultima Sessione prætermittæ, expedirentur. Exinde Cardinales Nationibus nullatenus consentientes quoad clausulas & articulos Sessione IV. prætermittos, cum intellexissent, eos, se invitatis, Sessione V. publicandos esse, in primis statuerunt, non venire ad Sessionem, sicuti de facto interesse renuerunt quatuor Cardinales: at reliqui, ubi animadverterunt, non posse cunctos sine publico scandalo & periculo dissolutionis Concilij abesse, decreverunt adire quidem Sessionem, præmissâ tamen protestatione secretâ: Quod propter scandalum evitandum irent ad Sessionem, non animo consentientibus, quæ audierant, in eâ statui debere. Eandem protestationem fecerunt quoque Legati Regis Galliæ, qui sese quàm strictissimè conjunxerant cum Cardinalibus. Quare non solum contra mentem Ioannis XXIII. sed & contra sententiam totius sacri Cardinalium Collegij, Galliæque Legatorum, publicata sunt illa Decreta cum clausulis in præcedenti Sessione IV. prætermittis, & ideo Cardinalis Florentinus, ad quem tunc spectabat Decretorum publicatio, rogatus, ut Decreta legeret, munus illud exequi recusavit, sed hoc præstitit Boznaniensis, uti hæc patent ex

Regesto Constantiensis Concilij in tribus manuscriptis Codicibus. Lectis equidem hæc Decretis, ante Sessionem V. apud Nationes deliberatis & conclusis, dicere potuerunt istarum Præsides, quod eorum publicatio placere majori parti Nationum, minimè tamen Cardinalium Collegio: cum enim Cardinales post fugam Ioannis XXIII. petissent pro suo sacro Collegio suffragium distinctum à Nationum suffragijs, exinde passim repulsam, separarunt se à Nationibus, nolueruntque eorum Congregationibus interesse; uti patet ex Actis dicti Concilij, & ex manuscripto Codice Bibliothecæ Regis Christianissimi. Ubi expressè refertur, Romanæ Ecclesiæ Cardinales post recessum Ioannis XXIII. à Nationibus petivisse, ut ipsorum Collegium quoad suffragia unum votum cum ipsis haberet in Sessionibus publicis: in quo tamen repulsam passim sint, ita, ut gesta Concilij hæcenus inedita ad Sessionem VII. noverit, quod Cardinalibus vix unquam communicata fuerint Decreta publicanda in Sessionibus, ut desuper deliberarent. Ex quibus proinde elucet, quàm immeritò scribat Maymbourgus, Decreta Sessionis V. consentientibus omnibus obedientiæ Ioannis XXIII. Patribus, fuisse publicata. Nonne enim testatur Codex manuscriptus Regis Christianissimi, quod post recessum Ioannis XXIII. Cardinalibus negatum sit votum speciale in Sessionibus publicis? Nonne ex septè Codicibus manuscriptis gesta, & regestum Actorum Constantiensium continentibus, manifestum extat, Cardinales noluisse sese Nationibus conjungere, quoad conclusionem Decretorum Sessionis V. sed egisse separatim, & tantis viribus obtulisse eorum publicationi? Nonne ex tribus manuscriptis Codicibus patet, Cardinales Sessioni V. interesse noluisse, nisi præmissâ protestatione secretâ, quod consentire nolint ijs, quæ audierant, in ea statui debere? Nonne ex gestis Concilij habetur, Cardinalem Florentinum, ad quem de more spectabat, Decreta pronuntiare, dissentium Cardinalium sufficienter indicasse, dum in Sessione V. à Nationibus rogatus, ea legere publicè recusavit? Nonne eadem Concilij Constantiensis gesta perhibent, Cardinalem præsidem Sessione V. pro Cardinalium Collegio, nullum tulisse votum, sicque neminem fuisse, qui unâ cum quatuor Nationum Prælati vice Cardinalium ferret suffragium? Nonne ex his omnibus clarissimè constat, non solum gravissimos Patres à contraclamante multitudine in Congregationibus Nationum superatos per se nullum tulisse votum, sed nec Cardinales per alios Consensum præbuisse?

Sed isthæc proximè exposita concertatio pro tertio facile intelligeretur evanescere, si probaretur, Decreta quarta & quinta Concilij Constantiensis Sessionis, esse restricta ad tempus schismatis, & ad statum Papæ dubij. Hoc præstat Auctor Concilij Trident. in extinctæ Veritatis, accuratius expendendo, quod Synodus Constantiensis in proloquio contingente dictam Sessionem IV. imò & V. eatenus dicat, se pro ex-

31.
 patione presentis schismatis, & unione, vel etiam reformatione Ecclesie Dei in Capite & in membris facere Generale Concilium; ut sub his ipsissimis verbis manifestè supponat, Synodum ejusmodi pro tali statu subsistisse absque certo Capite, imò ad certum Caput Ecclesie constituendum in Spiritu sancto legitime congregatam esse. In aperto igitur est, Decreta ejus Synodi pro tali statu condita, non habere locum, nisi in casu schismatis, seu de Ecclesie legitime Capite dubietatis statu. In qua adeò rerum perituali Synodus Constantiensis faciebat Generale Concilium, non in statu consummato ac perfecto, utpote Vicarium Christi characterem exigente, sed in statu tendentia ad consequendam unionem, reformationemque Ecclesie in membris & Capite eatenus obtinendam, quatenus, oportebat, primum constitui certum Caput Ecclesie. Sub qua proinde tendentia ita erat Synodus illa in Spiritu sancto legitime congregata, ut ejusdem tamen, qua Concilij Oecumenici, perfectio & consummata infallibilitas minimè subsisteret quousque tandem supervenisset vicarius Christi character, Decreta ab eà Synodo condita approbans, suaque muniens auctoritate.

32.
 Firmatur pro quarto hæc intentio nostra, expendendo, quomodo Synodus Constantiensis pro statu, in quo non extiterat certum Ecclesie Caput, potuerit cum veritate dicere, quòd esset representans Catholicam Ecclesiam militantem? Quomodo enim Synodus illa Ecclesiam Catholicam, non ex membris duntaxat Hierarchicis, sed horum Capite visibili constantem, pro tunc representabat, quando Ecclesia militans, quoad certitudinem saltem, imò secundum strictam veritatem, desistebatur tali Capite?

33.
 Verum sicuti Synodus illa non erat in perfecto Concilij Oecumenici statu, sed erat in statu tendentia ad hujus ex Capite Christi Vicario characteris perfectionem, sui que cum legitimo tandem Capite unionem consequendam; sic universalis Ecclesie representatio intra illam Synodum pro statu Sessionis IV. & V. nondum erat consummata, sed ejus consummatio querebatur ex schismatis extirpatione, generali que Ecclesie Dei in certo Capite constituendo, membris que universis cum hoc uniendis reformatione. In quo proinde statu dicendum est, loqui Decreta ejus IV. & V. Sessionis: unde sicut nullus dignitatis Papalis characterem, cum certitudine saltem præferens, tunc existeret, sic Decreta illa nequeunt intelligi, quòd afficiant verum ac certum Papam futuris temporibus Ecclesie præficiendum: quippe cum ibidem disertè dicitur, omnem, cujuscunque, etiam si Papalis exibat dignitatis, teneri ad obediendum in his, qua pertinent ad extirpationem schismatis, vel etiam Generalem in Capite & membris Ecclesie reformationem; ex certi scilicet Capitis creatione, membrorum que Hierarchicorum Generali cum hoc unione introducendam: cujusmodi adeò restrictiones non aliud respiciunt, nisi perturbatum illud ex Capitis incertitudine resultans tempus.

31.
 Tametsi verò fidei Dogmatum in Synodo illa Constantiensis faciendorum obedientia sub ijs Decretis exigatur etiam à Papà: uti tamen id Concilium, sic ejus quoque sanctiones dogmaticæ pro tunc erant in statu tendentia ad characterem Christi vicarium in terris, haud certò tunc subsistentem, sed ipsiusmet Concilij in hunc finem legitime in Spiritu sancto congregati auctoritate, tandem consequendum. Quo characterè superveniente, in his, qua ad fidem pertinent, per approbationem certi Pontificis eatenus succedebat sanctionis dogmaticæ consummatio, ut omni, etiam si Papalis existat dignitatis, sit in eis obediendum.

32.
 Nec obstat pro quinto, quòd in Decreto Sessionis V. subiiciatur pœna coercitiva, ipsum etiam Papam constringens, ubi statuitur ejus sacra Synodi, vel cujuscunque alterius Concilij Generalis legitime congregati, obedire contumaciter contempserit. Nam singulariter notandum ibi venit, quòd hæc lex pœnalis, juxta expressa Decreti verba, coarctetur ad præmissa, adeoque ad ea, qua ad extirpationem schismatis, & reformationem Ecclesie in Capite certo constituendo, membris que Hierarchicis cum hoc uniendis, sic que contendentibus de Papatu reformandis, pertinebant. Unde fit consequens, ordinationes in præactis Decretis factas, seu pro statu incerti Papatûs faciendas, ita fuisse restrictas ad præacti finis mensuram, ut ordinarentur ad eam Oecumenicæ sanctionis consummationem, qua non nisi ex Summi Pontificis, ad quem constituendum collimabat ea Synodus, postmodum eligendi vicario Christi characterè obtinenda esset. Juxta quem adeò sensum accipi quoque debere præsentem Cleri Gallicani articulum secundum, videtur evinci ex ejusdem verbis proprijs, utpote quibus disertè asseveratur; Synodi Constantiensis Decreta ibidem allegata, non aliter, quam ex Sedis Apostolicæ, atque adeò Summi Pontificis postea subsecuti comprobatione, valere tanquam Oecumenica, sic que tantum subsistere immota.

33.
 Sub præacta hypothese proximè jam expostè pro sexto dicendum est, Concilium Constantiense in statu IV. ac V. Sessionis non fuisse formaliter Oecumenicum seu Generale, sed materialiter duntaxat ac dispositivè. Explicatur. Constat namque ex dictis superius, quomodo Concilium dici possit Generale secundum denominationem generalitatis tum formalis, tum materialis. Generalitas nempe materialis importat quandam coacervationem Episcoporum ex universo Christiano Orbe convocatorum: quorum character Episcopalis importat quidem aliquid etiam de formalis erga universale sanctæ Ecclesie regimen ordine, quasi radicali & transcendentali in Ecclesie publica necessitate, sub schismatis præsertim tempus, ad debitam provisionem universos Episcopos tam sigilatim, quam collectam constringente, ita tamen, ut ejusmodi regiminis Ecclesiastici ordo Hierarchicus, in characterè Episcopali fundatus, nullatenus proten-

protendi valeat super Papæ auctoritate Oecumenicâ, quin potius ista super illius tam actuacione, quam exercitio morali extendatur. Quamdiu ergo Concilium constat ex solis Episcopis, quantumvis ex toto Christiano Orbe essent convocati, nequit dici perfectè Oecumenicum, seu Generale, nisi vel *materialiter* duntaxat, vel secundùm quandam adhuc incompletam *formalis* generalitatis, quâ characteri Episcopali inexistentis, sed quoad sui *actuacionem & moralitatem omnimodam* supremo Ecclesiæ Capiti Romano Pontifici subordinatæ denominationem: siquidem ex *Matth. 18. cap.* sæpius jam fuerit ostensum, quòd nequè prima Concilij Oecumenici convocatio subsistat, nisi ex vicario Christi Nomine, Papæ in terris proprio, neque præminentia consummatæ in fidei dogmatibus decidendis infallibilitatis habeat locum, nisi ad Hierarchici Ecclesiæ Corporis Decretum *Concilij* accedat Capitis consensus: neque *indefinita*, Papali auctoritati compar, ligandi & solvendi potestas Apostolis *collectivè* sumptis, nempe quâ Ecclesiâ Hierarchicam representantibus, pro perpetuo Ecclesiæ statu promissa, competere possit Concilio, nisi quâ *indivisibiliter & Papam, & Apostolorum* in Episcopali characterè Successores in unâ Synodo collectos complectenti. Quàm parum proinde corpus organicum hominis dici potest humanū nisi *materialiter & dispositivè*, quamdiu ipsi deest anima, ceu forma in Esse humani corporis *essentialiter ac formaliter* constitutiva: sic neque Concilium potest denominari *completè ac formaliter* Oecumenicum seu Generale, nisi Ecclesiæ Corpus Hierarchicum ex Episcopis ac Præsulibus in Synodo aggregatis consistens, sit unitum Romano Pontifici, ceu suo & sanctæ Ecclesiæ Capiti universali atque Oecumenico. Quandoquidem igitur Conciliū Constantiense pro statu schismatis, & Papæ dubij perinde habendum fuerit, ac si nullus eidem interesset verus Papa, in facie sanctæ Ecclesiæ præferens characterem Capitis Oecumenici, imò tempore *quarta & quinta* Sessionis Constantiensis ne dubij quidem Papæ character intervenerit, quin imò ne quidem Episcopi dubiorum Paparum obedientijs *diversimodè* addicti, universi ibi præsentés extiterint: meritò jam sciscitari licet, *quomodò pro tali statu Synodus illa uti potuerit titulo Generalis Concilij, nisi quoad generalitatem quasi materialem, & incompletè duntaxat formalem, quâ Episcopali characterè insignitam, subsistentem pro tunc sub statu tendentiæ, tum ad omnimodam integritatem materialem ex duorum Paparum obedientijs coadjuvandam, & cum Ioannis XXIII obedientiâ postea coadunandâ, tum ad perfectam ex Papâ certo sufficiens, suisque Conciliaribus Decretis accessuro substitutam formalem generalitatem.* Sub cuiusmodi ad eò restrictione, poterat Synodus Constantiensis pro eo statu dici *representans Ecclesiam Catholicam militantem*, quatenus elicit Ecclesiæ Hierarchicum, sed adhuc *incompletum, & Capite certo destitutum, Corpus representabat, sub ordine tendentiæ ad istam sui ex Capite integritatem recuperandâ,*

ex pag.
288. n.
60.

S. IV.

Quenam opponi possint exceptiones adversus IV. & V. Sessionem Concilij Constantiensis, casu, quo sub eandem Decretis prætenso fuisse Concilij super vero & indubitato Papâ superioritas & auctoritas, maxime coercitiva?

Sub præacta hypothese excipi posset primo adversus Decreta Sessionis IV. & V. Constantiensis, non fuisse in ijs servatam formam Concilij à Christo constitutam, nec addèd Christum unâ cum Spiritu sancto eidem adfuisse. Etenim Christus *Matth. 17.* Apostolos missurus ad docendas omnes Gentes, *v. 20.* eidem promisit: *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Hæc igitur assistentiæ Christi promissio noscitur esse annexa characteri Apostolico usque ad consummationem sæculi in Ecclesia permanfuro. At ea Christi promissio est ipsissima illa, quam Christus iterum ad mortem, *Ioann. 14. v. 16.* fecerat eidem Apostolis: *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis.* Ista proinde Spiritus sancti assistentiæ ex Christi orationis efficaciam in æternum persisit eatenus in Apostolis, quatenus semper est annexus characteri Apostolico. At verò iste character Apostolicus, non consistit in præficio characterè Episcopali, sed in *indefinitè* ligandi & solvendi auctoritate; prout patet ex *Matth. 18. cap.* Neque verò iste Apostolicus *indefinitè* ad ligandum & solvendum potestatis character, juxta dicti *capitis 18.* sacrum contextum, reperitur in aliquo Ecclesiastico Concilio, nisi sit aggregatum in Nomine Christi, quod Christi nomen unice præfert Apostolica Christi vicaria auctoritas. Atqui sublatis Apostolis, cum solius Petri Apostolica in terris superstit auctoritas, neque verò ista Apostolica auctoritas, saltem antecederet ad Concilij Oecumenici aggregacionem reperiri in ullo, nisi in Petri successore Romano Pontifice, eivendit hinc reddidit notum, non posse Oecumenicum Concilium, cui Christi ac Spiritus sancti assistentiæ sit Divinitus repromissa, ullatenus intelligi, nisi Petri, ejusque successoris Apostolica interveniat auctoritas. Postitâ igitur eâ hypothese, quòd *Sessionis V.* Constantiensis Congregatio sibi pro tunc vendicasset auctoritatem ejusmodi Apostolicam absque ullius Papæ interventu, atque ad eò cum exclusione characteris Apostolici, prætendendo scilicet Concilij *cephali* super Papâ superioritatem: nequisset sanè pro eo statu habuisse illam à Christo promissam sibi ac Spiritus sancti assistentiæ: cum reverâ ex nullo Evangelij apice possit vel umbra afferri ad probandum, quòd character Apostolicus *indefinitam* ligandi & solvendi potestatem præferens, conveniat Synodo non insignitæ Christi vicario, soli Petri successoris proprio, Nomine. Et hinc mirum non est, tot tumultibus agitatum fuisse *V.* præcipuè Synodi Constantiensis *Sessionem*, si con-

contrariam se gesserit erga characterem Apostolicum, sub quo noscitur Concilio Ecclesiastico promissus Spiritus sanctus, unâ cum Christi & Patris Æterni assistentiâ.

Sub præinsinuata hypothese excipi potest *secundò*. Sessionis V. Congregationem Constantiensem in eo se posuisse statum, ut ne quidem *materialiter* & *dispositivè* dici posset Generalis ac Oecumenica Synodus. Explicatur. Constititit namque ab initio hæc Synodus ex Episcopis Joannis Papæ dubij XXIII. Obedientiæ addictis, ad providendum Ecclesiæ de certo Capite in Concilium aggregatis, Sub hoc statu ipsimet characteres Episcopales in unum collati ex *intrinsicâ* naturâ suâ faciebant Synodo potestatem super Papis dubijs, ubi ad schismatis extinctionem id opus foret, etiam deponendis, & prospiciendo de unius indubitati Pontificis successione, uti ex *antecedentibus* constat. Quæ nihilominus Synodus intenta erat de Papis dubijs removendis per spontaneam renuntiationem, sicque erat in statu tendentiæ ad characterem Apostolicum, ex Papæ certi electione sibi met conjungendum, poteratque adeo tunc dici *dispositivè* & *materialiter* Generalis, utpote habens aptitudinem ad Concilij Oecumenici formalem ex Papa postea eligendo characterem obtinendum.

Verùm ubi Ioannes XXIII. Constantiâ aufugerat, non attento, quod iteratò promississet renuntiationem, Synodus illa descendit non solum ad auctoritativum processum contra illum Papam dubium, sed uti pars adversa prætendit, ad Decretum Concilij super Papam quoque certum superioritatis definitivum. In quo adeo statu ea Synodus se posuit in statu contrario erga characterem Concilij, quâ Oecumenici *formaliter* constitutum.

Probat ut istud subsumptum. Si namque Adversarij totum evolvant Evangelium, non poterunt ullum assignare apicem, qui secus ac *Matth. 18.* est traditum, statuatur Concilij Oecumenici characterem, ex alio quàm Christi Nomine vicario consistentem. Neque verò dicere fas est, Apostolicam auctoritatem Christi Nomen præferentem, ac sub *indefinitâ* ligandi & solvendi potestate consistentem, ex ullo Apostolorum, si *divisim* spectentur, transiisse in aliquem successorem, unico Petro excepto, cui claves Regni cælestis cum ordine ad perpetuum Ecclesiæ statum, adeoque cum jure successione sunt collate. Quæ verò *indefinitâ* ligandi & solvendi potestas Apostolis *collectim* sumptis, quâ Ecclesiam Universalem representantibus *cit. 18. Matth.* est promissa, noscitur ex sacro contextu non aliter subsistere, nisi Concilium fuerit congregatum in Nomine Christi vicario, antecedenter se habente ad Concilium: quippe cum istud debeat convocari per hoc Christi Nomen vicarium unice jam subsistens in Petri successore. Quia igitur *secundum præsuppositam hypothese* Congregatio illa Constantiensis in *Sessione V.* adversus istum Petri successoris proprium characterem se opposuit, qui est Christo *immediatus* & *proximus*

vicarius, superponendo characterem Christo immediatiorem, indeque adeo superioriorem, dum nempe statuit Concilij super Papa superioritatem: idcirco Synodus illa nequibat pro tunc permansisse in statu etiam *materialiter* duntaxat, ac *dispositivè* Oecumenici Concilij, quamvis postea non ad istum solummodò statum redierit, sed tandem ex accessu Pontificis Martini V. pervenerit ad statum Synodi *complete* ac *formaliter* Oecumenicæ, subsistentis scilicet ex vicario Christi characterem, illi ex tunc certo Papæ inexistente.

Juxta præfatam hypothese excipi potest *tertiò*. Pro statu V. præsertim Sessionis se protendentis ultra schismatis statum, atque Concilij super Papâ etiam certo superioritatem decernentis, non potuisse tunc in Synodo Constantiensi Ecclesiam Universalem sufficienter, ac perfecte representatam fuisse. Explicatur ac imprimis ostenditur, stante illâ hypothese, ne *materialiter* quidem generalitatem pro statu V. Sessionis habuisse locum in Concilio Constantiensi, atque adeo istud haud fuisse sufficienter representativum Ecclesiæ Universalis, etiam quoad *acephalum* illius Corpus Hierarchicum. Cum equidem Christus *Matth. 18.* discretis verbis sit contestatus, se in medio eorum fore, *ubi duo vel tres in nomine suo congregati fuerint*; clarè hinc evincitur, Concilij Oecumenici generalitatem constare posse ex paucioribus quidem Præsulibus Ecclesiasticis, modò isti congregati fuerint in nomine Christi ad totum Orbem Christianum se protendente. At neque convocatio ista, neque aggregatio Præsulum Ecclesiasticorum, pro Synodo Constantiensi prætendi potest esse facta sub certo Christi vicario characterem. Unde quia hic character incertus, vel etiam nullus fuit in Ioanne XXIII. convocante Synodum Constantiensem, nequibat hinc Ecclesia certificari de statu Oecumenici Concilij. Non poterat igitur ea Synodus in facie Ecclesiæ haberi quâ Generalis, nisi *dispositivè* fortassis & *materialiter*, non aliter tamen, quàm sub respectu ad indubitatum Christi vicarium characterem, soli Papæ certo *secundum prudentialis credibilitatis evidentiam* inexistere possibilem.

Etsi verò ipsorum etiam Præsulum characteres Episcopales in unam Synodum Constantiensem collati ex suo *transcendentali* ad Ecclesiæ regimen ordine, atque adeo ex suâ connatâ ad certum Ecclesiæ Caput habitudine & ordinatione *intrinsicâ*, jam fundarint *materialiter* quandam Concilij generalitatem, sub statu tendentiæ ad certi Papæ characterem obtinendum ordinatâ: hæc ipsa tamen generalitas *materialis* pro eo etiam statu, quo Synodus Constantiensis supra Papam certum contendeat se efferre, necdum complectebatur Episcopos ac Præsules, Benedicti XIII. & Gregorij XII. obedientiam professos. Quæ integritas *materialis* in Concilij Constantiensis V. præsertim *sessione* tantò magis decredebatur, quod ex ipsâ etiam Ioannis XXIII. obedientia, quàmplures Patres, in *contrarium*

38.

PAG.
305. N.
71. C.

39.

rium protestati fuerint. Imò dum Congregatio ejusmodi à charactere Concilij Oecumenici formaliter constitutivo, vicario scilicet Christi nomine se alienum ostendebat, ex tunc prorsus deficiebat Conventus illius ordo & habitudo ad characterem Christi vicarium, siquidem iste per essentiam suam non admittat auctoritatem Christo immediatam, atque adeò se majorem; sicque proinde sancitâ Concilij super Papam auctoritate, jam abjiciebatur ille vicarius Christi character. Unde quando prædictæ Sessionis V. Congregatio Constantiensis, neque reliquarum duarum Obedientiarum Patres; neque plures ex Ioannis XXIII. Obedientiâ Præsules, utpote in contrarium protestantes complexa est, sed insuper desijt esse in tendentia ad sui complementum formale & substantivum, ex immediato Christi vicario characterem, solius Papæ proprio, sibi adsciscendum: omninò consequens est, tunc ne quoad materiam quidem hierarchici Corporis generalitatem fuisse illam Synodum Ecclesiæ universæ sufficienter representativam.

40. Pro quarto ostenditur præterea, stante præfatâ hypothesi in statu Sess. V. Synodo Constantiensis longè magis defuisse formalem generalitatem, atque adeò vim Ecclesiæ Universalis sufficienter & completè representativâ. Etenim Concilium Oecumenicum venire nomine Ecclesiæ, dicere debent illi universi, qui assleverant, ipsi appropriari posse illud *Matth. 18. De Ecclesiâ. Et. Qui Ecclesiam non audivit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Num verò sub isto Ecclesiæ vocabulo in hoc sacri Evangelij textu dicere fas est, intelligi Corpus Ecclesiæ Hierarchicum *acephalicè* sumptum; an verò quâ Capiti suo Summo Pontifici unitum? Certè Ecclesiam, quam nefas est, non audire; esse à Christo condecoratam indefinitâ ligandi & solvendi auctoritate Apostolicâ, constat ex sacro Evangelico contextu. Ex quo insuper constat, Ecclesiam illam eâ pollere præminentia, ut, si duo inibi aggregati consenserint, super quacunque re, quam petierint, ipsis fore impertendam à Patre caelesti. Constat præterea ex ejusdem Evangelij contextu, istos duos esse, qui congregantur in nomine Christi, atque adeò tum Præsules hujus nominis auctoritate aggregatos, tum illum, qui præfert hunc Christi vicarium characterem. Nequit ergo illa in Concilio Oecumenico *representative* consistens Ecclesia *sufficiens* ac *integraliter* subsistere, nisi illi Duo, nempe Corpus Ecclesiæ Hierarchicum nomine Christi aggregatum, & Caput, vicarium Christi characterem præferens, jungantur in Generali Concilio. Quia igitur in Concilio Constantiensis, juxta hypothesein superius positam, pro statu præsertim V. Sessionis, erat defectus tam ex parte Corporis Hierarchici, quam ex parte Capitis: imò quia hujus auctoritas suprema, quâ Christi vicarium nomen immediatè præferens, tollebatur è medio; consequens est, Concilium Constantiense pro illo statu non fuisse Ecclesiæ Universalis sufficienter representativum, ita ut

in ejus medio Christus, unâ cum Patre suo Æterno, ac Spiritu sancto adfuisse dici poterit.

S. V.

In quo sensu juxta Gallicani Cleri Declarationem præsentis articulo secundo positam, accipienda sint Decreta Sess. IV. & V. Concilij Constantiensis?

Clerus Gallicanus in hoc articulo ita tribuit Apostolicæ Sedi plenam spiritualium rerum potestatem, ut immota tamen consistere velit sanctæ Oecumenicæ Constantiensis Synodi Decreta de auctoritate Conciliorum Generalium, quæ Sessione IV. & V. continentur. Cujus suæ assertionis rationem videtur in hoc reducere, quod ea Decreta sint à Sede Apostolicâ comprobata, ipsoque Romanorum Pontificum ac totius Ecclesiæ usu confirmata, acque ab Ecclesiâ perpetuâ religione custodita. Rejicit denique illos, qui ad solum schismatis tempus dicta Concilij Decreta detorqueant. Pro quibus singulis accuratius expendendis, sequentes hic proponemus, & discutimus *disquisitiones*.

Primò igitur exordiendo à puncto extremo, disquirere lubeat; An Conciliorum Generalium, *acephalorum* tamen, auctoritas erga præsumtum aliquem Papam extendi valeat ultra tempus schismatis? Ex antecedentibus constat, dum ex schismate nulla elucet saltem convincens credibilitatis evidentia, penes quem Papatus legitime subsistat, tunc re ipsâ deficiere conditionem à Christo positam pro claribus Regni cælorum obtinendis, siquidem Christus ea verba ad Petrum cum successione ordine prolata: *Tibi dabo claves Regni Cælorum, annexerit ad statum, in quo verificetur, Petri successorem ita esse in Petrà, seu Cathedrâ Apostolicâ, ut super ipsam ædificetur Ecclesia.* Quia igitur hæc Ecclesiæ ædificatio consistit ex fide, per quam constituendus in Cathedrâ Apostolicâ, credi debeat esse confors illorum Christi verborum, *Tibi dabo claves Regni Cælorum*; idcirco, dum propter schisma constare haud potest, quis legitimus sit Petri successor, seu quem præfata Domini nostri verba contingant, nequit pro tunc status ille subsistere, in quo clavium auctoritas Apostolica in vi verborum Christi, alicui de Papatu contentendum reverâ sit collata. Ultra schismatis hujusmodi tempus, certum insuper est, eum, qui verus erat Papa, si lapsus sit in hæresin, fide Divinâ, seu *substantiâ* Ecclesiæ formâ destitutum, desinere esse membrum Ecclesiæ, adeoque ipso jure *divino* non posse jam esse sanctæ Ecclesiæ Caput, ipsoque adeò *facto & jure* amittere jus Papatus. Hinc proinde Concilium Generale jam *acephalum*, dum etiam est probabilitas duntaxat de tali hæreseos contaminatione, potest super Papâ jam dubio facto processum *judicialis* instituire, eumque de hæresi *juridicè* convictum

an-

authoritative declarare, quod ipso jure Divino sit a Papatu depositus.

Datur insuper casus, quod Papa per vim, aut violentiam, seu metum gravem ac injustum est intrusus, vel per simoniam inique promotus. Contingere etiam potest, quod in electione Papae designativa interveniat defectus substantialis alicujus requisiti. In quibus universis casibus non potest persona ad Papatum sic intrusa pertinere ad statum successione Petri, nec adeo contingant ipsam verba Christi: Tibi dabo claves Regni Caelorum. In qua proinde variorum adeo casuum periculis, nullo etiam intercedente schismate, Papatus re ipsa vacat, nec adeo subsistere tunc potest Synodus Generalis, nisi acephala, ex Episcopalibus characteribus ex toto, quantum fieri potest, Christiano orbe collatis, absque Christi vicario characterem, Oecumenici Concilii formaliter & substantialiter constituto, coalescens. Cui nihilominus Synodo, asseverandum est, competere auctoritatem super ejusmodi Papa seu intruso, seu vitiose promotio judicialiter procedendi, ac pro nullo authoritative declarandi, providendique de medijs, quibus Ecclesia sancta potiri tandem valeat legitimo Capite, vero summo Pontifice. Hinc ergo evidens redditur, auctoritatem Concilii Generalis licet acephali, haud detorqueri debere ad solum schismatis tempus, si tamen sermo sit de statu Papae, sub quo minime elucescat evidentia credibilitatis de vero & indubitato Petri Successore. Juxta quem adeo sensum omnino descendendo in praetaxam Cleri Gallicani sententiam: secus tamen foret, si ea Concilii auctoritas protenderetur super vero ac prolus indubitato Papa; uti inferius magis elucidatur.

44. Quo praesupposito, lubeat pro secundo regredi ad ea praetaxata Gallicana declarationis verba, quibus Decreta IV. & V. Constantiensis sessionis praetenduntur, promanasse ex Oecumenica Synodo. Respondeoque ex mea parte, Concilium Constantiense pro eo statu, vere dici posse materialiter ac dispositive Oecumenicum respectu illorum Decretorum, si haec ultra schismatis quidem tempus ad Papas seu intrusos, seu haereticos, seu quoquo modo dubios, non tamen ad omnino indubitatum ac certum Petri successorem extendantur. Explicatur. Supponamus namque ex physicis principijs, quod juxta Scotistarum sententiam, in homine duplex consisteret forma substantialis, una corporeitatis dicta, altera anima rationalis. Ex forma equidem corporeitatis denominaretur corpus organizatum, necdum tamen formaliter humanum, sed materialiter duntaxat, quod nempe ex unione formae rationalis esset constituendum sub ratione hominis seu corporis qua formaliter humani. Sic proinde Ecclesia dupliciter considerari potest, vel qua Corpus Hierarchicum in Synodo aliqua generali abique Capite representatum, vel qua Corpus animatum formae auctoritatis Oecumenicae, vicarium Christi characterem, solius Papae

proprium praferentis. In priori adeo statu nequit adhuc Concilium formaliter, sed materialiter duntaxat & dispositive dici Oecumenicum; nec ejus Decreta habent vim auctoritatis Oecumenicae. Cum igitur Synodus Constantiensis pro statu IV. & V. Sessionis fuerit destituta praesidentia Papae, carueritque adeo pro tunc vicario Christi characterem, nequibant Decreta tunc sancita potiri auctoritate Oecumenica: sed ad hanc obtinendam, opus fuit auctoritativa Papae in futurum eligendi confirmatione, seu forma Synodi in Esse Oecumenicae essentialiter constitutiva. Quam tamen Papae confirmationem non obtinuit Synodus Constantiensis pro Decretis illis, imo istis inexistisset omnino incapacitas ad talem Papae auctorizationem, si sub illis praetensa fuisset Concilii super Papam superioritas. Ubi vero ea Decreta non nisi Papas, ex causis supra expositis, dubios attigissent, tunc eatenus dici possent Oecumenica pro tunc saltem materialiter ac dispositive, quatenus verum est, ab ipsa Sede Apostolica approbari, ac Ecclesiae usu custodiri, quod Synodus etiam acephala extra schismatis quoque tempus possit super Papis dubijs suam protendere auctoritatem, ad eos seu deponendos, seu potius jure Divino nullos authoritative declarandos.

Sed nunquid pro tertio opponet fortassis adversarius, Concilium etiam acephalum representat Ecclesiam, quae est columna & firmamentum veritatis? Quomodo ergo fas est, dicere, Concilium ejusmodi acephalum, dum v. g. nullum extat verum Ecclesiae Caput, non esse formaliter Oecumenicum? Hujus duplicati quaestio accipe sequentem resolutionem. Dum namque Spiritus sanctus per os Apostoli 1. Timoth. 3. Ecclesiam vocat columnam, & firmamentum veritatis, num dicere fas est, hoc de Ecclesia hierarchica solum incomplete, ac imperfecte sumpta intelligendum esse? Constat autem ex fidei principijs, hierarchicum Ecclesiae statum substantialiter componi ex Capite, & Corpore hierarchico, Ecclesiasticos Praefules complectente. Num igitur isti Corpori acephalo, cum exclusione Capituli, Summi Pontificis, attribuire fas est, illam praeminentiam Ecclesiae appropriatam, quod sit columna & firmamentum veritatis? Hoc praedicatum nulli alteri subiecto est attribuendum, quam illi, quod textu illo Apostolico habetur expressum, nempe Ecclesiae. Quia igitur Ecclesia, secundum quod est Hierarchia in terris Divinitus instituta, substantialiter dicit Corpus Hierarchicum qua unitum Capiti, Supremo Pontifici, nequit illud praedicatum, quod sit columna, & firmamentum veritatis, attribui acephalico Ecclesiae Corpori Hierarchico, neque adeo decretum emanans a tali hierarchico Corpore acephalico, ullatenus dici potest formaliter, & complete Oecumenicum: sed neque materialiter & dispositive sortiri potest hanc denominationem, nisi ex habilitate & aptitudine ad recipiendum Summi Pontificis, Nomen Christi vicarium praferentis characterem. Quandoquidem ergo Sedis Apostolicae approbatio neque per Martinum

45. ex pag. 321. n. 32.

CVI

tinum V. neque per alium Romanum Pontificem accesserit *quarta & quinta sessionis* Constantiensis Synodi Decretis, prout prætenduntur, extra casum schismatis, extendi supra verum etiam indubitatum Papam; atque adeo hoc in sensu *positivè* pugnent cum Pontificia autoritate quâ supremâ, & Christi *immediatè* vicariâ, consequens est, sub tali prætenso sensu nullatenus dici posse Oecumenicam. Sed hæc *in proximè subsequentibus* expresso accuratius expendimus.

46. *Quartò* igitur, cum Clerus Gallicanus in præallegata sua declaratione Decreta Synodi Constantiensis tanquam Oecumenicæ Sessione *quarta & quinta* edita, non aliter dicat valere, atque immota consistere, nisi quatenus sint comprobata per Sedem Apostolicam, Romanumque Pontificem, ac totius Ecclesiæ usu confirmata & custodita: meritò jam disquiritur; *Cujus Pontificis Romani, an fortè Martini V. autoritate sint comprobata ea decreta?* Ex antecedenter dictis constat, duplicem formari posse sensum eorum decretorum. *Unus* est, secundum quem autoritas Conciliorum Generalium ultra tempus schismatis extenditur ad Papas intrusos, sive per vim & metum, & simoniacam pravitatem, vel electos cum defectu *substantialis* solennitatis, vel ob hæresin Divino jure ab Ecclesiæ Corpore avulsos, sicque ipso quasi jure naturæ à Capitis prærogativâ depositos. Hunc sensum, si unicè intenderetur à Clero Gallicano, prorsus tenendum, Apostolicæque Sedis, ac Ecclesiæ usu receptum esse, liquet ex dictis *superius*. *Alter* proinde sensus est, per quem in vi præallegatorum decretorum Constantiensium, autoritas Conciliorum Generalium *acephalorum* protenditur super Papâ prorsus certo, in Petrà Cathedrâ Apostolicâ per Ecclesiæ consensionem recepto, sicque ex vi promissionis Divinæ Christi infallibiliter dotato clavibus regni cælorum, neque per hæresin remoto ab ista Capitis Ecclesiæ, ac Petræ Apostolicæ prærogativâ. De hoc igitur posteriori sensu est nobis sermo; *Utrum sit comprobatus à Sede Apostolica, Romanorumque Pontificum, ac Ecclesiæ usu, speciatim verò Martini V. autoritativâ confirmatione?*

47. Hujus quæstioni resolutionem expendamus ex Bullâ Martini V. decretorum Concilij Constantiensis confirmatoriâ. Hujus initium coarctatur ad hoc: *Quòd eo diplomate suo intendat conservare fidem Catholicam à contagiosis hæreticorum dogmatibus, extirpareque hæreticam pravitatem de sinibus fidelium.* Exinde inserit suæ Bullæ statuta Constantiensis Concilij circa propositiones Wicleffi & Hus, nec non errorem Bohemorum de communione sub duplici specie. Hinc concludendo, confirmat *declarações, decreta &c. nec non condemnaciones, & sententias, seu statuta supra scripta.* Ex quo proinde Bullæ Apostolicæ tenore clarè patet, Martini V. confirmationem non extendi super decretis Constantiensibus *quarta & quinta* Sessionis in eo sensu acceptis, ac si Conciliorum Generalium autoritas protenderetur super certo & indubitato Papâ. Ac-

cedit, quòd idem Summus Pontifex sub eodem Concilio ediderit constitutionem, quæ incipit: *Ad perpetuam rei memoriam*, in Concilio Generali Constantiæ celebrato sexto Idus Martij, Pontificatus sui anno primo, quæ decernitur: *Nulli fas esse, à supremo iudice, videlicet Apostolica Sede, seu Romano Pontifice Iesu Christi vicario in terris appellare, &c.* Quomodo autem hæc constitutio subsisteret, & cohereret, si idem Pontifex confirmasset decreta Constantiensia quâ assertoria *superioritatis Concilij Generalis super Papâ certo & indubitato.*

Sed nunquid pro quinto dicere fas est, *illum reprobatum decretorum Constantiensium sensum esse totius Ecclesiæ usu confirmatum in Concilio Basileensi?* Multa equidem in hac Synodo sunt attentata adversus auctoritatem Summi Pontificis, specificè contra Eugenium IV. prout hæc referuntur à pag. 314. n. 25. ac seq. Verum mox ostenditur, ex universis attentatis nihil roboris & firmitatis accessisse decretis Constantiensis Concilij ad firmandam eam extensionem, in vi cuius prætenditur Concilij autoritas supra Papam certum & indubitatum. Inprimis equidem Concilium Basileense sub prima sui aggregatione erat legitimum & Oecumenicum, utpote convocatum in nomine Christi, nempe autoritate ipsius vicariâ, penes Eugenium IV. tunc indubitatum Summum Pontificem subsistente. Attamen iste Concilij Oecumenici character proprius ab ea Synodo cepit esse remotus, ubi à Capite suo Romano Pontifice divisa est, ex eo, quòd Eugenius ejusdem Concilij dissolutionem, ac in fines Italiæ translationem derevisset suâ Bullâ, relatâ in *Appendice ad Acta Concilij Basileensis*; ex tunc enim Patres Basileenses, negantes, Concilium semel legitime convocatum per auctoritatem Pontificiam dissolvi, aliòque transferri posse, Eugenio in contrarium suis decretis agente, devenerant ad præinsinuata adversus Pontificem attentata. Sub quo proinde statu Synodus delitescere esse congregata in nomine Christi, prorsusque cepit esse destituta character Vicariæ Christi auctoritatis, juxta Christi Domini *Matth. 18.* sancitam ordinationem, omnino requisitâ ad Concilium Oecumenicum. Quare decreta dictæ Synodi ex tunc inter mera Conciliabuli jam *acephali*, imò Capiti suo refractariè oppositi adversus *immediatum* Christi in terris Vicarium attentata, sunt in tantum recensenda, ut ipsius etiam Christi institutioni eatenus repugnarent, quatenus *immediatè* Christi Vicariæ auctoritati protervè superponebant aliquam Christo *immediatiorem*, nempe Concilij super Papâ, *superioritatem*: quippe cum ex principijs fidei sit indubitatum, quò major est in Ecclesia superioritas, eò esse Christo *immediatiorem*, atque adeo, ubi Synodus esset Papâ superior, eo ipso haberet proinquirem respectu Christi *immediationem*, sicque proinde Papam non fore *immediatum* Christi Vicarium: quod à fidei principijs, ab ipso etiam Constantiensis Concilio contra Wicleffum firmatis, prorsus alienum est.

Pro

Pro sexto firmatur hæc nostra sententia, actorum Basileensium reprobatoria, ex Concilio Lateranensi sub Leone X. celebrati, & Christianissimo Galliarum Rege solenniter promittente, se ei inhæsurum, pro legitimo habiti sessione 10. Ita namque se habent hujus sanctionis verba: Nec illud nos movere debet, quod sanctio ipsa, & in ea contenta in Basileensi Concilio edita, & ipso Concilio instante, à Bituricensi Congregatione recepta, & acceptata fuerunt, cum ea omnia post translationem Basileensi Concilio per Eugenium IV. factam, à Basileensi Conciliabulo, seu potius Conventiculo, quod præsertim post ejusmodi translationem Concilium amplius appellari non merebatur, facta extiterint, ea propterea nullum robur habere poterint, cum etiam solum Romanum Pontificem pro tempore existentem, tanquam auctoritatem super omnia Concilia habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum, plenum jus & potestatem habere, nedum ex sacra Scripturæ testimonio, dictis sanctorum Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, sacrorumque Canonum decretis, sed propria etiam eorundem Conciliorum confessione, manifestè constet.

Ad hoc intentum nostrum pro septimo singulariter faciunt, quæ Meldensis Episcopus legationis à Carolo VII. Galliarum Rege destinatae princeps, in sacro Purpuratorum senatu disseruit; prout refert Raynaldus ad annum 1541. & Ganguinus in Carolo VII. Nimio fervore, inquit, ab is Orator, resistendi (Basileenses) ad hanc vesaniam devenerunt, quod supremam potestatem in uno supposito consistere denegant, sed eam in multitudine, quæ eisdem in diversa scinditur, collocant; & pulcherrimam monarchiam, quæ Christianos hucusque tenuit in unitate fidei &c. abolere, & suppressere contendunt, nobilissimam Politiam, quæ beatitudinem celestem habet pro fine, ad Democratiam, vel Aristocratiam redigentes &c. sicque schisma factum est, nedum in obedientia Capitis, sed & in doctrina Evangelij &c. Ad quod schisma extirpandum videtur Christianissimo Regi Franciæ, Regni quæ sui consultis Prælati, multisque alijs sapientibus, nullum esse aptius remedium, quam evellere prædictas extremitates, ad quod faciendum, necessarium est Generale Concilium. Porro Concilium olim Basileense unam extremitatem nimis exacerbat, quando veritatem de supræmâ potestate in uno extinguere pertentavit: Concilium autem Florentinum hanc veritatem bene quidem lucidavit, ut patet ex decreto Græcorum, sed pro regulando usu hujus potestatis, nihil edidit, nihilque locutum est. Hæc igitur merito expendat Clerus Gallicanus cum eo, quod teste Raynaldo citato, idem Meldensis Episcopus in Concilio Florentino Regis Christianissimi, & Gallorum nomine supremam Ecclesiæ potestatem in uno supposito sit professus, detestando illos, qui eam ponunt in Concilio, sicque Catholicam scindunt unitatem. Expendat insuper idem Clerus Gallicanus, qualiter in Concilio Lateranensi Fridericus Cardinalis sancti Severini, Claudius electus Episcopus Massiliensis, & Ludovicus Dominus de Soterijs, Regis Christianissimi nomine, coram Nota-

rijs & testibus in litteris patentibus, Christianissimi Regis manu subscriptis, ejusque sigillo munitis, liberè ac simpliciter sacrosancto Lateranensi tanquam vero & legitimo Concilio adhæserint, in quo tamen Concilio sessione 10. expressè definitum est, Papam esse supra Concilium Generale.

Quibus ita constitutis, pro octavo ita licet concludere. Quandoquidem Clerus Gallicanus in suæ declarationis præadducto articulo secundo, non aliter dicat, valere Synodi Constantiensis tanquam Oecumenicæ decreta, quæ de auctoritate Conciliorum Generalium sessione IV. & V. continentur, nisi quatenus sunt comprobata à Sede Apostolica, Romanorumque Pontificum, ac totius Ecclesiæ usu confirmata: neque verò ejusmodi vel Apostolicæ Sedis comprobatio, vel Romanorum Pontificum ac Ecclesiæ confirmatio, & usus subsistat pro illorum decretorum sensu à nobis reprobato, sub quo scilicet eorundem ad certum & indubitatum in Cathedra Apostolica legitimum Petri successorem ut sic ab Ecclesia receptum fieret extensio: idcirco omnino habeo persuasum, quod Gallicana Ecclesia ultra schismatis tempus ea decreta extendens, locum habere duntaxat velit circa Papas dubios vel ratione schismatis, vel ratione probabilis intrusionis, vel ratione defectus in electione eorum designativâ substantialis, vel ratione verisimilis hæreseos. Quæ opinio magis firmatur in meo animo, quod eadem Ecclesia Gallicana Sedi Apostolicæ, ac Petri successoribus, Christi Vicarijs, rerum spiritualium plenam attribuat potestatem. Quomodo autem vel Petri successores respectu Christi essent Vicarij saltem immediati, si superior ipsis, adeoque immediatior esset intra Ecclesiam rerum spiritualium potestas, vel quomodo Romanorum Pontificum auctoritas esset plena, si subijceretur Concilio etiam acephalo, ex solis characteribus Episcopalibus consistenti, nec juxta Christi constitutionem Matth. 18. exarata, absque vicario Christi nomine Papæ proprio, Concilium Oecumenicum facere potenti, neque proinde indefinitam, plenamque ligandi & solvendi potestatem absque eodem Christi Vicario characterem obtinere valenti?

Caput IV.

In quo sit supræmâ potestas Ecclesiastica.

Quam hætenus expendebamus questionem de Papæ supra Concilium, seu hujus super Papam superioritate, maximi esse momenti, concludit Ludovicus Ellies du Pin sacre facultatis Theologicæ Parisiensis Doctor in suæ de antiqua disciplina Ecclesiastica Dissertationis sextæ proloquo. Si enim Papa sit supra Concilium, hinc consequens fore, ait, quod sit summus Ecclesiæ Monarcha & Dominus, Ecclesiæque auctoritate ejus supræmâ, non autem Canone regatur, nullumque in ipsa sit Aristocraticum regimen: nec ulla sit Concilio-

rum necessitas, atque horum auctoritas universa non à communi, & Catholico Ecclesiarum consensu, sed ab unius Papæ sententiâ & voluntate dependeat: proptereaque Papa possit ex animi sui arbitrio Canones abrogare, alios condere, ab illorum observatione pro libitu dispensare: tandemque Episcopi intrâ Concilium sint duntaxat Consiliarii, non autem iudices necessarij controversiarum Ecclesiasticarum. Ex ijs equidem, quæ in antecedentibus falius expendebantur, clarum & liquidum elucet, ista consecraria per Elliesium efformata, ex integro saltem, imò ex majori parte haud subsistere, prorsusque aliena esse à mente Theologorum, qui docent, supra Concilium seu realiter, seu abstractivè ac phalium, non verò plene ac formaliter Oecumenicum competere Papæ superioritatis præminentiam. Nihilominus eorundem hîc discussionem reassumere, prorsus est necessarium, ex occasione argumentorum, quæ Elliesius cit. Dissert. 6. congerit.

2. Quorum summa ad hocce reducitur titulos. Primò; *Vtrum Concilium Generale legitime congregatum, cui adest Pontifex Romanus, vel ad quod legitime vocatus adesse renuit, majorem habeat auctoritatem, quam Pontifex Romanus solus, & sine Concilio Generali?* Secundò; *Vtrum Concilium Generale habeat potestatem condendi Canones, quibus ipse Pontifex tenetur?* Tertio denique; *Vtrum Concilium possit judicare de persona Papæ, ipsûmque in errorem, aut crimen lapsum deponere?* Quibus dilquisitionibus per modum primi quasi principij idem Elliesius præmittit, potestatis Ecclesiasticæ immediatum subiectum esse universam Ecclesiam. Quæ proinde universa quarto hujus Opusculi nostri capite examinabimus: in quinto dein expenduri exceptiones Elliesij, quas nostratis sententiæ argumentis opponere nititur. Ac demum in sexto capite discutiemus, quæ circa Pisani, Constantiensis, ac Basiliensis Conciliorum, hanc in rem definitiones supererunt ponderanda.

S. I.

An Potestatis Ecclesiasticæ immediatum subiectum sit universa Ecclesia?

3. Hujus quasi primi per Elliesium hîc sanciti principij, idem Auctor talem efformat sensum: *An scilicet potestas Clavium sit immediatè concessa Univerſitati Ecclesiæ, ut per ejus Ministros ad Summum Pontificem exerceatur: An verò Summo Pontifici, aut Episcopis sit immediatè collata à Christo?* Hoc, ait, esse quæstionum propositarum fundamentum. Nam si clavium potestas sit penes solum Romanum Pontificem, haud dubium fore, quin super Universam Ecclesiam habeat auctoritatem, quippe cum aliam potestatem hac in hypothesi non obtineant Ecclesia & Prælati, quam quæ illis ab ipso communicatur, secus verò esse, si vice versâ Ecclesia supremam habeat potestatem, quæ ab eâ in Ministros, Summumque Pontificem derivetur. Quare præfatus Doctor Parisiensis ad hoc primitus est intentus, ut ostendat, mentem Antiquorum omnium fuisse, claves non uni Petro, sed in per-

sonâ Petri Univerſitati Ecclesiæ collatas esse, quas illa Ministris suis, atque ipsi Summo Pontifici communicat.

ARGUMENTUM I. Elliesij.

Ludovicus Elliesius cit. Dissert. 6. §. 1. argumentatur 1. totam hujus rei summam reducendo in Christi Domini verba Matth. 17. cap. statuentis: *Si peccaverit in te frater tuus, & te ac testes non audierit, dic Ecclesiæ: Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.* Hinc enim patet, excommunicandi potestatem esse penes Ecclesiam. Unde idem Doctor Parisiensis Dissert. sue 3. cap. 1. contendit, licet nulli præterquam Episcopi & Presbyteri potestatem habeant exercendi claves, eam tamen in Universâ residere Ecclesiâ: quo nomine inferioris Litteris non sacerdotibus solos, sed Universum fidelium Cætum intelligi. Tametsi igitur non omnes fideles uti possint clavibus, sed solis Sacerdotibus hoc sit reservatum: verum tamen haud dubium esse debere, quin primò & præcipuè ligandi & solvendi potestas sit data toti Ecclesiæ, à quâ in ejus Ministros derivetur, perinde ac res se habet in Republica, in quâ soli Magistratus & Cives obtinent jus vitæ & mortis, belli ac pacis, quæ tamen potestas in ipsâ Republicâ tanquam in fonte & radice residet.

Responsio.

Discernis inter primævam clavium potestatem solt Ecclesiæ datam, atque facultatem exercendi clavium ejusmodi ulum. Hanc equidem potestatem attribuendo solis Sacerdotibus, priorem autem ætenuis appropriando toti Ecclesiæ, ut in hac resideat tanquam fonte ac radice, ex quâ derivetur in ejus Ministros. Juxta quam proinde distinctionem pro primo scilicet ex te Elliesi: *Num ipsa etiam potestas utendi clavibus ex Ecclesiâ sit ætenuis derivata in Presbyteros, ipsummet etiam Papam, ut nullus eam acceperis immediatè à Christo?* Ita reverà dicendum videbitur, si hæc clavium exercendarum facultas non nisi ab Ecclesiâ ceu fonte ac radice profluxit in ejus Ministros, ipsum etiam Summum Pontificem: perinde ac Regia, lumini naturali politicam inter homines societatem distanti concreata potestas, mediante populi in unum regimen civile se se coadunantis consensu, nec adeò immediatè à Deo fuit communicata huic individua personæ ac stirpi. Hoc autem posito, cum Ecclesiæ clavibus à Christo dotatæ nomine juxta Elliesium non veniant duntaxat Episcopi ac Presbyteri, sed universus fidelium Cætus, arque adeò in isto ceu fonte ac radice sit potestas, Presbyteris, ac Episcopis communicandi facultatem, utendi clavibus, rursus disquirere licebit; *An ex Christo immediatè, vel potius ab Ecclesiâ in Presbyteros ac Episcopos derivetur penitentiæ quæpiam habitus, ad exercendas claves, eisque utendi potestatem recipiendam?* Si hæc equidem Presbyteris, non verò laicis conveniens habitus in solum Christum principiter ac immediatè tanquam suum principium esset reducenda,

ducenda, ne tunc quidem *activa* clavium potestas in Episcopis, ipsomet etiam Papâ, esset *immediatè* à Christo, sed *passiva* duntaxat erga claves recipiendas aptitudo. Quinimò cum primævum subiectum potestatis Ecclesiasticæ sit omnium Fidelium Cœtus, idcirco denuò percontari licet; Quo *Sacramentali* signo universus Fidelium Cœtus recepisse dicendus foret characterem à statu laicali discretivum per quem in ipso subsisteret potestas Ecclesiastica, cum ne Episcopi quidem sint capaces ad hujus potestatis usum recipiendum, nisi mediante *characteris* Episcopalis Ordinis? Et quia *passiva* ad potestatis Ecclesiasticæ usum habilitas in Episcopis est ex *characteris* Sacramentalis Ordinis, nunquid consequens erit, in ipso etiam Cœtu fidelium, oportere, *passivam* respectu potestatis Ecclesiasticæ capacitatem esse ex aliquo characteris Sacramentali? An ergo asseverandum erit, hanc *passivam* respectu primævæ clavium potestatis, habilitatem proximam in Ecclesia substituisse, ex nullo alio, per Christum, ejusque Sacramentum aliquod impresso, quam Baptismali characteris? Quo rursus posito, cum & *activa* clavium communicandarum potestas sit in Ecclesiâ tanquam radice ac fonte; & *passiva* ad eas recipiendas habilitas ex Christi primævâ institutione per nulum cujusquam Ordinis Sacramentalis characterem subsistat, denuò datur occasio disquirendi; An non hinc foret consequens, posse clavium exercitium ab Ecclesiâ communicari ipsis etiam Regibus, nullo ultra statum politicum discretivo characteris insignitis? Hoc profectò est, quod Ecclesiâ Anglicana olim pertentaverat in ipso Rege suo tanquam Ecclesiæ Capite seu constituendo, seu recipiendo. En igitur, quò mi Elliesi, ex principio per te asserto tandem deveniremus.

6. Quare pro secundo optarem, Elliesi, ut ad animum reduceres Divini per te allegati Verbi Evangelici sacrum contextum, ubi, cum fratrem peccantem, si testes non audierit, Ecclesiâ denunciandum, & si Ecclesiâ non audierit, instar Ethnicæ & publicanæ habendum, adeoque excommunicandum, Christus iussisset, mox subjunxit, penes quos stare deberet ista excommunicandi auctoritas: Amen dico vobis, (inquiens) quidquid ligaveritis super terram, erit ligatum & in cælis &c. Nunquid enim ista verba ex clarissimo tenore suo noscuntur directâ ad solos Apostolos, non ad universum, nullo characteris extra laicalem statum discretivo insignitum, Cœtum fidelium? Et ne quis possit sibi imaginari, ad Apostolos sigillatim sumptos pertinere duntaxat ea Christi verba: mox subtexit: Si duo (ex eo Cœtu Apostolico) consenserint, à Patre & Filio ipsis communicatum iri, quamcunque peterent, Veritatis Divinæ manifestationem; expressè tamen denotando, hos duos esse collegium Apostolicum sub binario seu ternario saltem numero aggregatum, & coadunatum cum nomine Christi vicario, id est, cum Apostolica, Christi nomen Vicarium in terris representantis auctoritatis, characteris. Hoc ergo Collegium Apostolicum, juxta diserta Christi ver-

ba, non universorum fidelium; nullo, seu Apostolico, seu Episcopali, seu Sacerdotali ultra statum laicalem extractivo & discretivo characteris insignitorum Cœtus, est illa Ecclesiâ, Hierarchiæ Divinitus institutæ formam præferens, sicque totam Ecclesiâ quoad potestatis Ecclesiasticæ plenitudinem representans, cui pro perpetuo Ecclesiæ statui à Christo immediatè sunt Matth. 18. conceditæ claves solvendi & ligandi.

Nunquid autem pro tertio hoc ita accipiendum est, ut per istam Matth. 18. sancitam clavium potestatem eliminari debeat, quæ Matth. 16. per ipsamet etiam Christum Petro determinatè ac singulariter, in ordine ad perpetuum Ecclesiæ statum, ejusque adeò successoribus est promissa; & Joannis 21. in Oecumenico Pastoralis munere actualiter collata clavium auctoritas? Si in aliquo regno eâ lege esset in Regem à populo translata suprema politica potestas, ut certis tamen temporibus obstringeretur, convocare Generalia Statuum ac Ordinum Comitia, quorum non consultivum duntaxat esset suffragium, sed unâ cum Rege ultimè decisivum, num propterea fas esset negare, quòd Regi etiam extra Comitia esset æquè suprema auctoritas Regia, quodque Comitiorum generalium, Regis simul auctoritate stipatorum facultas politica esset major, ac sit solius Regis, absolutâ Monarchæ potestate potiuntis auctoritas? Fertur: cum in Comitij Generalibus Franciæ sub Henrico III. conscripti fuissent quidam articuli, quibus exigebatur, ut Rex Comitiorum sententiam sequi teneretur, repudiatos esse tanquam Regiæ Majestati injuriosos: quippe cum Rex non esset verus Monarcha, si superioritatis super ipso præminentiam obtinerent Comitia Generalia. Pari ergo ratione ea, quæ ex Matth. 18. cap. Collegio Apostolico seu Concilio Oecumenico, ex Capite ac reliquo Ecclesiæ Hierarchico Corpore subsistenti, Ecclesiâque Universam plenè representanti, competit indefinita solvendi & ligandi auctoritas, ita est à nobis astruenda, ut necessarium tamen sit, prosteri alteram quoque Matth. 16. Petro determinatè, cum ordine perpetuitatis, adeoque cum successionis jure, promissam, & Joannis 21. cap. actualiter collatam, æquè indefinitam clavium potestatem.

ARGUMENTUM II. Elliesij,

Hic Auctor cit. §. 1. argumentatur 2. ab auctoritate Patrum. Inter quos primus inducitur Tertullianus *Scorpiciæ* cap. 10. Memento, inquiens, claves hic Petro, & per eum Ecclesiæ reliquisse Christum. Cyprianus porro lib. de unitat. Eccles. ita habet: Loquitur Dominus ad Petrum: Tu es Petrus &c. tibi dabo claves Regni Cælorum. Et quamvis Apostolis omnibus post Resurrectionem suam parem potestatem tribuat, & dicat: sicut misit me vivens Pater &c. tamen ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem suâ auctoritate disposuit, Hoc erant utique & ceteri Apostoli, quod

fuit Petrus, pari consortio præditi honoris & potestatis. Optatus lib. 7. ait. Præferrî Petrus cæteris Apostolis meruit, & claves Regni Calorum communicandas cæteris solus accepit: id, est accepit eas, ut cæteris etiam communicarentur, personam gerebat omnium. S. Basilius Monast. Constitut. cap. 23. Petre, inquiebat Christus, amas me plus his, pasce oves meas: & omnibus deinde Pastoribus ac Magistris eandem tribuit potestatem cuius quidem rei signum est, quod omnes similiter, atque ille, ligent & solvant. Ambrosius lib. de dignit. Sacerdot. cap. 2. Quas oves, ait, & quem gregem non solum tunc B. suscepit Petrus, sed & vobiscum eas suscepit, & cum illo eas nos suscepimus omnes. Chrysostomus Homil. 79. (homil. 37. ad pop. Antioch. edit. Paris. 1581. fol. 228. litt. A.) super isthæc Christi Verba: Amas me, Petre, pasce oves meas, sic ait: Quod non ad Sacerdotes solos dictum est, verum etiam ad singulos nostrum, quibus vel minimus grex commissus est... Habet unusquisque ovem, ad pingua eam pascuâ ducat. Hieronymus denique lib. 1. contra Iovinian. ita disserit: At ipsa super Petrum fundatur Ecclesia, licet idipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat. & cuncti claves Regni Calorum accipiant, & ex æquo, super ebs fortitudo Ecclesiæ solidetur, tamen propterea unus eligitur, ut Capite constituto, schismatis tollatur occasio.

Responsio, ac retorsio hujus argumenti confutatoria.

9. PRIMò. Rem hanc magis elucidandi gratiâ, sciscitor ex Eliesio. An Romanus Pontifex Occidentalis Imperij iure à Græcis adempto, sive ex auctoritatis Apostolicæ plenitudine, sive (uti Auctor ille antehac confutatus contendebat) ex Senatûs, populique Romani scito & voto, sub jure hæreditario in Carolum Magnum transtulerit Imperatoriam dignitatem? Nunquid ex tunc verificabatur, eum Romanum Pontificem primitus huic Francorum Regi, & per eum stirpi ipsius masculinæ, imò toti Regno Francico reliquisse Imperialem sublimitatem? Ex quo nihilominus propriissimo loquendi modo haud evincitur, dicto Franciæ Regno primordialiter ceu primævo subjecto & principio fuisse concessum illud jus Imperatoriæ præminentia, sed hæc ita inerat Carolo, ceu primo inter Occidentales Imperatori, per eum tanquam principium & fontem propaganda, in stirpem suam masculinam Regiamque Francicam successione, ut non nisi consecutivè in-existeret Regno Franciæ: quatenus scilicet id, quod est in Capite, verè dicit esse in Corpore: sicque adeò Occidentale Imperium erat in Carolo, tanquam in Capite Regni Francici, huic verò inextiterat tanquam Corpori politico, cujus Caput fuerat Carolus. Pari proinde proportionali ratione, quando Christus compellabat Petrum: Tibi dabo claves Regni Calorum, vi istorum verborum, Petrus destinabatur in Caput sanctæ Ecclesiæ seu Regni Calorum. Unde rectè asserbat Tertullianus, hæc claves à Domino esse primi-

tus concessas Petro, esseque per eum relictas Ecclesiæ. Per hoc enim denotatur, isthanc auctoritatem ita fuisse in Petro tanquam primario ac immediato subjecto suo, ut per ipsum intelligerentur relictæ toti Ecclesiæ ceu Corpori mystico, cujus Caput constituendus esset Petrus.

Atque hoc pro secundo est ipsissimum illud, quod Cyprianus præallegatus probat ex ijs Christi verbis definitè ac determinatè ad Petrum, non ad universum Collegium Apostolicum prolatis, Tu es Petrus &c. tibi dabo claves regni calorum. Quamvis enim Christus Apostolis omnibus post resurrectionem suam teste præfato Cypriano, apertè potestatem tribuerit, dicendo: Sicut misit me vivens Pater, ita ego mitto vos: hæc tamen potestas, in qua Apostoli universi fuerunt æquales, subsisterat ex Christi delegatione, quæ se habebat per modum duntaxat legationis personalis, expiratura proinde cum illorum personis, uti antehac ostensum fuit. Præter hanc igitur personalis legationis Apostolis communis præminentiam, Petro fuerat alia adhuc destinata ligandi & solvendi absoluta auctoritas, quæ perpetuo Ecclesiæ statui annexa, habebat in se fundatum jus successionis: estque ipsissima illa intra Ecclesiam perpetua potestas Apostolica, de qua idem Cyprianus pergit dicere, Christum, ut manifestaret unitatem, hujus originem ab uno (scilicet Petro) incipientem, suâ auctoritate disposuisse. Quare gravi dignus est Eliesius animadversione, inter se confundens tum eam, quæ Matth. 16. Petro determinatè promittebatur à Christo ligandi & solvendi potestas, quæque Ioan. 12. actualiter conferebatur pastoralis Oecumenici Officij præminentia: tum illam, quæ Matth. 18. Apostolis, quæ Ecclesiam representantibus, sive Christi Vicario nomine coadunandis destinabatur solvendi auctoritas æquè indefinita, & in perpetuum duratura, id est in Concilium Oecumenicum Collegij Apostolici representativum transitura: tum eam, quæ Ioan. 20. Apostolis universis sigillatim spectatis per modum legationis personalis collata fuit, patet Apostolicæ auctoritatis potestas. De qua proinde obtinet illud Cypriani essatum: Hæc erant utique & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi honoris & potestatis. Ubi tamen isthæc per modum Legationis personalis cunctis Apostolis concessa prærogativa cum ipsorum personis expiravit, ex tunc nequibat illa Matth. 18. per Christum constituta solvendi & ligandi auctoritas Apostolica, Concilio Oecumenico, Collegij Apostolici representativo communicabilis esse, nisi Vicarium Christi nomen solius Romani Pontificis proprium interveniret: uti patet ex aperta littera cit. cap. 18. Matth. Quæ verò Matth. 16. ad Petrum solum directâ fuit clavium potestas, eatenus erat in successores pro perpetuo Ecclesiæ statu transferibilis, ut ex eâ inciperet origo unitatis, derivandæ scilicet ex unitate Capitûs, ceu Petræ, super quam edificanda esset Ecclesia. De qua proinde Petri, ejuisque successorum capitali præminentia, optimè

Optimè dixit Optatus lib. 7. præferri cæteris Apostolis meruisse Petrum, atque claves regni cælorum communicandas cæteris, solum accepisse. Hæc etiam est ipsissima illa auctoritas, secundum quam præ cunctis Apostolis constitutus est Petrus, ovium & agnorum Christi Pastor Oecumenicus. Ex verbis autem Ioan. 21. exaratis clarè constat, istam Petri præminentiam super cunctas Christi oves reflexivam, ipsos etiam Apostolos, utpote Christi agnos, habuisse sibi subiectos, non equidem quoad Apostolicam auctoritatem à Christo immediatè communicatam, sed quoad moralitatem actuum, ab hac quoque apostolica Auctoritate liberè promanantium, atque ut sic contentorum sub illo quocunque in terris Morali, quod Christus Petri ac Successoris ipsius indefinitè ligandi & solvendi potestatis ita subiecit, ut Episcopis quoad Ordinis characterem, & in hoc radicatum Pastoralis curæ aptitudinem, Apostolorum Successoribus, ipsa etiam iurisdictio actualis esset secundum præstatum Optatum à Petro communicanda: sicque adeo Petri Successor eatenus gerit (uti loquitur Elliesius) personam omnium Episcoporum, quatenus in ipso ceu Capite præconfinetur cuncta Pastoralis cura per ipsum communicanda ijs, quos vocat in partem suæ pastoralis sollicitudinis. Unde jam manifesta redditur præsentis Elliesiani argumenti ineptia, dum, quas Christus per varia sacrosancti Evangelij capita, tam aperte distinguit iurisdictionum Apostolicarum seu delegatæ cunctis sigillatim Apostolis, seu ordinariæ soli Petro concessæ, tum in Concilium Oecumenicum totius Collegij Apostolici repræsentativum translata potestatis species, in unum confundit chaos.

Sub quâ ipsa detestabili confusione, Elliesius pro tertio venit adhuc redarguendus, quod univèrsarum ejusmodi iurisdictionum Apostolicarum subiectum immediatum, contendat, esse Ecclesiam univèrsam, prout omnium fidelium, nullo etiam sacerdotalis seu Episcopalis characterè insignitorum Cœtum importat: dum tamen clavium potestatis Matth. 16. cap. definitæ, nec non Pastoralis officij Oecumenici Ioan. 21. per Christum sanciti auctoritas Petro definitè concessa; solvendi porrò & ligandi Oecumenica potestas Matth. 18. descripta univèrso Collegio Apostolico, quâ Ecclesiam Hierarchicam repræsentanti, Concilioque adeo Oecumenico Divinitus designata: missionis denique Apostolicæ plenitudo sub personalis legationis characterè singulari demandata, per clarum S. Evangelij textum noscitur respicere, non univèrsam fidelium Cœtum, sed vel Petrum, vel Apostolos singulos, vel Concilium Apostolicum ac Oecumenicum, tanquam subiectum immediatum. Quomodo enim aliter nisi torquendo, accipi possent illa ad Petrum immediatè ac individualiter directa Christi Verba: Tibi dabo claves &c. Pæsc Agnos meos: nec non ad Apostolos univèrsim, quâ Ecclesiam Hierarchicam repræsentantes, per Christum Matth. 18. prolata voces: Amen dico vobis, quæcunque ligaveritis &c. uti etiam ea ad cunctos sigillatim Apostolos pronuntiata Domini Verba, sicut misit me Pater, ita & ego misit vos &

Sed quid pro quarto energiæ inesse videri potest argumento Elliesiano ex SS. Basilij, Ambrosij & Chrysoptomi sententijs superius allegatis desumpto, cujus tota ratio reducitur in hoc, quod Christi verba, quibus Petrum ad sui amorem præ cæteris Apostolis præexcitatum constituit agnorum suorum Pastorem Oecumenicum; proportionaliter accommodentur cunctis Prælati Ecclesiasticis, cum Petro in ligandi & solvendi potestate communicantibus non equidem secundum parem Apostolicæ iurisdictionis plenitudinem, sed secundum hujus quandam participationem? An non ineptia manifesta est, hinc velle concludere, quod iurisdictionis Ecclesiasticæ subiectum immediatum sit univèrsa Ecclesia, non verò aut Petri successor, quoad auctoritatis Oecumenicæ plenitudinem, aut Episcopi secundum hujus participationem? Undenam verò isthæc profuit participatio Pastoralis in Episcopos derivatæ iurisdictionis, nisi ex illo, in quo, nempe Petro, ejusque successore, dicta plenitudo primordialiter, juxta aperta Christi verba residet? Quæ univèrsa eleganter sanctus Chrysoptomus homilicæ 55. in Matth. cap. 16. nos edocet, inter alia disertè asseverans, Petrum esse, qui cælesti potestate polleret, & claves haberet Regni Cælorum. Quid enim clariùs dici potuisset ad designandum immediatum clavium potestatis subiectum, Petri non tam personæ, quàm officio Oecumenico annexæ?

Sed quid pro quinto, mi Elliesi, evincere niteris ex S. Hieronymo, tum parem, Apostolicæ scilicet legationis, in omnibus Apostolis potestatem, tum in uno, scilicet Petro, Capitis præminentiam, sub quâ subsisteret Ecclesiæ unitas ac schismatis tolleretur occasio, agnoscente? Nunquid ex ipsissimis ejus sancti Doctoris verbis clarè elucescit, illam missionis Apostolicæ legationem personalem in cunctis Apostolis æqualem, in hisce singulis; eam verò Capitalis præminentie potestatem in unico Ecclesiæ Capite, Petro tanquam subiecto immediato residisse? In aperto igitur est, quas Elliesi hic allegas Patrum sententias, contra Thesin tuam disertè pugnare.

ARGUMENTUM III. Elliesij.

Hic Parisiensis Doctor contendit tertio. Pro se stare sanctum Augustinum; sic namque summus Ecclesiæ sanctæ Theologus lib. de Agon. Christiano cap. 30. ait: Ecclesiæ datus esse claves Regni Cælorum, cum Petro datus sunt, & cum ei dicitur, ad omnes dicitur, Pæsc oves meas: Pergit hic S. Doctor Concione 2. super Psalm. 30. Petrum tunc gessisse Ecclesiæ personam, in figurâ scilicet Ecclesiæ accipiendo clavium potestatem; uti loquitur etiam in enarratione super Psalm. 108. & Tract. 50. in Ioan. Quod Petrus, quando claves accepit, Ecclesiam sanctam significaverit. Quibus concordat, quod tract. 118. scripsit, quod claves unus tanquam personam gerens ipsius unitatis accepit. Item tract. 124. sic ait: Cujus Ecclesiæ Petrus Apostolus propter Apostolatûs sui primatum gerebat figuratâ generalitate personam. Ecclesia ergo, quæ fundatur in Christo, claves ab eo regni cælorum accepit in Petro, id est, potestatem ligandi, solvendi que peccata.

Ad præfens institutum suum inducit prætereà Elliesius Cyrillum lib. 12. in Ioan. S. Leonem sermone 3. de anniversario assumptionis suæ. Fulgentium in lib. de fide ad Petrum cap. 3. Item lib. 1. de peccatorum meritis & remissione, speciatim cap. 20. Eucherium Lugdunensem homilia de natali Petri. Gregorium I. lib. 6. Expositionum in caput 16. lib. 1. Regum cap. 3. Bedam in cap. 19. Matth. Et in cap. 21. Item lib. 4. in cap. 6. Matth. Ambrosium Aulpertum lib. 4. in Apocalypsin. Rabanum lib. 5. in Matth. cap. 16. Meldense Concilium anni 845. Palchalius, Rapertū lib. 8. in Matth. cap. 16. Hincmarum Rhemensem Epist. 13. cap. 20. cap. 36. & 47. Dungalum Diaconum in lib. contra Claudium Taurinensem, Divi Augustini testimonia transcribentem. Odonem Cluniacensem lib. 4. collat. cap. 16. Hugonem de S. Victore lib. 1. de Sacramentis cap. 26. Quorum verba in responsione proferemus ad effectum accuratioris eorundem discussionis. His superadduntur allegationes Theologorum ibidem nominatorum, prædictos Patres sequentium.

Responsio ac retorsio præacti argumenti confutatoria.

16. In primis ex præadductis S. Augustini Testimonijs unice patet, quod ea Christi verba: *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: Et tibi dabo claves Regni Cælorum;* sint dicta Petro, quæ totius Ecclesiæ figuram seu Typum gerenti. At Capitis seu Principis est proprium, ita gerere figuram Regni, ut istud sit in ipso *representativè*. Ergo quia illa Christi Domini verba sunt dicta Petro, quæ totius Ecclesiæ figuram gerenti, oportet, ipsi Petro fuisse promissum Ecclesiæ Principatum, vi cuius in ipso seu Capite ac Principe, esset *representativè* tota Ecclesia, quæ super eundem seu Petram foret ædificanda. Hoc Divus Augustinus *tract. 124. in Ioan. circa medium* disertè tradit in hæc disserens verba: *Ecclesiæ Petrus Apostolus propter Apostolatûs sui Primatum gerebat figuratâ generalitate* S. Augustini sententia, quam *tract. 50. in Ioan. proferrebat: Petrus, inquit, quando claves accepit, Ecclesiam sanctam significavit.* Quid enim aliud per hoc innuebat S. Doctor, nisi quod Ecclesia in Petro accepit claves Regni Cælorum? Quæ autem ratione Petrus significaverat Ecclesiam, nisi propter Apostolatûs sui Primatum; uti idem S. Ecclesiæ Doctor *suprà relatus dixerat?* Quid autem hinc inferatur, nisi quod claves Regni Cælorum in Petro propter Apostolatûs Primatum ita sint datæ Ecclesiæ, ut in Petro esset illa potestas, tanquam in Principe sive Capite, seu Præposito universæ Ecclesiæ? veluti apertis verbis loquitur idem Augustinus *lib. Quest. Veteris & Novi Testam. & lib. 2. de Bapt. contra Donatistas cap. 1.* Eo ipso namque, quod claves sint collatæ Petro quæ Principi Ecclesiæ, redditur hinc consequens, esse datæ Ecclesiæ in primario eius membro seu Capite. Sub quo proinde caractere verificatur de Petro, quod tanquam *unus personam* gerens ipsius unitatis, ex Capitis præminentia *trahentis originem, accepit claves.*

Secundò. Sed quid d' Elliesi, inferre tibi licuit ex hoc, quod Christus sub illis verbis: *Accipite Spiritum sanctum, & juxta Cyrilli sententiam non seorsim aliquibus, sed universis Discipulis dederit virtutem abolendi à peccatis?* Num ea, quam Christus *Ioannis 20. v. 22.* Sacerdotio, atque ad eod universis isthoc caractere insignitis contulit potestatem, est huiusmodi conditionis, ut juxta ejusdem mensuram regulari debeat universa Apostolis collata auctoritas? An ergo dicere fas est, quam *eodem cap. vers. 21.* omnibus Apostolis per modum missionis personalis impertiebat auctoritatem plenariam Apostolicæ Legationis, ejus fuisse consortes cunctos Domini nostri Discipulos? Num ea etiam, quæ *Matth. 16.* Petro determinatè, ligandi & solvendi potestas indefinita, cum Regni Cælorum clavibus, quæque *Ioan. 21.* eidem Apostolorum Principi est collata Oecumenici Pastoralis muneris super cunctos Christi agnos reflexiva præminentia: nec non ea, quæ Collegio Apostolico, intrâ Concilium Oecumenicum totius Ecclesiæ Hierarchicæ representativo *Matth. 18.* est destinata ligandi & solvendi absoluta auctoritas, regulari quoque debet ex ea mensura, quam Christus *Ioannis 20. v. 22.* posuit pro largitione potestatis à peccatis absolvendi, cunctis Sacerdotibus communis? Non ineptia duntaxat, sed supra modum perniciosa est tua, d' Elliesi, argumentandi methodus, dum cujuslibet à Christo in terris seu Papatui, seu Episcopatui, seu Collegio Apostolico, Conciliove Oecumenico destinata potestatis unam videris ponere mensuram: sicque Ecclesiasticarum jurisdictionum species in unum confundis chaos, è medio taliter tollendo sacrosanctam fide Divinâ firmatam Ecclesiæ Hierarchiam.

Tertiò. Huiusmodi proinde Hierarchicæ ordinem optimè descripsit sanctus Leo, dum loco per Elliesium citato ita pro fundamento ponit Christi verba definitè ac determinatè prolata ad Petrum: *Tibi dabo claves Regni Cælorum, ut istius potestatis vim in alios etiam Apostolos transjisse, Decreti que hujus constitutionem ad omnes Ecclesiæ Principes commesse dicat: ita tamen, ut, quod omnibus erat intimandum, uni Petro singulariter fuerit conceditum, eò quod ipse cum his Ecclesiæ Rebus esset præpositus.* Quid ergo? si dixerò, à Deo cælestium orbium Conditor cum inter sidera esse constitutum ordinem, ut solem statuerit esse luminare majus, in quo ita esset vis ex se propagativa luminis, ut in lunam ac reliquos planetas, imò & stellas universas, atque hisce mediantibus, in orbem sublunarem, etiam noctu, cui præesse juhebantur, lux aliqua diffunderetur? An non hinc dicere licet, in eo luminari Majore, scilicet sole, universum tam cælestem, quam terrestrem orbem accepisse lumen, imò illuminativam quoque virtutem? An autem hinc concludere fas est, isthanc vim illuminatricem toti terrarum, atque Cælorum orbis inexistere tanquam subiecto immediato: vel potius dicere, oportet, primavam illumina-

minatorem virtutem inesse soli, tanquam immediato subiecto, atque ex hoc derivari in reliqua sidera, imò in ipsum mundum sublunarem? Sic pariter oportet, ut, mi Elliesi, attendas ad Christi verba disertè & clarè pronuntiantis, se Petro impertire claves Regni celorum. Quidni ergo dicendum sit cum S. Leone, hanc clavium vim in Ecclesiæ Principes, Episcopos diffusam, eatenus respicere Petrum, ceu primævum ac immediatum sui subiectum, ut ejsdem, non nisi secundum quandam participationem sint susceptivi Episcopi, Petro, ejusve successori subordinati Ecclesiæ Principes?

Quariv. Juxta ejusmodi aded intelligentiam, accipiendus est sanctus quoque Fulgentius locis præcitatis dicens: Deum in persona B. Petri tradidisse ligandi, solvendi que potestatem, sicque in isto fuisse Ecclesiæ datas claves Regni Celorum. Ponamus enim, per pacem Monasteriensem & Neomagensem quosdam Imperij Germanici provincias ab hoc (uti Galli prætendunt) eatenus esse divisas, ut quod Imperio & Imperatori in eas erat jus supremi ac directi domini, ex toto sit translatum in Gallia Regem: numquid hinc dicere licet, Imperij supremum Dominium erga eas provincias in Rege suo accrevisse. Francico Regno? Num verò fas est, hoc taliter accipere, ac si talis Domini subiectum immediatum esset universitas Regni Gallici, non verò Corona Regia, in qua ceu Regni ejusdem Capite, intelligeretur accrevisse Francico Regno? Sic aded, quando SS. Patres dicunt: In Petro fuisse Ecclesiæ claves Regni Celorum concessas, non aliter id accipi debet, nisi quòd illa clavium auctoritas, dum à Christo fuit collata Petro ceu Capiti Ecclesiæ, fuerit illi consecutivè in suo Principe data clavium ejusmodi potestas. Atque hoc est, quod Eucherius Lugdunensis loco præallegato dicebat: ea Christi verba: Tibi dabo claves Regni Celorum, ad Petrum principaliter fuisse directas: cæteris autem Apostolis (per modum duntaxat legationis personalis) esse dicta: Episcopis autem & sacerdotibus consecutivè & participativè convenire ex vi Petro, ejusque successori inexistente ad suam à Christo acceptam potestatem, sub pastoralis sollicitudinis participatione, debitamque hinc ad Petri Cathedram subordinatione, communicandam reliquis Ecclesiæ sanctæ Præsulis. Et sic ligandi, solvendi que potestas in Novo, non autem Veteri Testamento, secundum D. Gregorium, eatenus competit universali Ecclesiæ, ut huic tamen non in se, quà immediato subiecto, sed, uti Beda suprà citatus ait, in Petro tanquam unitatis personam gerente, sicque aded Capitis prerogativam præferente, claves Regni Celorum datæ fuerint universali Ecclesiæ. In quo proinde sensu locutos fuisse reliquos ab Elliesio ubi suprà allegatos Ecclesiæ Præsules, aut Theologos, haud difficile est agnoscere ex proprijs ipsorum verbis, ad quæ Lectorem brevitas causâ remitto.

ARGUMENTUM IV. Elliesij.

EX uno, præter adversarios Parisienses Theologos, Tostato Abulensi, est singula-

ris difficultas hic expedienda, quam Elliesius movet, hunc in modum quarto argumentando. Nempe Abulensis in cap. 13. Num. quest. 48. istà proponit quæstionem: An Communitas, seu Ecclesia possit habere exercitium jurisdictionis: & an Christus dederit claves soli Petro specialiter, vel soli Ecclesiæ, & quomodo transferatur auctoritas clavium de uno Prælate ad alium? Cui quæstioni idem Tostatus respondet, jurisdictionem quidem secundum actum cadere non posse in communitatem, sed in personam determinatam, quæ possit actus aliquos exercere, sed eam esse in Communitate secundum originem, & secundum virtutem, quia omnes personæ, quæ accipiunt jurisdictionem, ex virtute Communitatis eam accipiunt.

Responsio, ac retorsio hujus argumenti confutatoria.

IPsa inprimis verborum Christi proprietatis confodit sententiam proximè expositam. Numquid enim istorum verborum: Tu es Petrus: Tibi dabo claves, proprietatis, clarè designat, hanc clavium potestatem esse Petro, cum ordine tamen ad perpetuum Ecclesiæ statum, adeoque cum successione jure, definitè ac demonstrativè destinatam? Numquid horum quoque verborum: Paise agnos meos, proprietatis, Petrum, quæ cæteris Apostolis in amore Christi potorem, sicque cum manifestà ad ipsam determinatione, non contingit communitatem, sed unius singularis personæ Oecumenicæ in Ecclesiâ pastorale officium denotat? Quo igitur licuit jure seu Tostato, seu Elliesio, hanc verborum proprietatem eliminare, & ad sensum Litteræ Divinæ haud consonum detorquere?

Sed singula pro secundo expendamus, quæ ex Tostato hic afferebantur. Ait enim, Videri dicendum, quòd claves sint à Christo datæ toti Ecclesiæ: quia tamen non poterat universa Ecclesia dispensare illas, cum non esset aliqua persona, ideo eas dedisse Petro, nomine Ecclesiæ. Si tamen intelligeretur, claves traditas esse Petro specialiter, non solum inconvenienter induci, quòd alij Apostoli non habuissent, sed adhuc inconveniens majus fore, quòd defuncto Petro, non mansissent claves, si soli Petro datæ fuissent, cum iste non habuisset potestatem, successorem sibi faciendū, tradendi que alteri claves: quia verò Ecclesia nunquam moritura radicaliter habet claves, igitur facile hinc apparet, quomodo Petro mortuo, potuerint succedere alij Summi Pontifices in equali potestate, quia scilicet potestas clavium erat in Ecclesiâ, quæ alteri per se eligendo conferre posset eam potestatem. Ad quorum proinde plenioris disquisitionem sciscitor vel ex Tostato, vel ex Elliesio: An dicere intendat, ad clavium potestatem ita se habere Ecclesiâ, sicuti quæcumque Respublica se habet ad potestatem politicam, ita ut hanc vel penes se retinere potuerit, vel à certam personam transferre? Numquid enim per ipsam naturæ lumen ita fuerat hominibus congenita inclinatio, ad se invicem in unam societatem politicam coadunandos, ut tamen, quia totius orbis homines convenire

C c c

haud

haud possent ad eligendum sibi unum Caput & Principem, vel ad ineundam inter se unam politici regiminis societatem, *consequenter* fuerit ipsis jus ad Nationum inter se divisionem statuendam, sicque ad singulas in singulis seu Regnis seu Regionibus formas Regiminum faciendas, Magistratufque supremos sibi cooptandos?

23. At secus res se habet circa sanctam Christi Ecclesiam, quæ una est per totum orbem, cujus etiam unitatis origo, *secundum Patrum testimonia, & diserta Christi verba*, subsistit ex unitate Capitis, non ab alio, quam à Christo *immediatè* constituti. Quod si ergo sub ejusmodi Capitis non tam *materialiter* quoad personam, quam *formaliter* quoad *Oecumenicum Pastoris officium* spectati nomine, intelligeretur Ecclesia, utpote fundata super tale officium *Oecumenicum*, tunc rectè dici posset, clavium potestatem *secundum originem* esse in Ecclesia: rectè insuper diceretur, ex hujusmodi officij *Oecumenici* cathedrâ Apostolicâ, Ecclesiæ *secundum originem* inexistente, in Petri ejusve Successorum personam profluxisse exercitium illius *Oecumenicæ* potestatis. At quis alius, nisi Christus, sanxit illud cathedrâ Apostolicæ *Oecumenicum* Officium? Cui porro, nisi Petro *definitè* ac *determinatè* (dicendo tibi *dabo claves*) Christus promisit, & postea concessit illud *Oecumenicum* pastorale officium? Quomodo rursus idem officium fuit à Christo commissum Petro, nisi quâ Petræ, super quam ædificanda esset Ecclesia, cujus figuram proinde gerere deberet Petrus, perinde ac in homine Caput, quoad regiminis *membrorum universorum*, cujus figuram gerit, *supereminenter* in se continens cunctorum humanorum actuum imperium? Quomodo denique Ecclesia per totum orbem dispersa convenire unquam potuisset vel ad unum Caput sibi eligendum, vel etiam ad normam Concilij *Oecumenici* Ecclesiam Universalem representantis, statuendam? Hujus igitur utriusque tam Capitis Ecclesiæ, quam Concilij *Oecumenici* constitutio non per ipsam Ecclesiam, sed *secundum diserta Christi verba*, tum *Matth. 16. & Joann. 21.* tum *Matth. 18. cap.* exarata noscitur per ipsummet Christum *immediatè* sancita.

24. Quibus ita se habentibus, pro tertio hunc in modum concludere licet. Quandoquidem ergo tam Capitis Ecclesiæ, quam *Oecumenici* Concilij norma & officium sit *immediatè* ex Christo, *impertinentè* reducitur in Ecclesiam ex universo fidelium Cœtu consistentem, ceu primam sui originem. Quia porro Cathedrâ Apostolicâ officium erat Petro commissum eum ordine ad perpetuum Ecclesiæ statum, ideo minimè moriebatur cum Petri personâ, sed quamdiu Ecclesia stabit in terris, ex ipsamet Christi constitutione *immediatè* transibit in quemvis ejus successorem: cujus equidem designatio fit per Collegium Cardinalium, attamen Pastoralis *Oecumenici* officij collatio, in vi prædictæ Christi constitutionis, addèque per Christum *immediatè* derivatur in personam, pro tali Christi vicario officio legitime designatam, Constat igitur, quam

impertinens sit comparatio inter Petri Successorem ac Politicum Magistratum, dum hujus scilicet in certam personam collatio, saltem *originatè* est ex hominibus, in unam Rempublicam seu Regnum olim sese coadunantibus: illius verò *Oecumenici* pastoralis officij collatio, tam *originativa* in Petro, quam *successoria* in subsequenti Romanis Pontificibus, est *immediatè* ex vi per Christum sancitæ institutionis. Et hinc dicere equidem licet, potestatem clavium esse *radicalis* in Cathedrâ Apostolicâ Ecclesiam *Capitaliter* representantis officio pastorali, quam in persona Petri, ejusve Successorum: nullatenus verò dici potest, claves Regni Cælorum esse *radicalis* in Ecclesiâ, quâ universorū fidelium Cœtum complectente, quam in officio *Oecumenico* pastorali, non solum Petri proprio, sed pro ejus Successoribus universis Divinitus constituto: huic enim ut sic *ceu formali* Capitis Ecclesiam representantis constituto, non promiscuo fidelium Cœtui universo, annexit Christus Apostolicam Cathedrâ Petræ, super quam esset ædificanda Ecclesia; uti diserta Christi verba sonant,

ARGUMENTUM V. Elliesij

Auctor iste cit. *S. 1. circa finem* argumentatur, ex præallegato Abulensi *quasi. 49.* Ecclesia, inquit, *suscipit Claves à Christo, & Apostoli tanquam Ministri Ecclesiæ: & nunc Ecclesia illas habet, & Prælati etiam; sed aliter Ecclesia, quam Prælati; nam Ecclesia illas habet secundum originem & virtutem: Prælati autem habent, secundum usum earum.* Dicitur Ecclesia habere *secundum virtutem* claves, quia potest illas conferre Prælato per electionem. Exemplum hujus rei est in Domino rei, & usufructuario, atque usufructuario; nam Dominus rei habet usum reia, & confert illum usum alteri, sed non eo modo, quo habet, quia sibi reservat usum, ut proprietario, alteri concedit uti vel usufructuario, vel usufructuario, & in hoc confert Dominus, quod habet, quia Dominus rei non est usufructuario, vel usufructuario. Conformiter in Ecclesia; ipsa enim non habet claves, quantum ad usum; omnia autem ista descendunt ex hoc, quod Ecclesiarum est aliquid, unum per se potens habere administrationem clavium, si autem per se possit administrare, non committeret alicui Prælato. Ex quibus Elliesius concludit ita subinferendo. Nemo enim est, qui non statim intelligat, illum habere supremam potestatem, qui potestatem habet *secundum originem & virtutem*, eum verò non habere potestatem supremam, qui tantum eam habet ab alio sibi commissam *quoad usum*. At potestas Ecclesiastica est penes Ecclesiam; Romanus autem Pontifex, cæteri que Prælati eam accipiunt ab Ecclesia *quoad usum tantummodo*. Non ergo Summus Pontifex habet potestatem in universam Ecclesiam, licet habeat in universâ Ecclesiâ, sed vice versâ Ecclesia potestatem habet in Pontificem, & quemadmodum mortuo Pontifice, alium sufficit, ita potest eum corrigere atque deponere, non quidem ipsa per se, nam universam societatem

tem Ecclesie convenire, aut judicare, non est possibile; sed per Concilium Generale, quod, cum universam Ecclesiam representet, habet universam Ecclesie potestatem in se unitam, cum præferat Ecclesie universæ habeat assensum.

Responsio, ac retorsio hujus argumenti refutatoria.

26. Nequàm directè respondeam, primo loco convenio Elliesium, percontando; An, quia potestas Regia secundum primævam sui originem lumine naturali concreatam, erat in communitate Regni, sive populi in unum regimen politicam coadunati, dicere fas sit, supremam in Regno r. g. Francico potestatem ita secundum virtutem esse in Regni communitate seu Domino proprietario, ut non nisi quoad unum sit in Rege, quæ usuario, vel usufructuario duntaxat? An hinc fas quoque sit dicere, Regem Francie non habere potestatem in universum Regnum, licet habeat usum Regiæ potestatis in universo Regno Francico? An denudò hinc dicere fas sit, communitatem Regni habere potestatem in Regem, ita ut eum possit deponere, non quidem ipsa per se, cum universam Regni societatem convenire, aut judicare, vix possibile sit, sed Comitrià generalia, quæ universum Regnum representent, habeantque universi Regni potestatem in se unitam, in vi cujus obtineant superioritatem supra Regem, ita ut eidem leges dicere possint, atque ab eodem auferre Majestatem regiam? Viderit profectò Elliesius, quomodò illa, si allverarint, essent accipienda ex parte Regis: cum enim in Comitibus Generalibus Gallie sub Henrico III. conscripti fuissent quidam articuli, quibus exigebatur, ut Rex Comitiorum sententiam sequi teneretur, repudiari sunt, tanquam Regis Majestati injuriosi: & jure merito, inquit Duplex ista recitans, nam reverà non esset Rex seu Monarcha, si ei à Comitiorum sententià recedere non liceret, sed eorum auctoritatem suâ regiâ Majestate superiorem agnoscere deberet.

27. A fortiori igitur pro secundo, quàm Regi Francie nefas est, imponere, respectu Regni, ejusque Comitiorum subjectionem, tam iniquum est, eam Christi Vicariæ auctoritati respectu Concilij etiam *acephali* assignere. Etenim tota Ecclesiastica potestas in Novo Testamento suam habet originem ex Christi institutione, nullus verò ex toto sacro Evangelio apex ostendi potest, quo evincatur, potestatem Ecclesiasticam, secundum originem & virtutem, esse à Christo immediate & primariò destinatam Ecclesie, quæ universos fideles, etiam laicos, promiscuè complectenti. Duplex namque in sacro Evangelio *indefinita* ligandi & solvendi potestas, per quam substituit potestatis Ecclesiasticæ sphaera, noster per Christum constituta intra Ecclesiam à se fundatam. Una *Matth. 18.* lancata fuit à Christo, sub hisce verbis ad Collegium Apostolorum prolatis; *amen dico vobis, quidquid solveritis, aut ligaveritis su-*

*per terram, erit ligatum, aut solutum in calis. Quæ equidem auctoritas solvendi, iuxta sacrum contextum, respiciebat Apostolos, quæ Ecclesiam representantes. Hæc verò Ecclesie representatio à Christo fuerat definita ex hoc, ut Apostoli, eorumve quoad characterem seu potestatem solvendi & ligandi successores congregarentur in nomine Christi, atque adeò sub vicariæ Christi auctoritatis characterem, Romani Pontificis proprio; uti clarè docet sacer contextus. Illa igitur Ecclesie, intra Concilium vicario Christi nomine aggregatum representatæ, *indefinita* ligandi & solvendi potestas nullatenus convenit Concilio *acephalo*, Ecclesie Corpus imperfectè, nempe sine Capite representanti. Multò autem minùs competit Ecclesie, quæ universos fideles, etiam laicos, promiscuè complectenti. Altera deinde potestas Ecclesiastica describitur *Matth. 16.* sub verbis ad Petrum, seu Ecclesie Petram, prolatis; *Tibi dabo claves Regni caelorum; quidquid ligaveris super terram, & quidquid solveris super terram, erit ligatum, & solutum in calis. Quæ potestas Ecclesiastica ad Petri successores transiens, non minùs indefinita & universalis est, ac ea, quam Concilio Oecumenico Ecclesiam representanti à Christo destinatam, superioris dicebimus. Quæ proinde duæ potestates Ecclesiasticæ, una Petro, ejusque successori singulariter, altera Collegio Apostolico collectim, seu Concilio Oecumenico Ecclesiam representanti, pariter immediate per Christum impertita, utrinque est æquè suprema, perinde ac si in regno aliquo ex primæva communitatis in unum regimen conspirantis constitutione ita fuisset Regi destinatum supremum Monarchicum regimen, ut certis tamen temporibus obstringeretur, pro publico Regni bono convocare Comitrià generalia, ex universis Regni Statibus coadunanda, sub ipsius tamen Regis præsentia, eâ etiam cum lege, ut Comitiorum Regem ipsum seu Caput & Præsidem includerentium, auctoritas non major esset solâ regiâ potestate, etiam extra Comitrià per supremam Monarchicam Majestatem suam decernere potente. Tunc sub tali constitutione, in hoc duplex foret suprema potestas, nec adeò regiâ auctoritas dici posset inferior auctoritate Generalium Comitiorum. Pari ergo modo proportionaliter disserendum est de Summi Pontificis vices Christi in terris gerentis potestate, comparatâ ad Concilij etiam Oecumenici, ipsammet adeò, Pontificium Christi vicarium characterem importantis auctoritatem; uti multimodè patet ex antecedentibus, probabiturque subinde in subsequen-**

S. II.

Utrum major Concilij Generalis, quàm Romani Pontificis sit Auctoritas?

ARGUMENTUM I. Elliesij.

Hic Auctor argumentatur primò. Ad probandum, majorem esse Concilij præsentiam

toritas
medra
stolica
C VI
180

tim Generalis, quàm Romani Pontificis auctoritatem, sufficere, quodd à Concilio Generali Ecclesia uniuersa repræsentetur, non item à Romano Pontifice.

Responsio ac retorsio hujus Argumenti refutatoria.

29. **H**ujus tuæ ratiocinationis Elliesi fundamentum supponis ex hoc tuo principio, quodd suprema potestas spiritalis toti Ecclesiæ in communi, non Petro, ejusque Successori, immediatè sit à Christo collata. Quod principium tuum, cum non subsistat, uti patet ex antecedente §. imò apertè pugnet cum sacro Evangelio: ideo à te desidero, ut aliquem Evangelicum textum proferas, ex quo evincatur, Ecclesiam uniuersam repræsentari à Concilio Generali, non item à Summo Pontifice.
30. Pro primo igitur ad hoc tuum intentum utique produces versus illos Evangelicos, qui *Matth. 18.* habentur exarati. Ubi, cum Christus *vers. 17.* dixisset: *Dic Ecclesiæ.* Et, *si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus,* mox allocutus Apostolos simul in plurali, sicque *collectim* sumptos, promisit ipsis *indefinitam* solvendi & ligandi potestatem. An non igitur in vi hujus textûs Evangelici Collegium Apostolorum, adeoque Generale, ex Prælati Ecclesiastici quoad characterem Episcopalem Apostolorum Successoribus consistens, Concilium, statuit, eatenus esse repræsentativum Ecclesiæ, quatenus ex auctoritate illâ ligandi & solvendi, ipsamet Ecclesia in ipsis intrâ Concilium in unum collectis audienda sit?
31. Verùm ex subsequenti *versu 20.* apertè constat, tale Concilium Generale constare debere ex Prælati Ecclesiastici, quoad characterem Episcopalem Apostolorum Successoribus, congregatis in nomine Christi. Neque verò istud Christi nomen vicarium ex Apostolica consistens auctoritate, alius jam portat in Ecclesia, quàm Romanus Pontifex. Sicuti ergo Concilium Generale non subsistit, nisi quatenus in ea intervenit Apostolici Romani Pontificis auctoritas, Christi nomen vicarium præferens: hinc enim ipsemet Christus *versu 19.* ad definitionem Concilij dogmaticam requisivit *Duorum* consensum, illius scilicet, qui portaret Christi nomen vicarium, & illorum *collectim* sumptorum, Prælatorum scilicet Ecclesiasticorum, qui sub hoc Christi vicario caractere essent congregati: sic proinde dici nullatenus potest, Concilium Generale *integraliter* repræsentare uniuersam Ecclesiam, nisi quatenus includit Romanum Pontificem, ejusque auctoritatem Apostolicam, vicario Christi caractere insignitam. Quare Concilium *acephalum* non nisi *incomplete* (quamdiu tamen Papatui non opponitur) nempe quoad hierarchicum Corpus, quasi *materialiter* duntaxat repræsentat Ecclesiam, cum econtra Papa sit repræsentans Ecclesiam, ad instar Capitis, in vi vicarij Christi præferentis characteris, se habentis ad Concilium

Generale ad instar formæ, Synodi quâ Oecumenicæ *formaliter* constitutivæ.

Pro secundo ex præallegato sacro Evangelico textu constat equidem, Concilio per Christi vicarium characterem, adeoque Summi Pontificis auctoritatem Apostolicam insignito, competere *indefinitam* ligandi & solvendi auctoritatem. Attamen potestas ejusmodi non minùs *indefinitè* & *universaliter* noscitur *Matth. 16.* unâ cum regni cælorum clavibus destinata Cathedræ Apostolicæ, penes solum Romanum Pontificem Petri Successorem nunc consistenti. Quomodo ergo cum veritate posset potestatis hujusmodi Ecclesiasticæ superioritas quædam prætendi ex parte Generalis Concilij erga Pontificiam, æquè *immediatam* auctoritatem Ecclesiasticam. Verum quidem est, quodd juxta *citatum versum 19.* Concilio Oecumenico ex Christi & Patris Æterni assentiâ competat omnimoda & consummata in Dogmatibus fidei decidendis infallibilitas. Num verò ista prærogativa deneganda est Cathedræ Apostolicæ, quæ est Petrus, super quam ædificatur Ecclesia, à portis inferi nunquam superanda, cum equidem sit definitus articulus fidei, quando duo in Concilio Generali, Papa scilicet vicarium Christi nomen portans, & reliquum Corpus hierarchicum ex Prælati Ecclesiastici consistens, in aliquo fidei Decreto consentiunt, jam subsistere illam consummatam *ultimatè* decisivam infallibilitatem, cum econtra nondum sit ab Ecclesia definitum, an Summus Pontifex etiam extra Concilium Oecumenicum *ultimatè* decernat ex Cathedræ suæ Apostolicæ Petræ, super qua ædificatur Ecclesia. Quâ de causâ non tam *quoad se*, quàm *secundum nos*, est in Concilio Generali quædam infallibilitatis consummatæ major prærogativa, quam sit in solo Romano Pontifice extra Concilium decernente: hæc tamen majoritas Concilij nihil aliud est, quam evidentia credibilior magis convincens ad fidei assensum præbendum Dogmati, per Concilium Oecumenicum definito: cujusmodi evidentie prudentialis in credendo majoritatem non inferre superioritatem respectu Papæ, ex ipsis terminis extat manifestum.

ARGUMENTUM II. Elliesij.

Hic Parisiensis Doctor argumentatur *secundò* Romanis Pontificibus adeò persuasum fuisse, Concilij auctoritatem esse suâ majorem, ut ultrò ipsi Concilia postulârent, tanquam necessaria ad dirimendas controversias, petierintque, aut saltem passî fuerint, sua iudicia in illis retractari. Et quidem exordiendo à B. Petro, observâsse S. Chryostomum, nihil alicujus momenti ab ipso solo actum, ac sine Concilio statutum fuisse. Cum eligendus esset Apostolus in locum Judæ, cum constitutendi essent Diaconi, cum de Legalium observatione aliquid esset statuendum, consuluisse in commune, & omnia Fratrum electioni ac iudicio permisisse. Id maxime elucere

tere in illa celebri circa Legalium observationem controversia, quae in Concilio Hierosolymis congregato, disceptata, ac iudicata, totiusque Synodi, non unius Petri nomine definita est, his verbis: *Vilum est Spiritui sancto, & nobis.*

Hoc exemplo utos fuisse Synodi V. Generalis Patres, ut ostenderent, Concilij, praesertim Generalis, auctoritatem superiorem, ac majorem esse singulorum Episcoporum, ipsiusque Romani Pontificis auctoritatem. Licet, inquit, Spiritus sancti gratia circa singulos abundaret Apostolos, ut non indigerent alieno consilio ad ea, quae agenda erant, non tamen aliter voluerunt de eo, quod movebatur, si oporteret, Gentes circumcisci, desinere, priusquam communiter congregati, diversarum Scripturarum testimonijs unanimes, sua dicta confirmaverunt: unde communiter de eo sententiam protulerunt, ad gentes scribentes: *Vilum est Spiritui sancto & nobis. Sed & SS. Patres, qui per tempora in sanctis quatuor Concilijs convenierunt, antiquis exemplis mutes, communiter de exortis haereticis & questionibus disposuerunt, certo constituto, quod in communibus de fide disceptationibus, cum proponitur, quae ex utraque parte discutienda sunt, veritatis lumen tenebras expellit mendacij. Nec enim potest in communibus de fide disputationibus aliter veritas manifestari, cum unusquisque proximi adiutorio indigeat.*

Responsio ac refutatio hujus argumenti refutatoria.

35. Falsò in primis supponis, Romanos Pontifices, ubi ex Cathedra Apostolica Petram decreverant, petijisse, aut saltem passos fuisse, sua retractari iudicia. Non igitur in hunc finem, sed alià ex ratione postulaverunt Concilia, tum ad reorinendam refectatoriorum contumaciam, nullatenus acquiescentium Pontificis Decretis, tum ad inducendam ultimam & consummatam in rebus fidei infallibilitatem, ex Concilio per Pontificiam approbationem auctorizato subsistentem, sicque ad evidentiam credibilitatis quoad nos, sive quoad refractarios magis convincentem introducendam, tum ad partes prudentiae, accuratorem sapientum consultationem exigentis, manifestius adimplendas.

36. Hinc igitur primo exordium sumendo à B. Petro, lubeat audire, & accuratius expendere, quos hic Apostolorum Princeps supremæ Oecumenicæ auctoritatis actus ex se solo vel exercuerit, vel saltem exercere poterit, sed ex singulari prudentiali ratione, cum aliorum consilio & iudicio pegerit. Numquid enim supremæ Ecclesiasticæ potestatis actus erat, auctoritatem suam interponere in eligendo Apostolo, sancto nimirum Mathia, in locum pravaricatoris Judæ subrogando? Hoc autem te solo facere potuisset Petrum, ex Actis Apostolorum cap. 1. ostendit S. Chryostomus Homil. 3. in Acta. An non licebat, inquit, ipsi Petro scilicet eligere (aliquem in Judæ locum?) licebat equidem maxime. Verum id non facit, ne cui videretur gratificari. Et infra: Merito primus omnium auctoritatem usur-

pat in negotio, ut qui omnes habeat in manu: ad hunc enim Christus, & tu aliquando conversus confirma Fratres tuos. Item Homil. 4. Quid est, ait, cum aliquis undecim commanem vocem edebat, at Petrus omnium erat os, sed adstant illi undecim, testimonio suo comprobantes ea, quae ab illo dicebantur. Nunquid actus supremæ Oecumenicæ potestatis sunt, quod ad Petrum factus sit recursus pro Ecclesiastico Dogmate decidendo, & quod in hujus decisione per Concilium faciendâ per Petrum fiebat tum propositio, tum sententia post consultationem prolatio, cui reliqui fideles universi, ipsimet Apostoli acquiescebant? At Theoderetus in Epist. ad Leonem Papam sic habet: si Paulus præco veritatis, tuba sanctissimi Spiritus ad magnum Petrum cucurrit, ut is, quæ antiochia de institutis Legalibus contendeant, asferret solutionem, multò magis nos, qui abjecti sumus, & pusilli, ad Apostolicam vestram Sedem currimus, ut Ecclesiarum uberibus medicinam à vobis accipiamus. En igitur pro Dogmatis alicujus decisione recursus esse habitum ad S. Petrum: quem porro in Concilio desinit, vè pronantiasse, probare licet ex Actis Apostolorum, firmatque S. Hieronymus in Epistol. ad Augustinum: Cum magna, inquit, super hoc verbo oriretur questio, Petrus solida libertate: Viri, inquit, Fratres, quoniam ab antiquis diebus in nobis elegit Deus per os meum audire gentes verbum Evangelij, & credere: & qui novit corda Deus, testimonium perhibuit, utans illis Spiritum sanctum, sicut & nobis; & nihil discrevit inter nos & illos, fide purificans corda illorum. Nunc autem quid tentatis Deum, imponere jugum super cervicibus discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus. Sed per gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum & illi. Tacuit autem omnis multitudo, & in sententiam ejus laudibus Apostolus, & omnes simul Presbyteri transierunt. Nunquid præterea Oecumenicæ supremæ potestatis actus proprius est, Ecclesiam aliquam dotare prærogativâ Sedis Episcopalis, ac in hac influere certam quandam personam? Hoc autem fecisse Petrum, scribit S. Chryostomus in Ioan. Homil. ult. super illa verba: Sequere me, ita disserens: Quod si quis percontaretur, quomodo igitur Iacobus Sedem Hierosolymis accepit? Responderem, hunc præposuisse Petrum totius orbis Magistrum. Nunquid denique supremæ Oecumenicæ auctoritatis actus est, ordinare totius orbis Ecclesiastica negotia? At S. Chryostomus Homil. 21. super istis verbis Act. 9. v. 32. Factum est, cum Petrus transiret per omnes: sic ait. Quemadmodum dux in exercitu obambulans considerat, quæ pars sit coadunata, quæ ornata, quæ suo adventu egeat. Vide ubique illum, scilicet Petrum circumcurrare, & primum inveniri.

Sed quo jure pro secundo nititur Ellicius ex V. Generali Synodi Patrum sententiâ superius adductâ ostendere, ac si Concilij auctoritas major ac superior esset Romani Pontificis auctoritate? In hæc sententiâ dicunt præfati Patres, Spiritus sancti gratiam in singulis abundasse Apostolis, ut non indigerent alieno consilio, non tamen voluisse, nisi auditis alio-

na, Synodi quod
situr.
egato lano
m, Concilio
n, adque
Apostolicam
ligandis
en pcedis
z utroque
gni calor
osolica, per
Petri Succ
do ergo
modi En
tendi ex
Constit
fiaticam, p
fiaticam. V
tatum ver
hrisli & P
minimo d
dei decida
arrogant
olica, quæ
Ecclesia, à
cum equid
uando duo
ceat vicari
quam Corp
Ecclesiastic
conferre, p
tam altim
n econtra
n Summo
Oecumenic
edra: suæ
tur Ecclesi
quàm
i quædam
prærogati
sice extra
majorita
videntia
dei adent
cilium Oec
entia præ
non infere
ex ipsis

Veritas
centra
Ecclesia
CCLVI

M II. Ellic
argumen
ibus ad
atem esse
ia post
endas co
palli fuer
te quidem
S. Chry
ab iplo
fuisse. C
iam Judæ
cum de
stacuen
omnia F
le. Id mag

37

aliorum ex S. Scriptura argumentis, suam confirmare sententiam. Num ergo ex hoc, quod Apostoli ex se ipsis solis ob singulares rationes prudentiales facere noluerunt, fas est asseverare, ipsis defuisse potestatem, quam desertis tamen verbis contestantur dictæ Generalis Synodi Patres, ita ut dicant, ipsos non indignasse alieno consilio ad ea, quæ agenda erant? Num ex eo, quod ejusdem V. Synodi Patres imitati sint antiquorum exempla, ad veritatem indagandam ex communibus de fide disceptationibus, valde idoneis ad repellendos refractarios, malevolentiumque oblocutiones retundendas, hinc inferre fas est, Concilij auctoritatem superiorem esse Romani Pontificis auctoritate? Quantumvis enim aliquam *quoad nos* infallibilitatis majoritatem in Conciliari, per ipsum Romanum Pontificem approbato, Decreto haud negemus, evidens tamen apparet ineptia in illa Ellicij illatione.

ARGUMENTUM III. Ellicij.

38. **H**ic Theologus argumentatur tertio. Quoties in Ecclesia majores ac graviores sunt exorta controversiæ, semper fuisse congregata Concilia. Ad quid autem fuisset necessarium, illi hæc congregari, si solius Romani Pontificis auctoritas superaret Concilij auctoritatem? Imò ipsosmet Pontifices Romanos etiam post judicium suum ultro postulasse Concilia uti necessaria. Sic enim Clerum Romanum tempore Cypriani *recurrisse ad collationem consiliorum cum Episcopis, Presbyteris Confessoribus factam, quoniam nec firmum posset esse Decretum, quod non plurimorum habuisset consensum.* Sic Julium ad Orientalium dissidia finiendam ad Athanasij causam judicandam, nec non ad fidem confirmandam, affirmare, Concilium necessarium esse, atque ad illud invitare Eusebium, & ejus socios. Sic etiam Liberium testari, se ad eandem causam judicandam petijisse Concilium. Et in litteris ad Constantium iterum id enixe postulare, atque illà de causâ mittere ad eum Legatos, & cum in Imperatoris conspectum venisset, iteratò renovasse eandem postulationem, interrogantiq; Imperatoris ministro, *quæ pars Orbis est Liberij?* non respondisse, se supra Concilia esse, suamque auctoritatem omni aliâ majorem esse, sed tantum dixisse, etiam si solus sit cum paucis, non ideo causam fidei minui: quoniam tres tantum fuerunt, qui Nabuchodonosori restitère, Damalum, & alios Episcopos Occidentales post Aquilejensem Synodum Imperatori Theodosio scribentes, ad componendas Orientis res enixe postulare Synodum Generalem, asseverando, se non prærogativam examinis sibi vindicare, sed tantum consortium *communis arbitrij.*

Responsio ac retorsio hujus argumenti refutatoria.

39. **D**E quo Concilio, an *acephalo*, vel *complete* Oecumenico loqueris, Ellicij, dum in-

fers, non fore necessum, congregare Concilium, si ejus auctoritatem superaret solius Romani Pontificis auctoritas. Si sermo tibi sit de Concilio *acephalo*, merito dicitur, Pontificis Romani auctoritatem ipso esse eatenus superiorem, ut ejus congregatio nunquam possit esse necessaria extra casum dubietatis, vel nullitatis de Papatu, uti hæc patent *ex antecedentibus.* Quod si ergo sermo sit de Concilio *complete* Oecumenico, id nescitur, minime subsistere posse absque vicario Christi caractere, adeoque Romano Pontifice. Quomodo ergo dicere fas esset, solius Romani Pontificis auctoritatem superare suam ipsamet auctoritatem, in Concilio Oecumenico importatam? Quæ verò sit ratio necessitatis, ut Romani Pontifices etiam post judicium suum, ultra quandoque postularent, imò ipsimet convocarent Concilium Oecumenicum, id partim liquet *ex antecedentibus*, partim exponetur *subiis in subsequentibus.*

Primo igitur aliud est dicere, non posse Romanum Pontificem se solo dirimere fidei controversias: aliud verò est, ipsum nolle, ex varijs rationibus prudentialibus, plerumque ac ultimate id facere absque Concilio. Prius dicere, pugnet cum sanctæ Ecclesiæ praxi. Quoties enim Romani Pontifices fidei dissidia, etiam extra Concilium, diremunt, *auctoritative* condemnando seu hæretes, seu errores circa fidem suscitatos? Quam parum universa semper approbavit Ecclesia Catholica, nititurque Christi verbo, Cathedram Apostolicam Petri, ejusque successorum appellans Petram, lupet quam edificaretur Ecclesia, jubentisque propterea, ut Petrus confirmaret Fratres suos. Num verò congruit affirmare, Cathedrâ Apostolicâ Petri non esse locum nisi in Concilio? Quid ergo, si Petri successor, Romanus Pontifex extra Concilium decernat ex Cathedrâ suâ Apostolicâ ceu Petrâ fidei, an non firmum tunc stabit judicium cum infallibilitate veritatis fidei, ita ut super tale Decretum per veram fidem tunc eatenus sit ædificanda Ecclesia, ut portæ inferi adversus ipsam minime pollint prævalere? Quando igitur, haud obitane illâ firmitate Petræ, Romani Pontifices post judicium suum expetebant, & convocabant Concilium Oecumenicum, id ex varijs rationibus prudentialibus, *libere & spontaneè* faciebant. Sunt enim nonnulli eatenus refractarij, ut per summam pertinaciam ac proterviam non acquiescant Romani Pontificis judicio, quorum adeò temeritatem frangere, necessum est Concilij Oecumenici ultimâ decilivum arbitrium. Sunt alij in Ecclesia Dei, qui, dum ex nascentibus hæresibus, statum politicum vel maximè turbate consuetis, varios sibi confingunt respectus prudentiæ carnis ac mundi potius, quam sacre Religionis convenientes, quorum rationibus politicis Romanus Pontifex nunquam satisfacet, merito proinde confugiens ad alylum Concilij Oecumenici, in quo Præsules ex universo Christiano orbe aggregandi, consultant

sistent de remedio Statui tam Ecclesiastico, quam politico deservire idoneo. Sunt ex Catholicis viri etiam docti, qui hæcenus docuerunt, Pontificem Romanum non loqui ex Apostolica Petri Cathedrâ seu fidei Petrâ, nisi intrâ Concilium Oecumenicum, hujus scilicet Decreta *Conciliariter auctoritative* confirmando. Quæ sententia, cum à nullo adhuc Concilio Oecumenico sit damnata, rationem prudentialem præbet, ut ad ejus sententiam Auctores plenæ quieti restitutos, in fidei controversiis Romani Pontificis convocent Concilium Oecumenicum. Sunt insuper, qui fatentur, Romani Pontificis in fidei rebus judicium autoritativum ejus equidem esse ponderis, ut temerarium sit, ipsi contradicere, quo tamen non attento, uti reperitur, qui hoc periculum parum avertunt, negando Papæ infallibilitatē irreversibilem. Qui proinde ne pereant in hoc articulo, quisquis enim amat periculum, peribit in illo: ideo Romani Pontifices huic discrimini obviare volentes, tum ex singulari ratione prudentiali, tum ex sancta charitate remedium pro ipsis quaerunt ex Concilio Oecumenico, cujus judicium decisivum, Papæ consensu *auctoritative* roboratum, negare minimè audent, esse irreformabile. Sunt ex simplicioribus Catholicis, qui auctoritatis Pontificiæ peritiam non habentes, in fidei controversiis tenent judicium suum suspensum, quodsi que noscitur facta decisio per auctoritativum Concilij Oecumenici Decretum. Quorum adeo simplicitati Papa condescendendo, meritò sollicitus est de Synodi Oecumenicæ ultimato Decretum. Sunt denique ex viris Catholicis, iisque doctis, qui profitentur, Romanum Pontificem extra Concilium equidem Oecumenicum in rebus fidei definire posse ex auctoritate Cathedræ Apostolicæ, seu Petræ fidei: attamen, quia habetur ab universâ Ecclesiâ receptus fidei articulus, quod Decretum Concilij Oecumenici à Papa confirmatum obtineat firmitatem infallibilitatis omnimodè consummatæ: cujusmodi certitudo quoad se meo iudicio est quidem in dogmate per solum etiam Papam sancito; quia tamen hoc non ita clarè extat definitum, ideo quoad nos, vel saltem, secundum plures Theologos Catholicos, consummata fidei certitudo, seu prudentialis credibilitatis evidentia non æquè convincens, est in Decreto decisivo solius Papæ, quam ejusdem intrâ Concilium decernentis, sive *Consultare* Decretum *auctoritative* confirmantis. Atque hæc minimè postrema ratio est, cur Romani Pontifices etiam post judicium suum conscribere soleant Concilium Oecumenicum ex universi Christiani orbis Præsulibus Ecclesiasticis sub suo vicario Christi caractere coalescens.

40. Quibus ita constitutis, pro secundo progredimur ad singula, quæ Eliesius hic produxit, expendenda. Quando namque Clerus Romanus tempore Cypriani asseruit: Non posse firmum haberi decretum, quod non videatur habuisse plurimum consensum; unice ex hoc evincitur, fig-

mitatem decreti in rebus fidei quoad nos, maxime in ordine ad protervos convincendos, consummatam stare ex conciliari consensu, per Christi tamen vicarium nomen, seu Apostolicam Romanam Pontificis auctoritatem firmato. Quæ ratio, & causa est, cur Julius ad fidem confirmandam, aliasque causas tractandas, Concilium affirmavit necessarium, non ex eo, quod Romanus Pontifex ex Petra, super quam ædificata est Ecclesia, seu Cathedra Apostolica definiendo, non obtineat infallibilitatem, sed quod cum efficacia convincendi protervos non sit omnino ultimata evidens, Papam decrevisse ex cathedrâ, si se solo, ac extra Concilium sanciat aliquod fidei dogma. Libenter igitur damus, Papæ unâ cum Concilio convenire specialem, seu magis quoad nos convincentem, auctoritatem, quæ tamen non potest importare superioritatem super Papam, eo ipso, quod decreti intrâ Concilium Oecumenicum lati, & à Papa firmati firmitas involvat ipsam Papæ auctoritatem, vicarium Christi nomen præferentem, seu formam essentialiter sui constitutivam.

41. In Liberij ad Constantij Imperatoris ministros responso specialis later energia, dum petendo Concilium ajebar: *Etiamsi solus esset cum paucis, non ideo minuendam fore fidei causam.* Per hoc enim significatur, Papæ auctoritatem in Concilio universaliter quidem indicto, sed ex paucis Episcopis comparentibus coadunato, vicariique Christi uni Papæ inexistente caractere insignito, prævalere cunctorum Episcoporum, ipsi non consentientium suffragijs, juxta Christi Domini effatum, fidei decretis *Conciliariter* sub vicario suo nomine factis omnimodam attribuentis firmitatem, ex sua assistentiâ sanctè promissâ, ubi duo, vel tres in nomine suo per auctoritatem Apostolicam representato fuissent congregati.

42. Quandò denique Damasus cum Episcoporum Occidentalium Synodo Aquilejensi petijt consortium communis arbitrij Orientalium quoque Antistitum, dicendo, se non prærogativam examinis sibi vindicare, quibus verbis eatenus asserbat paritatem inter Orientales & Occidentales Episcopos, eorumque Synodos, ut consortium tamen communis arbitrij non prius utrinque firmum asseveraret, quam Suis Pontificis auctoritas, Concilij Oecumenici substantialis forma accessisset. Et hinc neque Occidentalium, neque Orientalium Episcoporum singularia arbitria, imò ne communis quidam universorum Antistitum arbitrij consortium fuisset prævaliturum, nisi ex accessu Pontificiæ auctoritatis commune hujusmodi arbitrium confirmantis.

43. Sed quid pro tertio evincere nititur Eliesius, quod Siricius Papa noluerit derogare decreto Synodi Capuensis causam Bonosi demandantis fuitinis Macedonibus Episcopis? Si Parlamentum Regium fecit decretum, cujus judicandi, & immutandi formam sibi haud convenire, Rex asseverat, num ex hoc arguere licet Parlamentum super Franciæ Rege superioritatem,

superioritas
cathedra
apostolica
GVI

tem, vel potius ejusdem in Parlamenti sui auctoritate manuenendâ superiori auctoritatem?

44. Quando insuper Innocentius I. ad motas in Chrysofomum componendas turbas, Synodum censuit necessariam, ad Clerum Constantinopolitanum rescribendo: *Solam Synodalem cognitionem posse hujusmodi procellarum impetus retundere. Quid hinc inferatur, nisi quod protervia malevolorum eodisque tunc invaluerit, ut nulla etiam Pontificia auctoritas penes ipsos locum esset habitura, ideoque Synodalis cognitio ad procellarum tunc prævalentium impetus retundendos esset necessaria?*

45. Par protervia erat penes Nestorianos, quorum hæresin propterea Cælestinus I. non solâ Sedis Apostolicæ auctoritate suâ, sed Concilij Generalis decreto censuit superandam, fretus verborum Christi insuperabili infallibilitate, promittentis in Evangelio, *ubi duo vel tres congregarentur in nomine suo* (vicario nempe Christi charactere Romani Pontificis proprio) *ibi se fore in medio eorum.* Præadducta igitur Summorum Pontificum exempla minimè probant Concilij, præsertim *acephali*, super Papâ auctoritatem, sed unice ostendunt, in hæresibus, aliisque moribus Ecclesiasticorum eodisque subinde prævalere proterviam, ut solâ Papæ auctoritate superari nequeat, sed opus sit Concilio Generali, per vicariam Christi auctoritatem Pontificis propriam munito.

ARGUMENTUM IV. Ellicij.

46. **H**ic Author argumentatur quartò ex S. Leone Summo Pontifice, qui in causâ Eutycthetis, licet Flavianus crediderit, Synodum Generalem non esse necessariam, nihilominus Concilij celebrationi annuit, atque ad Synodum indictam Legatos misit. Cum porrò Synodus Dioscori nefarijs artibus compulsâ, perperam judicasset, sanctus Leo non statim in irritum misit ejus decreta, quod utique fecisset, si auctoritatem suam Concilij potestate superiorem credidisset, sed nullum aliud huic malo remedium esse, ratus est, quam Concilij alterius Generalis celebrationem. Obtentâ demum Synodo, & Chalcedone habitâ, Eutycthetis causâ supremo judicio terminata est. Quis autem credat, Leonem, aut Concilia Generalia postulasse, aut sua judicia in ijs retractari permisisse, si suam auctoritatem Concilij auctoritate superiorem fuisset arbitratus? Testatur etiam Leo in *epistola ad Theodoritum post Synodum scriptâ*, judicium suum post Synodi confirmationem magnum accepisse robur, nec posse jam convelli, vel ullatenus labefactari. Ergo non existimavit, judicium suum æqualis fuisse ponderis cum judicio Synodi.

47. Insuper Felix III. & Gelasius I. ad dammandum Acacium Constantinopolitanum, non suam, sed Concilij Chalcedonenfis auctoritatē adducunt, eò quòd Acacius jungeret se Eutycthetis in Synodo Chalcedonenli damnatis, sicque particeps criminis, factus sit confors & poenæ; uti loquitur Gelasius in *epistola nona*: qui *epistolâ quartâ* scribit etiam de suo Antecessore,

executorem fuisse veteris constituti, non nova constitutionis auctorem, atque hoc maximè decere Præsulem, ut quoslibet secundum regulam hæreses ante damnatos, à Catholica discernat communione. Num verò ita se gessissent Pontifices, nisi auctoritatem Concilij suâ superiori existimassent?

Vigilius quoque Papa in causa trium Capitulorum non potuit ad eorum damnationem compelli, nisi auctoritate Concilij Generalis, uti testantur Italiæ Clerici in *litteris ad Legatos Francorum Constantinopolim euntes*. Cum proinde quinta Synodus Generalis de tribus Capitulis judicium postea tulisset, repugnante, ac resistente Vigilio, ejus tamen decretum vim habuit, coactulque fertur ipse Vigilius, tandem ei consentire.

Agatho denique Romanus Pontifex in dictâ Synodo Generali propter Monothelitarum causam, non deprecatus est, eam minimè fieri, eò quòd in Synodo Lateranensi Præside Martino I. videri posset causa jam judicata, sed ultrò ad eam mittit Legatos, eamque necessariam fuisse, fatetur in *epistola Synodica*.

Responsio, ac retorsio hujus argumenti confutatoria.

Dum contendis Ellicij, Romanos Pontifices, speciatim S. Leonem, non asseruisse, judicium suum esse Concilij judicio superius, verissimum dicis, si sermo tibi sit de Concilio completo Oecumenico per vicariam Christi nomen, Papæ in terris proprium subsistente. De hujusmodi namque, non *acephalo* Concilio procedunt exempla à temerè allegata, quibus probantur Summi Pontifices in majoribus causis fuisse solliciti de convocandâ Synodo, ad eam taliter mittendo Legatos suos, ut ejusdem decreta tandem firmarentur Apostolicâ Papæ auctoritate. Dum verò inducis eundem Leonem gloriantem, quòd judicium suum ex Synodi confirmatione magnum robur accepisset, tibi met contradicere evinceris, quando prius asseverabas, Leonem sua judicia in Concilij retractari permisisse. Sed his missis, ad rem progrediamur.

Primo igitur, si judicium Papæ in causis fidei sit ex Cathedrâ Apostolicâ, seu Petrâ, super quam ædificatur Ecclesia; quomodo fas esset, tale judicium dicere subiectum errori, nisi Ecclesia unâ cum Petrâ, super quam à Christo dicitur ædificata, sub tali fidei errore superaretur à portis inferi? Sicuti verò istud pugnat cum disertâ Christi pollicitatione, sic prorsus dicendum est, judicium Papæ ex Petrâ Cathedrâ Apostolicâ in causis fidei ultimariè decretorium, tantæ auctoritatis esse, quanta nequi terris major esse. Quia verò secundum nos non tam evidens est ac certum, quòd Petri judicium extra Concilium sit ex Petrâ, super quam ædificatur Ecclesia, ideo secundum nos, præsertim in ordine ad vincendam hæreticorum proterviam, major est evidentia omnimodæ & consummatæ in fidei decretis infallibilitatis, si unâ cum Concilio per vicarium Christi nomen suum formaliter Oecumenico decernat, quam si se solo extra

ejusmodi Concilium definiat. Et hæc causa est, cur Summi Pontifices, ipsemet etiam S. Leo, causas fidei existimavit, rejciendas esse ad Concilium Oecumenicum suâ Christi vicariâ autoritate insignitum, dum protervia hæreticorum se opposuerat Papæ judicio, ex Synodi Oecumenicæ accessu, quoad nos recepturo credibilitatis evidentiam majorem, seu magis convincentem ad fidei assensum eidem præstandum.

Secundò igitur ipsissima hæc ratio est, cur Felix III. & Gelasius I. in damnando Acacio Constantinopolitano, autoritate Concilij Chalcedonensis usi fuerint, ne utriusque ambigendo, quin omnes complices, damnatæ semel pravitatei communicatores, pari censerentur sorte. Quia proinde Eutychemorum in Synodo Chalcedonensi condemnatio, hæc subsisteret absque autoritate Pontificiâ, decretis Conciliaribus Apostolicæ Cathedræ robur impetiente: idcirco præacti Romani Pontifices in damnando Acacio, ita insistebant Concilij Chalcedonensis autoritati, ut hæc tamen simul importaret Cathedræ Apostolicæ firmitatem, sicque decreti Conciliaris, simul & sui proprii essent executores.

Tertio. Res ita se habet circa Vigilium Papam in causâ trium Capitulorum, a Concilio Constantinopolitano, quintâ Generali Synodo damnatorum. Nempe uti testantur litteræ Cleri Italici ab ipsomet Eliesio allegatæ, Vigilus Papa nullatenus acquieverat, ut ea Capitula sine Synodi Chalcedonensis mentione damnarentur. Quia proinde Capitula illa non erant circa causam fidei, sed de certis personis damnandis, de quibus in Chalcedonensi Concilio nihil continebatur; veluti S. Gregorius lib. 3. epistola 37. ad Constantium Mediolanensem scribit. Ideo ex reverentia erga Synodum Chalcedonensem, noluit Papa se solo damnare illa Capitula. Ubi equidem quinta Synodus Generalis eam ob causam Constantinopoli congregata, resistente Romano illo Pontifice, eodemque contra obnitate, fuerat absoluta, pro tunc Synodus ista non erat in censu Concilij Oecumenici, quodisque eidem tandem accesserat Vigilij consensus approbatorius: ex quo primùm incipiebat potiri titulo Synodi Oecumenicæ quintæ, pollebâtque autoritate, toti Christiano orbi, sub plena infallibilitatis luce, inde elucescente, ut vel hinc appareat, quanta vis sit in Sede Apostolica; uti hæc fusè probat Baronius in *Annalibus Ecclesiasticis* anno 553. n. 219.

Quartò denique notatu dignissimum est, quam ob rationem Agatho Romanus Pontifex causam Monothelitarum in Synodo Lateranensi præside Martino I. jam judicatam commisit judicio Synodi Orientalis, cui per suos præsidebat Legatos. Hujus namque sui facti rationem in epistola Synodicâ reducit ad hoc, ut scilicet veritas in ancipiti adhuc posita staret &c. Quibus verbis non insinuabatur, ipsi Agathoni fuisse dubiam veritatem à Martino I. jam definitam: sed quod alij, præsertim Orientales, essent in ancipiti, quibus

proinde, oportuit, clarescere veritatem ex Concilij omnium judicio Oecumenici definitione. Et hinc consequitur, judicium Papæ ex Cathedra decernentis ita certum esse, ut Agatho Papa minimè dubitavit, Martini I. judicium comprobatum iri à Synodo Oecumenicâ, suæ auctoritatis caractere insigniendâ: nihilominus quia secundum nos major est credibilitatis evidentia in Concilij formaliter & completè Oecumenici, quam Papæ extra hoc statuentis decreto, idcirco, ut veritas adhuc in ancipiti posita clareret, & eam ferventer amplectentibus robur accresceret ex luce evidentie ad positivè credendum magis convincentis, Agatho Papa lubens amplectebatur Synodi Generalis indicationem pro Monothelitarum causâ, ex fidei principijs dijudicandâ.

ARGUMENTUM V. Eliesij.

Hic Parisiensis Doctor argumentatur 55. Missis plurimis alijs Pontificum Romanorum testimonijs, quibus centies ipsi profitebantur, se nihil quidpiam momenti definire, aut agere posse sine Concilij auctoritate; unum esse instar omnium Innocentium III. qui Philippo Rege petente, ut sibi liceret cum uxore divortium facere; responderat, se id sine Concilio Generali facere non posse, lib. 3. Regist. 15. epist. 104. Gregorium X. quoque in indicatione Concilij Lugdunensis agnosceret, se solum sine Concilio non sufficere ad res Ecclesiæ restituendas. Similia repetere Clementem V. in epistola ad Philippum Francorum Regem. Denique missis alijs, Romanos Pontifices ad Lutheranorum, Calvinianorum, aliorumque Novatorum errores peremptorio judicio damnandos, Concilij Generalis auctoritatem necessariam esse, credidisse, nec conquestos fuisse, rem à suâ Sede judicatam in Synodo Tridentinâ iterum examinari, ac de novo judicari. Non ergo putasse, suam auctoritatem majorem, aut superiorem esse auctoritate Concilij.

Responsio ac retorsio hujus argumenti confutatoria.

Veritati minimè consonat, Romanos Pontifices centies fuisse professos, se nihil quidpiam momenti definire, aut gerere posse sine Concilij auctoritate. Nam primò Innocentius III. meritò negabat, sibi licere matrimonij legitimi solutionem à Philippo Rege expetitam, quippe juri Divino contrariam, & ideo loco citato asseruit, se hoc faciendo, incursum non mundanam duntaxat infamiam, sed Divinam quoque offensam cum periculo officij forsan & ordinis sui. Si enim hoc jus Divinum pernegasset, sanctæ fidei temerata reus, atque adeo ab ipsomet Christo, ceu membrum ab Ecclesia abscissum, exauctorandus fuisset. Unde ne Concilium quidem Generale hoc facere potuisset, sicque proinde Innocentius ad Generalis Synodi de liberatione confugiebat non eam ab causam, quod

quod talis juris Divinæ fide sancitū tollendi potestas esset in Concilio, sed quod Philippus sibi, Pontifici, non esset acquieturus, merito adeo ad Concilij Generalis definitionem ablegatus.

57. Par est ratio in responso Gregorij X. dum ob potentiorē resistentiā pertinaciæ seu proterviæ verisimiliter jungendam, recurreret ad Concilium Generale, utpote quod polleret auctoritate *idūm credibilitas evidentiam magis centem quoad nos, & in ordine ad proterv. præcipue superandos* majore: quæ tamen majoritas respectu Papæ, utpote sub accessu suo auctoritativo, Concilij, decretum formaliter & completè Oecumenicum reddentis, haud importabat superioritatem; uti ex antecedentibus constat.

58. Hæc ipsa denique majoris, seu magis ad credendū convincentis, prudentialis credibilitatis evidentiam, ex Concilij Universalis auctoritate resultantis ratio, fuit in causa, ut Romani Pontifices ad Novatorum errores peremptorio & ultimato judicio damnandos, Concilij Tridentini à semet convocati & firmati auctoritatē expetierint, minimè conqueſti, rem à sua Sede judicatam de novo judicari in Synodo, sed omninò certi, suum prævium ex Cathedrâ Apostolicâ Petrâ in rebus fidei factum judicium esse ratum habendum, & ultimatè firmandum à Concilio, per suum Christi vicarium nomen insignito.

59. Sed videamus pro secundo, quid momenti adferat Ellicius ex Divo Augustino scribente *Epist. 162.* Donatistis Romæ à Pontifice, & Episcoporum ibi præsentium Synodo proscriptis superfuisse conjugium ad plenariam seu Oecumenicam Synodum. Hujus Doctoris sententia ita se habet: *Ecce putemus, illos Episcopos, qui Romæ judicârunt, non bonos fuisse judices, restabat adhuc plenarium Ecclesiæ universæ judicium, ubi etiam cum ipsis judicibus causa posset agitari, ut, si malè judicasse convictri essent, eorum sententiæ solverentur.* In quibus adeo verbis D. Augustinus sub hypothese non assertâ, sed positâ, abstrahendo à Papæ ex Cathedrâ suâ Apostolicâ sancientis definitione, eatenus supponit Episcoporum novemdecim in Donatistarum causâ Romæ judicantium ob repentes fortassis errores, ut hos asseveret corrigendos ex plenarij Concilij, Pontificio Christi vicario characterè insigniti & firmati ultimatis sanctionibus. Et hinc sub ea probabilitate, juxta quam nonnulli etiam Catholicij Doctores asseverant, Papam non nisi in Concilio Oecumenico sententiâ ultimatè decisivam eloqui ex Cathedrâ suâ Apostolicâ Petrâ, super quam edificata est Ecclesiâ, dicere equidem licet, non esse quempiam obnoxium extremæ hæreticorum seu schismaticorum propriæ pertinaciæ, dum Papæ extra Concilium definienti refragatur, tamen huic contradicendo in fidei Decretis, sit obnoxius periculo erroris cum fide pugnantis. Unde plus non evincitur, nisi quod Synodi Generalis per auctoritativum Papæ accessum stabilitæ, secundum nos, sive secundum certitudinem universim ab omnibus Orthodoxis comprobandam, sit auctoritas

ad fidei assensum sub hæreseos censurâ magis convincens, credibilitatiquæ actus contringentis ponderosior evidentia prudentialis, quàm sit in Papa solo extra Concilium decernente. Juxta quem sensum tenet quoque sententia D. Augustini *lib. 2. de Bapt. c. 4.* inquit, *Universum partibus semper optimo jure præponi: id est, totum & completum Ecclesiæ Corpus Hierarchicum, ex Capite Summo Pontifice, ac reliquis membris Hierarchicis, Prælati Ecclesiasticis, intrâ Concilium Generale, unanimi consensu definientibus consistens, plus habere ponderis ad credendum sub evidentia prudentiali convincentis, quàm sit solius Papæ extra Synodum Oecumenicam decernentis. Cui consonat S. quoque Hieronymi in *Epist. 87.* exarata assertio: *Si auctoritas, inquit, queritur, Orbis major est Vrbe, secundum nos scilicet, quibus in dogmaticis sanctionibus notum est, fidei esse articulum à Concilio Oecumenico per Papam consolidato definitum, dum tamen ex solius Pontificis Decreto necdum habetur consummatæ infallibilitatis decisio ultimata.**

ARGUMENTUM VI. Ellicij.

Hujus summa petitur ex auctoritate Parisiensis Academiae, quam is Auctor præsentis Dissert. 6. §. 7. ait, à primis incunabilis tenuisse hanc doctrinam, quod Concilium sit supra Papam. Cujus rei primum extare monumentum sub Philippo Pulchro, quo tempore simul cum Rege & Ecclesiâ Gallicanâ ac Proceribus regni censuisse eandem Universalitatem, à sententia Pontificis ad futurum Concilium Generale esse provocandum. Parisiensis insuper Theologiæ Facultatem adversus Montefonum & Saracenum, auctoritatem Concilij Generalis supra Papam assertivisse tum in tractatu per Petrum de Alliaco composito, quo probatur, in causis fidei posse à Pontifice appellari ad Concilium: tum in censura adversus Saracenum latâ, quâ configitur isthæc propositio: *Quandocunque in aliquo Concilio Generali aliqua instituuntur, tota auctoritas dans vigorem statuti, in Summo residet Pontifice, omnes aliæ potestates de jure nihil possunt contra Summum Pontificem. Cui Facultas illa Theologica hanc opposuit positionem: Quandocunque in aliquo Concilio aliqua instituuntur, tota auctoritas dans vigorem statuti, residet non in solo Summo Pontifice, sed principaliter in Spiritu sancto, & Catholica Ecclesiâ: aliqua potestas, scilicet Ecclesiâ, de jure præest aliquid, & certis in casibus contra Summum Pontificem.*

Responsio ac retorsio hujus argumenti confutatoria.

Quid momenti in tuo inprimis Ellicij argumento esse potest, dum contendis probare, Parisiensem Academiam à primis statim incunabilis sæculo VIII. coæptis eam de Concilio supra Papam superioritate doctrinam tenuisse, dum tamen hujus tæ probationis nullum antèterius monumentum illo, quod sub Philippo Pul-

Pulchro, adeoque sæculo decimo quarto extitit, in medium afferre potes. Quod etiam monumentum à temer allegatum sub ea consistit verborum formulâ, quæ tuo intento parum conducit, ita enim se habet: Nos convocacionem & Congregationem ipsius Concilij reputantes utilem, necessariam, & salubrem, ac expedientem fidei negotio, & Ecclesiæ sanctæ Dei, ejusdem convocacioni & congregacioni assentimus, ac operam libenter dabimus juxta posse, & provocationi & appellacioni præfati Domini Regis adhaeremus, quantum de jure possumus, & debemus secundum Deum & justitiam, & sanctæ permittent Canonici sanctiones.

Quibus verbis insistendo, lubeat hinc indagare, num Academia Parisiensis de jure potuisset adhærere Regis appellacioni, si à Papa provocasset ad Concilium acephalum? Ita sensisse dictam Universitatem, nefas est dicere. Quare provocatio illa, quæ comprobata ab Academia Parisiensi, nequit aliter intelligi, nisi quatenus à Papa extra Concilium in rebus fidei decernente, potuisset adhuc fieri recursus ad infallibilitatem omnino consummatam & ultimam Concilij Oecumenici sub Christi Vicario nomine aggregati, ipsiusque adeo Papæ auctoritativo consensu firmati Matth. 18. ex Christi assistentiâ repromissam: cujusmodi recursus, cum fiat de Papa extra Concilium ad Papam cum Concilio decernentem, nequit strictè loquendo dici appellatio; uti in antecedentibus ostensum fuit.

Hinc pro secundo sub hoc ipsissimo sensu intelligendus est Petrus de Alliaco adversus Montefonum probasse, in causis fidei à Pontifice ad Concilium appellari posse. Unde evincitur duntaxat, ultra prærogativam Petri, ac in rebus fidei decernendis infallibilitatis Matth. 16. Petri Successori repromissæ, agnoscere debere ulteriorem adhuc infallibilitatem omnino consummatam, Papæ intra Concilium facienti, sive Synodo Oecumenico per vicarium Christi characterem Papæ proprium insignitæ, Matth. 18. destinatam.

Quam porrò facultas Theologiæ Parisiensis adversus Saracenum tulit censuram, quod nempe tota auctoritas in Concilio dans vigorem statutus, resideat non in solo Summo Pontifice, sed principaliter in Spiritu sancto, & Catholica Ecclesiâ: nihil prorsus in ea continetur contrarietatis, cum nostrate doctrinâ. Nam facultas Theologica sub Catholica Ecclesiâ in Concilio Oecumenico completè representatâ utique proficetur, contineri ejusdem quoque Caput, sub cujus caractere Christi vicario formaliter consistit Synodus Oecumenica, dogmaticarum sanctionum suarum firmamentum non aliter obtinens, nisi ex consensu Papæ auctoritativo. Notat insuper dignissimum est, quod eadem facultas Theologica Parisiensis tam circumspèctè loquatur ibidem de potestate Ecclesiæ erga Papam, dicendo: Possè de jure aliquid, & certis in casibus contra Summum Pontificem. Ex quo licet à contrario inferre, ultra hocce calus, contingentes ex hæresi, ex intrusione, vel ex schismate à Papatû dubietatem inferente substitutos, nihil posse Concilium adversus summum Pontificem,

AD intentum suum adducit is Auctor prætractam Facultatem, eò quod in censurâ adversus Joannem Angeli Minoritæ ad annu 1482. latâ, damnârit sequentes propositiones: Tum quod Papa possit totum Jus Canonicum destruere, & novum constituere. Quam propositionem notat ea Facultas, esse scandalosam, blasphematoriam & notoriè hæreticam & erroneam. Tum quod Papa possit ab uno Ecclesiastico tollere mediam partem reddituum beneficiorum suorum, & uni alteri dare, non exprimendo aliquam causam. Cujus propositionis isthæc fertur censura, quod sit periculosa, & nullo modo prædicanda. Tum quod quicumq; contradicit Papæ voluntati, paganizet, & sententiam excommunicationis incurrat ipso facto, nec nisi in materia hæresis Papa possit reprehendi. Quæ propositio decernitur falsa, scandalosa, & sapiens hæresim manifestam. Ex quibus censuris infert Ellicius, cum mens propositionum fuerit, Papam extollere supra Concilium, consequenter censurarum illarum mentem esse, Papam Concilio inferiorem statuere. Adducit præterea Ellicius Academiæ Parisiensis ad Generale Concilium appellationem anno 1491. factam sub hoc tenore: A sanctissimo Domino nostro Papa Innocentio VIII. minus debitiè consulto, ad se ipsum melius consulendum, & ad sanctam Sedem Apostolicam etiam melius consulendam, nec non ad sacrosanctam universalem Synodum celebrandam, provocamus & appellamus.

Responsio ac retorsio hujus argumenti confutatoria.

IN primis cum Jus Canonicum complectatur dogmaticas quoque sanctiones, continentes fidei mysteria, præferentesque faciem principij, ad credendum infallibiliter directivi: cum insuper contineat morum decreta, quoad specificationem honestatis & bonitatis moralis in ipsis fidei principijs radicata, & quoad exercitium importantia vim ipsius etiam legislatoris directivam, ex Lege æternâ eisdem se insinuante, strictè obligatoriâ: idcirco Facultas Theologica Parisiensis merito damnavit istam propositionem tam nudè & universaliter sumptam, quod Papa possit totum Jus Canonicum destruere, & novum constituere. Quia porrò Beneficiarijs competit jus super redditibus suorum beneficiorum: ipsa verò justitiæ & æquitatis naturalis ratio obstringit, ut cuique jus suum servetur, ideo jure merito notatur periculosa propositio, quod Papa nullam exprimendo causam, possit ab uno Ecclesiastico tollere mediam partem reddituum beneficalium, & alteri dare. Quia denique Papa ex suâ personâ privatè obnoxius est errori ac peccato, iterum censetur merito scandalosa isthæc propositio; quod paganizet, ipsoq; facto sententiam excommunicationis incurrat, qui voluntati Papæ extra Cathedralam statuentis contradicit, sive quod Papa non nisi in materia hæresis reprehendi possit. In his igitur censuris haud discordo à prætracta Parisiensi Facultate; at ineptè prorsus consequentiam assero, quâ dicitur, ex illis censuris inferri, quod ea Theologica Fa-

D d d 2 cultas

coltas habuerit mentem, sub illis censuris concludete, Papam esse Concilio inferiore.

76. Pro secundo, dum Parisiensis Academia inducitur anno 1491. appellasse à Papa minus debite consulto, ad seipsum melius consulendum, & ad sanctam Sedem Apostolicam etiam melius consulendam, nec non ad sacrosanctam universalem Synodum celebrandam; num credere fas est, quod sub universali ejusmodi Synodo intellexerit Concilium *acephalum*, vel potius plene Oecumenicum, Ecclesiæ Hierarchicæ perfectè representativum, ipsoque adeo Pontificis Romani seu Capitis caractere Christi vicario munitum? Si de tali Synodo Oecumenicâ sit sermo, duplex noscitur ejusdem prærogativa *Matth. 18.* tradita. Quarum una est indefinita ligandi & solvendi auctoritas, cui coæquatur, quæ *Matth. 16.* soli Petro cum ordine successione, sub clavium potestate fuit concessa, nec adeo quoad Oecumenicam jurisdictionem aliqua subsistit superioritas Concilij erga Papam. Altera proinde Concilij Oecumenici præminentia ex citato *18. Matth. cap.* consistit in assistentiâ Christi, & hinc enascente omnimodâ & consummatâ in decidendis fidei dogmatibus infallibilitate. Etsi verò *Matth. 16.* Petri quoque successori sit per Christum promissa Petræ firmitas, super quam Ecclesia insuperabiliter esset ædificanda: attamen quia non extat definitum, quod Papa extra Concilium, in quo Ecclesia Hierarchicæ ædificatur super Petrâ, ultimâ definire valeat ex auctoritatis suæ Apostolicæ Cathedræ Oecumenicæ, idcirco saltem quoad nos, & in ordine ad evincendos catervos, in Concilio Oecumenico per Papæ consensum auctoritativum firmato, extat prærogativa majoris, seu magis convincentis prædentialis ad credendum evidentiam. Ob hujusmodi ergo majoritatis excellentiam si à Papa, extra Concilium decernente, fiat recursus ad Synodum universalem ex Capite & membris Hierarchicis consistentem, nequit propterea hinc redargui stricta quædam superioritas; uti probatum est in antecedentibus.

68. De tali proinde majoritate creditur loqui Cardinalis à Lotharingia per Eliesium citatus, Parisiensis Academiæ doctrinam sectando. Quod verò hic ipse Cardinalis Florentinam Synodum neget Oecumenicam, profectò audiendus non est, cum ipse etiam Catalogus Canonorum sacre Scripturæ librorum ex hujus Synodi Decreto à sacrosancto Concilio Tridentino comprobatus fuerit. Quæ denique de alijs Academijs, alijsque Theologis à se allegatis, hic refert Eliesius, minimè creduntur aliter esse intelligenda, nisi de præinsinuata majoritate consummatæ infallibilitatis Concilio Generali per Papæ auctoritatem stabilito competentis.

69. Quod porrò Universitatis Parisiensis Doctores extollendo auctoritatem Conciliorum, non intendant, suppressimè supremam & Oecumenicam potestatem Papæ, lubeat pro tertio audire ex paucis sequentibus testimonijs. Etenim Alcuinus, cui præfacta Universitas sua debet incunabula, lib. 1. de *Divin. officijs. cap. 19.* ita habet: Religionis cultum sic

Dominus instituit, ut in Beatissimo Petro principaliter collocaret, atque ab ipso quasi Capite divina sua vellet in corpus omne manare. Unde constat, ab universali Orbis communiione separatus esse, sicut docet Beatus Pelagius, qui quilibet dissensione inter sacra mysteria Apostolici Pontificis memoriam secundum consuetudinem non frequentant. Anno dein 1387. tota Universitas Parisiensis per Magistrum Petrum de Albiaco, ita professâ est: Igitur pro vestris humilibus filijs Universitatis prædictæ, & pro nobis eorum Nuntijs, qui suis in hac parte obsequimur mandatis, & documentis inimitimur, corde & ore unanimitè protestamur, quod, quicquid hæcenus in hac causa per eos actum est, & quicquid in ea nunc, vel aliâs pro his acturi, vel dicturi sumus, totum correctioni, & judicio Sedis Apostolicæ, & sedem in ea Summi Pontificis, humiliter submittimus, dicentes cum B. Hieronymo 24. quasi. 1. Hæc est fides, Pater Beatissime, quam in Catholicâ Ecclesiâ didicimus, in qua, si minus perire, aut minus cautè fortè quid positum est, emendari petimus à te, qui Petri fidem, & Sedem tenes. Non ignoramus enim, sed firmissime tenemus, & valatenus dubitamus, quod sancta Sedes Apostolica est illa Cathedra Petri, supra quam fundata est Ecclesia &c.

Præterimus hinc Albertum Magnum ejusdem Universitatis Magistrum, nec non S. Thomam Aquinatem, Academicum illius alumnum, aliofque præclaros Doctores; contenti unico Duvalio Theologo Sorbonico lib. 4. quasi. 10. ita argumentante: In causa appellationis appellans à potestate & jurisdictione ejus, à quo appellat, eximitur. At in nullo casu potest quis à jurisdictione & potestate Romani Pontificis eximi: aliquid non esset amplius illius oris, ac per consequens nec Christianus, cum Christus in quoscunque Christianos Petro dederit potestatem, his verbis: *Pasce oves meas, non has, aut illas, non hujus, aut illius regionis, sed universim oves meas, id est, omnes, qui Christianæ Religionis nomen dederunt; uti eleganter 3. de consil. ad Eugenium docet Bernardus.* Deinde per appellationem recedit appellans ab obedientia & communiione ejus, à quo appellat. Atqui nulli Christiano, in quacunque dignitate sit constitutus, ab obedientia Summi Pontificis & communiione licet recedere. Quisquis enim extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in Arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio; uti Hieronymus Damalium Sedis Apostolicæ Rectorem alloquitur. Adhæc à Monarcha Monarchico, id est, extremo judicio judicante, nefas est appellare. At Pontifex Romanus est supremus Ecclesiæ Monarcha: extremo igitur judicio quilibet causas ita terminabit, ut fas amplius non sit, ad ullum aliud tribunal provocare. Præterea judex, à cujus judicio provocatur, judicem, ad quem sit provocatio, parti condemnatæ dare, aut designare non debet: sic enim ageret in se ipsum, abiretque in rem judicatam contra communem juris regulam. Atqui solus Pontifex Romani est, Concilia Oecumenica indicare, congregare & confirmare, atque eorum Decretis robur tribuere. Itaque si ab ejus judicio ad Concilij tribunal sit provocatio, debet Pontifex ipse contra se ipsum in rem à se absque fraude sibi factâ judicatum abire: artus 2.

arma, quibus emendetur & corrigatur, suppeditare, & quod amplius est, ista omnia contra se, suamque judicium definita, novo suo calculo confirmare, quod certe universum iustitiae ordinem, praclarissimamque Hierarchiam omnino pervertit & destruit.

S. III.

An Concilij supra Papam superioritas evincatur ex hoc, quod Pontifex Romanus teneatur legibus Concilij, nec possit ab ijs sapienter dispensare in eo casu, quo dispensaret Concilium?

ARGUMENTUM I. Elliesij,

71. NITitur hic Auctor primò intentum suum probare ex hoc, quòd Romani Pontifices uno ore clament, se Conciliorum legibus teneri, nec posse illas infringere, aut pro libito immutare. In hunc sensum inducuntur Julius I. Epist. ad Orientales. Liberius in Epist. ad Constantium. Bonifacius I. in Epist. ad Hilarium Narbon. Caëstius I. in Epist. ad Episcopos Illyrici. Sixtus III. in Epist. ad Episcopos per Illyricum. Leo I. in Epist. ad Pulcheriam. Simplicius in Epist. ad Acacium. Gelasius I. Epist. ad Episcopos Dardaniae. Hilarius Papa in Romano Concilio. Agapetus Epist. 6. ad Casarium Arelat. Gregorius I. lib. 3. indictione 12. Epist. 30. Item lib. 2. indictione 11. Epist. 52. & lib. 1. Epist. 24. Martinus I. Epist. 5. ad Ioan. Philadelphiam Episcopum, & in Epist. ad Amandum Trajectensem. Zacharias Epist. 1. ad Bonifacium cap. 5. Leo III. in Dialogo cum Legatis Caroli Imperatoris. Nicolaus I. Epist. 32. Adrianus II. & Ioannes VIII. Epist. 231. Sylvester II. Epist. 145. Gregorius VII. lib. 2. Epist. 7. Eugenius III. Epist. 8. ac denique Innocentius III. Unde subinfert Elliesius, post tantam nubem testium, non nisi exæccatum ac vecordem audere affirmare, Romanos Pontifices decretis Conciliorum non teneri, sed ea posse pro libito abrogare, & sine causâ ab ijs dispensare, cum contrarium tot ac tanti Romani Pontifices disertè ac sine ambagibus protestentur. Cujus aliam non esse rationem, nisi quòd iudicium Concilij superius sit iudicio Pontificis.

Responsio, ac retorsio hujus argumenti confutatoria.

THEologis indubitatum est, ipsimet etiam Legislatorem quoad vim directivam teneri suis legibus. Num verò hinc inferre licet, Legislatorem esse se ipso superiorem? In aliud ergo ac profundius fundamentum reducenda est hujus ratio.

72. Primò igitur quoad Conciliorum Decreta dogmatica considerare oportet, quòd præferant infallibilitatem consummatam principij ad fidem directivi, convincentem credibilitatis evidentiam prudentialem importantis, hæcque ipsam Primam Veritatem fidei Divinae motivum specificativum applicantis ad cuiusque fidelium intellectum captivandum in sanctæ fidei obsequium. Tenentur igitur

Romani Pontifices ad Conciliorum Oecumenicorum suo auctorizativo Decreto firmatorum inviolabilem observantiam, ex vi Juris Divini ineluctabiliter obstringentis ad submittendum se principio, sub credibilitatis convincente evidentia, ad fidei assensum constringenti, idque ex religioso respectu ac reverentia erga Primam Veritatem super ejusmodi prudentialis evidentia, candelabro positæ in ordine ad præstandum assensum dogmati, ceu divinitus revelato, auctoritativeque definito.

73. Deinde quoad morem decreta in Concilio Oecumenico per auctoritatem Pontificiam auctorizato sancita, duplex est habenda ratio. Quarum altera importat necessitatem specificationis, consistentem in certitudine honestatis moralis ex ipsis fidei principijs deductæ, & sancitæ ab universali Synodo. Adversus quam pugnare, eamque vel negare, vel inanem contendere, pariter adversatur fidei Divinæ lumini, virtutibusque moralibus in hoc radicatis. Altera ratio in obligatione Decretorum moralium importat necessitatem exercitij, in vi cujus omnia Ecclesiæ sanctæ membra tenentur vitam suam illis conformare, ita ut ne Legislator quidem quoad vim directivam pro lubitu suo possit transgredi legem ejusmodi, quamvis ex causa rationabili possit in eâ dispensare, aliâque rationi consonam facere immutationem. Juxta hæc igitur principia loquantur Romani Pontifices, asseverando, se Conciliorum Legibus teneri, nec posse pro libito eas immutare, aut infringere; veluti mox probatum dabimus ex ipsorummet præallegatorum Summorum Pontificum sententijs.

74. Secundò. Tales igitur tum Dogmaticarum, imò & Moralium, ab Oecumenicis præcipue Synodis definitarum, Pontificiaque auctoritate Apostolicâ confirmatarum sanctionum, quoad specificationem in ipsa fidei ac reliquarum supernaturalium virtutum naturâ intrinsecè radicatarum, tum quoad exercitij obligationem ex ipsa Lege Æternâ, ceu Causâ Primâ, humanis etiam legibus sese insinuante resultantem, ipsùmque adeò Legislatorem secundum vim directivam obstringere natam, conscientia obligatorias necessitates, Apostolico mûneri præ ceteris fidelibus graviter incumbentes, contestabantur præcitati Romani Pontifices, quando Julius I. nefas duxit, abrogare tanquam vana & futilia, quæ in Concilio Nicæno, velut Deo præsentè, acta fuerunt: ex quo adeò respectu asseruerat i; Pontifex, se omnia facere secundum Canonem: quando Liberius non tam sua, quam Apostolica statuta, ut essent semper firmata & custodita, perfecit, morem, ordinemque Majorum secutus: quando Bonifacius I. se ipsum asseveravit Paternarum sanctionum diligentem Custodem, studeatque, Canonum præcepta servare: quando Caëstius I. noluit dominari regulis, sed maluit, ut sibi dominantur Canonum præcepta & regula: quando Sixtus III. voluit, omne Corpus Ecclesiæ ita regi Capite, ut ipsium tamen Caput sustentaretur suo Corpore, sicque retineret vigorem suum: quando

do Leo I. prava & improbanda censuit, quæ sanctis Canonibus essent contraria, voluit quæ, ut Canones Nicæni sacrilegæ Arianae doctrinæ condemnatorij ad perpetuum instituti, nollâ variarentur commutatione, sicquæ à cunctis Pontificijs intemerati servarentur, regulæquæ ijs Canonibus sanctis repugnantes in irritum mitterentur, & per auctoritatem B. Petri Apostoli Generali prorsus definitione cassatæ haberentur: quando Simplicius scribebat contra definitiones Concilij Chalcedonensis, nihil se retractare posse: quando Gelasius I. testabatur, Synodi constitutum, quod universæ Ecclesiæ probavit assensus, non aliquam magis exequi Sedem oportere, quam primam: quando Hilarius Papa falsus est, reatu majore delinquere illum, qui potiori honore perfruitur: quando Agapetus dixit, necesse sibi esse, quidquid Synodalis decrevit auctoritas, inviolabiliter custodire: quando Gregorius I. quatuor Concilia, aiebat, esse veneranda velut quatuor Evangelia: quando Martinus I. audire voluit, se Defensorem & Custodem esse Divinorum Canonum, non prævaricatorem: quando Zacharias negavit, ab Apostolica Sede dirigi, quæ contraria essent Patrum, seu Canonum institutis: quando Leo III. Patribus Constantinopolitanis Concilij noluit præferri, imò nec coæquari quoad infallibilitatis secundum nos ultimam & prorsus consummatam prærogativam: quando Nicolaus I. scripsit, se nolle regulas atque Decreta corrumpere: quando Adrianus II. non ausus est judicare, quod possit Nicæno Concilio, & quinque cæterorum Conciliorum regulis, vel Antecessorum suorum Decretis obviare: quando Ioannes VIII. inquebat, decere se, Ecclesiæ Dei privilegium immutatum conservare, minimequæ agere contra statuta Majorum: quando Sylvester II. censuit, non esse sui Juris, falcem in alienam messem ponere: quando Gregorius VII. rescripsit, sanctam & Apostolicam Sedem in suis Decretis & Constitutionibus nunquam recedere à concordia Canonica traditionis: quando Eugenius III. negavit, contra Deum, & sacrorum Canonum sanctiones, se posse ulli omnino petitioni præbere consensum: quando denique Innocentius III. professus est, contra veritatis sententiam non posse suam auctoritatem dispensare.

75. Ex quibus proinde universis evincitur equidem, non posse Summos Pontifices Decreta Conciliorum pro libitu abrogare, & sine causâ ab ijs dispensare: eo ipso tamen, quod ipsomet Elliesio fatente, ex causâ rationabili circa Synodalia morum Decreta quoad exercitij obligationem validè ac licitè dispensent; redditur hinc consequens, Romanos Pontifices Conciliorum sanctionibus non teneri ex titulo superioritatis, Concilij erga Papam competentis, sed radicem hujusmodi obligationis altioribus niti principijs Divini & naturalis Juris, superioris expolitis,

ARGUMENTUM II. Elliesij.

76. **I**nducit secundò hic Theologus Decretum Unionis Concilij Florentini, quo statuitur: Romano Pontifici pascendi, regendi ac gubernandi universam Ecclesiam, à Domino Iesu Christo potestatem esse traditam, quemadmodum & in actis Conciliorum Oecumenicorum, & in sacris Canonibus continetur. Quæ posteriora verba græco textui conformiter, contendit, accipienda esse perinde, ac si diceretur, eam regendi potestatem competere Papæ, juxta eum modum, quod & in actis Conciliorum Oecumenicorum, & in sacris Canonibus continetur. Unde infert, eas voces restringere rationem & formam regendæ universæ Ecclesiæ; ostenderequæ, Pontificem in regendâ & pascendâ Ecclesiâ teneri Conciliorum, & Canonum auctoritatem & Decreta sequi: nec posse aliter Ecclesiam universam regere. In eadem Synodo Bessarionem Sess. 9. velut principium apud Græcos & Latinos minime controversum supponere, quod Ecclesia Romana, quantumcumque polleat facultate, minus tamen polleat Synodo Oecumenicâ & universali Ecclesiâ. Quod quidem principium à Latinis minime rejectum legi, imò in Decreto Unionis modo relato confirmatum esse, tametsi modus Ecclesiæ pascendæ & regendæ Pontifici præscriptus sit, ut fiat juxta acta veritatis, & Canones Conciliorum.

77. Nec verò dispensationes Canonum à Pontificibus olim, licet rarò concessas, superiori doctrinæ adversari: quippe cum dispensatio non sit infractio, aut violatio Legis, sed declaratio facta cum auctoritate, legem non habere locum in tali, vel tali casu; cum enim Legislator ferendo legem generalem, non possit omnes casus prævidere, necessum esse, legem non habere locum, quando præsumitur mens Legislatoris non fuisse, ut in isto casu lex obligatoria esset. Itaque in dispensationibus considerandam esse mentem Legislatoris, & eo tantum in casu dandam dispensationem, quo ipse Legislator eam concessisset. Sed quia, si permitteretur unicuique hujusmodi interpretatio legis, vel si cuivis liceret, de mente Legislatoris judicare, sub hoc obtentu leges ab omnibus infringentur; necessum fuisse, jus istud reservare ijs, qui auctoritate pollent, quibus adeò permillum esse, cum auctoritate declarare, legem non habere locum in hoc vel illo casu, & ita ab ejus observatione dispensare. In hoc enim differre interpretationem à dispensatione, quod interpretatio fiat ab eo, qui auctoritatem non habet, dispensatio verò ab eo, qui auctoritatem habet. Itaque Pontificem Romanum posse non solum interpretari legem, quod quilibet Doctor possit, sed & declarare cum auctoritate, in tali, vel tali casu, hunc, vel illum ab ea immunem esse; hoc autem non posse facere, nisi cum evidens & justa ratio suadeat, esse faciendum, cum alioquin dissipatio potius esset, quam dispensatio, uti egregie inquit Bernardus.

Respon.

Responsio ac retorsio hujus argumenti confutatoria.

76. **Primò.** Ex prædicto decreto Florentino extat manifestum, statui ibi Romano Pontifici potestatem regendi ac gubernandi universam Ecclesiam. Unde apertè evincitur auctoritas Papæ per Christum Iesum tradita supra universam Ecclesiam. Atqui Concilium quantumvis universale, quâ præcisivè saltem *cephalum*, sive quâ Corpus Hierarchicum vicario Christi Capiti contrapositum, non est majus universâ Ecclesiâ etiâ Hierarchicâ, quâ spectatâ sub præcisione sui Capitis Papæ. Quandoquidem ergo ex vi illius Florentini Decreti Papa habeat auctoritatem super universâ Ecclesiâ, sive Concilio Generali, Corpus Ecclesiæ Hierarchicum complectente, evidenter redditur hinc consequens, prædicti Decreti verba subsequenter non posse talem continere restrictionem, in vi cujus tollatur ea Papæ erga universam Ecclesiam auctoritas, nec adeo ipsi verbis exogitabilem esse restrictionem hujusmodi, quæ importet Concilij super Papam superioritatem. Quare dicendum est potius, verba subsequenter posita, & mox referenda, continere *causalem seu demonstrativam* rationem, quâ scilicet ostendatur, ea universam Ecclesiam gubernandi potestas à Decreto Florentino Papæ asserta habere fundamentum in *actis Conciliorum Oecumenicorum, & SS. Canonum*, perinde ac si diceretur, eo modo stare probatam illam Papæ respectu universæ Ecclesiæ auctoritatem, quo modo continetur in *Conciliorum Oecumenicorum, & sacrorum Canonum fundamentis.*

77. **Secundò.** Posito tamen, illa posteriora Decreti Florentini verba esse restrictiva, hæc nihilominus restrictio non potest habere locum in sensu per Elliesium efformato, ac si importaret Papæ respectu Concilij inferioritatem: cum alioquin apertè pugnarent cum ipsissimo decreto illo, quo statuitur Romano Pontifici auctoritas gubernandi ac regendi, adeoque superioritas respectu universæ Ecclesiæ, Hierarchicæ à *Capite saltem mentaliter præcisum Corpus complectentis.*

80. Quando porro Bessarion in prædicta Synodo Sess. 9. supponebat; *Ecclesiam Romanam, quantumcumque polleat facultate, minus tamen polere Synodo Oecumenicâ, & universali Ecclesiâ:* manifestè constat, in hoc principio esse sermonem de Synodo per Papæ auctoritatem reddita *formaliter* Oecumenicâ. Cujus equidem jurisdictioni *Matth. 18.* est indefinita, sed omnino compar illi, quæ *Matth. 16.* soli Papæ fuit promissa. Altera dein Synodo completè ac *integraliter simul & formaliter* Oecumenicæ competens præminentia, est consummata in fidei definitionibus infallibilitas, quæ *secundum nos in ordine ad convincendos protervos* major est Papæ extra Concilium fœcientis auctoritate. De qua proinde intelligi potest illud Bessarionis principium.

81. **Tertiò.** Sive dispensationes fiant per modum auctoritativa declarationis, sive per modum particularis & aliqualis Canonum ac Decretorum

solutionis, non nisi ex causâ proportionatâ & rationabili in casibus specialibus faciendâ: certum tamen est, talem vim dispensatoriam fundari super auctoritate, superioritatis potius prærogativam, quàm inferioritatis subjectionem importante. At ipsemet Elliesius fateri compellitur, Summo Pontifici competere in casu, quo ipsa Synodus Generalis dispensare possit, super ejusdem *Conciliaribus* legibus, seu Decretis *moralibus* auctoritatem dispensatoriam, ex causâ proportionatâ & rationabili faciendam. Ex hoc ipso igitur fundamento nullatenus licet Concilij etiam Generalis super Papa superioritatem, sive Papæ respectu Concilij inferioritatem arguere.

§. IV.

An Concilij supra Papam superioritas ex hoc evinci valeat, quod Pontifex Romanus possit à Synodo judicari & deponi.

ARGUMENTUM I. Elliesij.

82. **Argumentatur I. Elliesius.** Romanos Pontifices in errores prolabi, gravibusque ac turpibus vitijs depravari posse. Aliunde verò constare, ab Ecclesiastica communione ejiciendos, & de Episcopatu deijciendos esse illos, qui vel in fide, vel in moribus peccant. Nec unum duntaxat superesse exemplum Episcoporum Romanorum, qui à Concilij propter hæresin, ac vitia judicati, damnati, atque etiam de Sede ejecti fuerunt. Sic namque Honorium I. à VI. Synodo cum cæteris hæreticis damnatum fuisse, licet mortuum. Quod si ergo Synodus potuit mortuum Pontificem anathemate percellere, multo magis potuisse eum, si vixisset, de Episcopatu deijcere.

83. Adhæc in Concilij Pisano, Constantiensis, ac Basiliensis, ut Conciliorum Patribus est visum, Romanos Pontifices fuisse depositos, aliosque in eorum locum subrogatos, qui ab universâ Ecclesia pro legitimis habiti sint.

Responsio ac retorsio hujus argumenti confutatoria.

84. **Primò.** Quoad causam deponendi Romanos Pontifices, alia est habenda ratio errorum in fide, alia verò depravationis morum; uti patet ex *antecedentibus*, ac dicitur in *subsequentibus*. Papa equidem quoad personam suam privatam potest prolabi in hæresim, sicque fidei jacturam facere, indeque formâ *essentiali* Ecclesiæ destitutus, cum ipso factò desinat esse membrum Ecclesiæ, ipso etiam jure Divino perdit prærogativam Capitis Ecclesiæ, adeoque à Concilio declarari tunc potest, ipso jure Divino esse depositus. Posito igitur, Honorium I. incidisse in hæresim Monothelitarum, ex tunc adversus ipsum, charactere Capitis destitutum, omnino procedere potuit VI. Synodus.

85. Dum etiam stat dubietas de Papatu, neque hujus prærogativa prævalere, quò minus Papa dubius judicari possit à Concilio, in

ordine ad certum Ecclesiæ Caput præficiendum, atque hoc factum est in Concilijs Pisano & Constantiensi, non autem Basileensi; uti alias demonstratum fuit.

86. *Secundo.* Extra hos casus evidenti hæreseos, seu dubietatis de Papatu; dum quæstio est de moribus, neutiquam probare potest Elliesius, Concilio potestatem esse exautorandi, vel criminaliter judicandi Romanum Pontificem. Neque enim Concilij Italici sub Damaso epistola tertia ad Gratianum & Valentinianum destinata, & ab illo auctore hinc allata, favet ipsius intentio. Sic enim se habent hujus Epistolæ verba: *Memoratus frater Damasus, quoniam in sua causâ vestri tenet insigne iudicij, non fiat inferior, quibus, etsi æqualis est munere, prærogativâ tamen Apostolicæ Sedis excedit, ut iudicij publicis videantur esse subiecti, quibus sacerdotale Caput lex vestra submovit.* Numquid enim ex hisce verbis evidenter constat, Synodum illam agnovisse tantam Apostolicæ Sedis prærogativam, ut Episcopis, quibus munere seu caractere Episcopali esset æqualis, excelleret in tantum, ut nefas esset, ipsum fieri inferiorē, adeoque subdijudicio Episcoporum, dum ipsa etiam lex Imperatoria submoveret sacerdotale Caput à iudicij publicis, quibus merito subiecti essent Episcopi, Apostolicæ Sedis prærogativam inferiorem facere contententes? Potest equidem Summus Pontifex publicum etiam iudicium ipsorum quoque Imperatorum implorare, ad obtinendum prævalidæ defensionis brachium adversus obtrectatores iniquos, ac dignitatis suæ invalores; quod fuisse cognoscitur Damasus, & obtinuisse, ut in sua causa Imperatorij teneret insigne iudicij. Potest etiam in hunc finem pro sui defensione compellere Synodum Episcoporum, seque ipsum dare iudicij Sacerdotum ad pensandam morum rationem. Quod Majorum etiam exemplo in cit. Epist. 3. firmatur, dum ibidem dicitur, *Episcopum Romanum, si Concilio ejus causa (ad præpotentem defensionem) non creditur, posse se apud Concilium Imperiale defendere: quemadmodum Sylvester Papa à sacrilegis accusatus; apud Constantinum Imperatorem sit prosecutus causam propriam.* Nunquid ergo dicere fas est, hos Pontifices ex jure subjectionis, vel potius ex causa defensionis, implorasse brachium præpotens Imperialis Concilij?

ARGUMENTUM II. Elliesij.

87. ARGUMENTATUR *secundò* iste Theologus. Rationa quidem apud Antiquos extare exempla, quibus constat, Romanos Pontifices ex causâ morum fuisse iudicatos à Concilijs, quia tunc temporis ad Episcopatum Romanum ij tantum promovebantur, quorum integra erat vita, moresque probati. Nihilominus tamen, cum aliquid in ijs reprehensione dignum erat, ceteros Episcopos Pauli Apostoli libertatem fuisse imitatos, qui Petrum minus rectè ad Evangelij veritatem ambulantem reprehendit. Sic ad Symmachi, qui quorundam accusabatur criminum, causam iudicandam, Regem Theodoricum in-

dixisse Synodum Italiæ: quâ quidem in Synodo causam Symmachi esse ventilatam, sed cum deficerent probationes, Concilium iudicasse, eum, quantum ad homines, immunem & liberum esse ab objectis criminibus. Verum equidem esse, fuisse tum nonnullos, qui existimarent, Synodum Italorum Episcoporum, utpote minorum & inferiorum Pontifice Romano, non habere de eo iudicandi potestatem. Ita ipsam Synodum initio Theodorico Regi duo suggessisse, quorum alterum erat, debuisse Synodum ab ipso Pontifice convocari; alterum erat, Romanum Pontificem nunquam subiacuisse Minorum iudicio. Et licet aliqui Minorum nomine intelligant laicos iudices, malle tamen se bonâ fide fateri, quod Synodus illa Minorum nomine intellexerit Episcopos: at cum Theodoricus affirmasset, Synodum celebrari consensu Romani Pontificis, causam ejus ibi fuisse ventilatam, Deoque dimissam, non ob defectum potestatis, sed ab defectum probationum.

Responsio ac retorsio hujus argumenti confutatoria.

INPRIMIS constat ex ipsomet adversario, Synodum illam duo supposuisse principia, quorum alterum erat, *Synodi convocationem subsistere non posse, nisi ex auctoritate Pontificis*, alterum erat, *Romanum Pontificem nunquam subiacuisse iudicio Minorum, id est, Episcoporum Papæ inferiorum.* Et si proinde ipsomet Symmachus Romanus Episcopus consensu suo suppleverit defectum auctoritativæ Concilij convocationis, sicque permiserit, causam suam ibi ventilari, non jam ex titulo superioritatis, sed voluntariæ permissionis, ipsa tamen Synodus hunc Pontificem dimittendo Divino iudicio, professâ est ipso facto defectum iudiciariæ erga Papam potestatis; cum, si hæc in se cognovisset, defensionibus probationibus, ipsum ex naturâ iudicij episcopali: absolvere debuisset, non remittere: vinum, & conscientiam iudicium. Annodius Synodi illius mentem explicans, sic ait in *Apologitico*: *Aliorum fortè hominum causas Deus voluerit per homines terminare, Sedis verò Apostolicæ Presulem suo sine quaestione reservavit arbitrio.* Cui egregiè consonat, quod Adrianus II. in Epist. intra Synodi VIII. actionem 7. lectâ scripserat: *Licet, iniquis, Honorio ab Orientalibus anathema sit dictum, sciendum tamen est, quia super hæresi accusatus fuerat, propter quam solùm licitum est Minoribus, Majorum suorum moribus resistere, vel pravos sensus liberè respicere.* Unde ipsomet Elliesius fateri compellitur, jam antiquitus fuisse persuasionem (licet eam vanam variè dicat) Romanum Episcopum iudicari non posse à Concilio propter mores, subditque, sufficere sibi, quod propter fidem deponi possit. Quare dum agitur de moribus pravis Romani Pontificis, correctioni equidem Evangelicæ & fraternæ erga Papam locus esse potest, non autem virgæ iudicialiter coercitivæ, sicut etiam Paulus Apostolus Petrum non de aliquo veritatis Evangelicæ defectu, nec de mortifero quo-

ro quopiam reatu, sed de Gentilium ad fidem converforum ad grave Legalium jugum exemplis suis inductione indicet, ac venialiter duntaxat culpabili, fraternè cortipuit.

Sed pergit pro secundo Ellicius suam de Romanis Pontificibus propter corruptos mores per Concilia depositis thesin probare ab exemplo Ioannis XII. à Romano Concilio dejecti, ac Leonis IV. (verius dixisset Leonis VIII.) in eius locum subrogati. Addit idem auctor, Baronium quidem suscepisse Ioannis patrocinium, sed meritò esse rejiciendum, cum in hoc sit contrarius communibus Scriptorum suffragijs, quibus Leo Papa agnoscitur fuisse legitimus Pontifex. Verùm libenter damus Ellicio, Leonem VIII. esse reputandum inter legitimos Pontifices, cum illorum temporum Scriptores uno animo & ore istum agnovisse verum Papam, ipsimet quoque Baronius testetur, constetque ex varijs Bullis Pontificijs, reliquos etiam Pontifices vocasse eundem Prædecessorem suum, adeoque inter legitimos censuisse Papas. Imò Baronius Anno 1049. Brunonem Tulliensium Episcopum ad summam Sedem evectum appellans Leonem IX. tacitè inter legitimos Papas ponit Leonem VIII. quem in serie Romanorum Pontificum locat etiam catalogus Romæ, & postea Augusta Vindelicorum Anno 1623. exculus, in quo peculiariter notandum venit, unicum cum mensibus aliquot assignari annum Pontificatus ipsius, quem tamen anno 963. electum, testatur Baronius, obiisse diem anno 965. Unde patet Leonis VIII. annum primum in dictâ Romanâ tabulâ non computari in ipsius Pontificatu, sed huius initium peti ab anno 964. quando Joannes XII. jam erat defunctus. Quibus ita constitutis, evidenter constat, ea, quæ in Cœtu Episcoporum Romæ gesta fuerant adversus Joannem XII. ita pro nullis & irritis habita fuisse, ut tamen subsistat, quòd Leo VIII. ex post facto meritò sit computatus inter legitimos Summos Pontifices: sicque omnimodè evanescit vigor argumenti Elliciani ex Concilio Romano adversus Joannem XII. nulliter decernente petiti.

ARGUMENTUM III. Ellicij.

90. Hic Auctor adducit tertio sententiam à Concilio Lateranensi anno 1112. celebrato in Paschalem II. latam, quâ, uti ait, tum Pontificis illius sententia de investituris est rescissa, tum ipse Pontifex à Synodo emendatus, & ad fidei professionem emittendam impulsus. Hinc ergo inducitur, se correctioni Concilij subjecisse his verbis: Porro scriptum illud, quòd magnis necessitatibus coactus, non pro vita mea, non pro salute & gloria, sed pro solis Ecclesie necessitatibus sine fratrum consilio, aut substriptionibus feci, super quo nullâ conditione, nullâ promissione constringimur, sicut pravè factum cognosco, ita pravè factum confiteor, & omnino corrigi, Deo præstante, desidero. Cujus correctionis modum fratrum, qui convenerunt, consilio, judicijque consensu, ne forte per hoc impostum detrimentum atiquod Ecclesie, aut animæ meæ præjudicium relinquatur. Quibus à Paschale dictis, subiungit

Ellicius sequentia. Nempe communi omnium favore laudatum est, ut Fratres omnes, qui donum à Deo sapientiæ, scientiæque perceperant, maturius super hoc consilium communi collatione susceperent, quid sequenti die per inspirationem Spiritus sancti sponderent. Die itaque sextâ, quæ & ultima Concilij fuit, fidei suæ veritatem sanctis Patribus per omnia congruentem, Dominus Papa Paschalis in audientiâ Concilij totius exposuit, asserens, se Scripturas sanctas Veteris & Novi Testamenti, & Concilia universalia veneranda suscipere, decreta Romanorum Pontificum, ac præcipue decreta Domini Papæ Gregorij, & B. Mem. Papæ Urbani. Quæ cum se probare, & semper probaturum esse, professus esset, in calce professionis Engolismensis Gerardus hanc scriptis sententiam recitavit: privilegium illud, quòd non est privilegium, sed pravilegium, pro libertate captivorum & Ecclesie, à Domino Papa Paschali per violentiam Henrici Regis extortum, nos omnes in hoc Concilio cum eodem Papâ congregati, canonicâ censurâ, & Ecclesiasticâ auctoritate iudicio sancti Spiritus damnamus, & irritum esse judicamus, & omnino cassamus. Ex quibus prædictis Theologus Parisiensis infert sequentia, tum quòd Pontifex errare possit, tum quòd error ipsius corrigatur ac emendetur à Concilio: tum quòd modus correctio ipsi præscribatur à Concilio: tum quòd Pontifex se purget coram Concilio, fideique professionem sui purgandi causâ, emitat: tum denique quòd error Pontificis à Concilio damnetur & rejiciatur.

Responsio ac retorsio huius argumenti confutatoria.

91. Haud negamus, Pontificem, quando non ex cathedrâ, sed per vim ac metum quippiâ æquitati ac Religioni dissonum agere compellitur, errare posse: sed punctum questionis tunc in eo se tenet: An Concilij iudicio extra causam hæreses, ex re perperam factâ subjiciatur? Quod ex prædicto exemplo minimè evinci, mox ostendimus.

92. Primo igitur anno Incarnationis Domini cæ 1112. 5. Calendas Aprilis celebrata est Synodus Lateranensis à Domino Paschali Papa in Basilica Constantiniana. Intrâ quam Synodum die 5. idem Pontifex narravit omnibus, qualiter ab Henrico Teutonicorum Rege cum Episcopis quibusdam, & Cardinalibus tam Presbyteris, quam Diaconibus, & cum magnâ tam Romanorum, quam aliorum, qui tunc secum convenerant, multitudine captus fuerit: quodque coactus sit contra deliberationem suam pro redemptione captivorum, pro pace populi, pro liberatione Ecclesie, ut supradicto Regi de investituris, quas sæpius prohibuerat, scriptum concessionis daret, & iuramenta per Episcopos seu Cardinales fieri præceperit, quatenus nec de investituris deinceps cum inquietaret, nec in personam Regis anathema poneret; veluti hæc à Baronio recensita, sed ab Ellicio prætermissa sunt. Ex quibus proinde constat manifestè, illud Concilium Lateranense auctoritate Summi Pontificis aggregatum, sub ejusdem caractere

Ecc

re Chri-

re Christi vicario suum obtinuisse vigorem. In hac ergo Synodo Papa privilegium vi & metu à se extortum, eo sine recensuit, ut de congruo remedio provideretur à Concilio non jam *acephalo*, sed per suum characterem auctorizato, in quo proinde res gesta fuit, uti in argumento Elliesij enarratur, sed perperam traducitur, ac si Papa ille Synodi iudicio sese subiecisset.

93. *Secundò* igitur ex illo Paschalis facto aliud non evincitur, nisi quòd Pontifex ille privilegij à se per vim ac metum extorti nullitatem commiserit Concilio non *acephalo*, nec sibi contraposto, sed per suam auctoritatem firmato, secumque consentienti, ad abolendum, & nullitatis coarguendum, & condemnandù privilegium inique obtentum à Rege Teutonicorum. Cùm proinde Papaid, quod ceu persona privata extra Cathedræ Apostolicæ spheram concesserat, ita remiserit ad Synodum suo characterè insignitam, ut ipsemet Papacum Concilio fuerit iudex *authoritative* rescindens illud privilegium, haudquaquam hinc inferre licet Concilij super Papam superioritatem. Et licet is Pontifex se solo *ex sua Christi Vicariâ potestate supremâ* hoc facere potuisset; attamen quia ad confringendam Henrici Regis Teutonicorum proterviam, malignorumque calumnias retundendas, id minime suffecisset, ideo meritò confugit ad extremum illud Ecclesiæ medium *Math. 18.* ab ipsomet Christo constitutum, ut Duo, scilicet Papa Christi vicarium gerens characterem, unâ & Prælati Ecclesiastici sub hoc nomine congregati ferrent sententiam rescissoriam privilegij illius in publicum S. Ecclesiæ dampnum emerfuri. In cuiusmodi aded illorum Duorum, Papæ & Concilij auctoritativo consensu, tametsi subsit prærogativa majoris quoad nos, in ordine præcipuè ad protervos convincendos, infallibilitatis: ex hac tamen majoritate minime evinci Concilij super Papam superioritatem, antehac fuit multimodè probatum. Et hinc jam univèrsa evanescunt corollaria, quæ in fine sui argumenti subintulit Elliesius.

94. Sed quid pro *tertio* hic Theologus probare nititur ex Concilio VIII. sequenti canone 21. ita se habente. *Si quis tantâ efferatus audaciâ, quemadmodum Photius & Dioscorus, sive scripto, sive sine scripto insanas quasdam contra Cathedrâ Coriphæi Apostolorum Petri audeat jactare, eandem atque illi sententiam damnationis subeat. Si quâ verò Oecumenica collectâ Synodo, de Romana etiam Ecclesiâ controversia extiterit, licebit cum decenti reverentia de proposita questione veneranter percontari, responsumque admittere, & sive juvari, sive juvare, non tamen impudenter contra senioris Romæ Pontificem sententiam dicere. Quem proinde Canonem Elliesius discutiendo negat, verbis postremis à Synodo VII. adimi Concilio potestatem judicandi de Episcopo Romano, utpote verbis præcedentibus jam concessam, sed caveri, ait, ne impudenter & audaciter privati Episcopi, quales erant Photius & Dioscorus, sententiam in Pontificem dicant. Verùm quâ ratione fas erat Elliesio, Canonis illius verba priora detorquere, ac si Synodus VIII. sub il-*

lis fecisset Concilio potestatem judicandi de Episcopo Romano, cùm tamen ijs verbis aliud non contineatur, nisi ut damnationis sententiæ obnoxij sint, qui insanas contra Apostolicam Petri Cathedrâ audent jactare? Et quia in verbis posterioribus, dum intrâ Oecumenicam Synodum oritur controversia de Romana Ecclesiâ, plus non conceditur, nisi ut liceat veneranter percontari, & juxta causæ statum seu juvare Romanam Ecclesiâ, seu ab hac juvari, quomodò hinc potuit fieri illatio, ac si Synodus illa VIII. judicariam super Romano Pontifice potestatem, Concilio Oecumenico attribuisset? Si verba Canonis sincerè ac integrè expendantur, in aperto est, ita inter se conferri, quòd circa Romanam Ecclesiâ veneranter liceat percontari ad effectum juvandi, ut si ulterius procedatur ad ferendam sententiam adversus Romanum Pontificem, id redarguatur impudentiâ, quæ tamen procal abesset, si Concilium etiam *acephalum*, nec dicam Oecumenicum, haberet super Papâ superioritatem.

Caput V.

Refelluntur Exceptiones Elliesianæ oppositæ nonnullis argumentis, quibus probatur Papæ super Ecclesiâ, seu Concilium *acephalum* superioritas.

POTiora hujus instituti argumenta hic præmittuntur ab Elliesio, ejusque proinde exceptionibus haud eliduntur, sed intacta relinquuntur in suo vigore. Ad cuiusmodi aded fortiores probationes in antecedentibus politas Lectorem remittimus.

S. I.

Eliduntur exceptiones Elliesij oppositæ S. Scripturæ textibus ex Luca 12. & Ioan. ultimo desumptis.

AD Papæ super Ecclesiâ seu Concilio *acephalo* superioritatem ostendendam, inducit Bellarminus sequentem ex Luca 12. cap. textum Evangelicum; *Quis putas, est fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam? Hunc enim locum intelligunt Patres etiam de Pontifice Romano, juxta sententiam Hilarij Diaconi in commentarijs Epistolarum Pauli, Rectorem Ecclesiæ, seu Domus Dei, esse Romanum Pontificem. Sicut enim Episcopi particulares sunt Oeconomi in suis Ecclesijs, ita Episcopus Romanus est oeconomus Summus in univèrsa Ecclesiâ. Quemadmodum igitur Episcopus ita est super familiam suam, ut non possit ab eo judicari & puniri, sed à solo direttore Domino, sic pariter sentiendum est de Romano Pontifice respectu Universalis Ecclesiæ.*

Exceptio Elliesij.

Excipit hic Auctor primò. Præfactâ S. Scripturæ verba non intelligi de solo Romano

Pontifice, sed de omnibus Episcopis Pasto-
ribus, imò cunctis Christianis, uti tradunt Pa-
tres ab Elliesio allegati. *Secundò* ex illo textu,
quatenus accommodatur Romano Pontifici,
si de universâ intelligatur Ecclesiâ, non aliud
evinci, nisi quòd Papæ sit cura generalis toti-
us Ecclesiæ, competens illi ob Primatum.
Quare Pontificem Romanum non eatenus esse
Oeconomum universæ Ecclesiæ, ut super hac
obtineat quandam superioritatis prærogati-
vam, sed generalem duntaxat inspectionem.

Refutatio istarum Exceptionum.

4. Quis negare ausit, cui claves Regni Cæ-
lorum, id est, Ecclesiæ, commisit Chri-
stus, esse illum servum, quem constituit Do-
minus super familiam suam? Quis autem rur-
sus neget, hanc Domini familiam esse ipsissi-
mam Ecclesiam universalem, cujus ex diserto
Christi verbo Deus Pater, unâ & Christus e-
jusdem Filius est Paterfamilias? Quantumvis
ergo ille textus Evangelicus rectè accipiatur
non de solo Romano Pontifice, sed de omni-
bus Episcopis & Pastoribus, imò *proportionali-
ter* de omnibus Christianis, negari tamen ne-
quaquam potest, in sensu Literali intelligi et-
iam de Romano Pontifice, quâ Ecclesiæ cla-
vem obtinente, cum *indefinitè* ligandi & sol-
vendi potestate. Quare Papa ita est Oecon-
omus universæ Ecclesiæ, seu Familiæ Dei &
Christi, ut, quam habet super eâ inspectionem,
sit etiam jurisdictionis Christi vicariæ. Meri-
tò igitur requiretur ab eo in iudicio Divino,
an se habuerit tanquam fidelis servus & pru-
dens, quem constituit Dominus super fami-
liam suam? At illa vox *Tò super* importat su-
perioritatem jurisdictionis quoque Oecume-
nicæ, Regni Cælorum clavibus signatæ.
Consequens igitur est, ex illo sacro textu Ro-
manum Pontificem ita esse *super* Ecclesiam, seu
Concilium *acephalum*, ut huic nullatenus pos-
sit *strictè* loquendo esse subiectus, ejusve subd-
iudicio.

Argumentum II. ex Ioannis Ultima
petitum.

5. Vbi Christus Petrum ita alloquitur: *Pasce
oves meas.* Constat autem, inquit Bel-
larminus, Pastorem ita præesse ovibus, ut
nullo modo ab eis judicari possit.

Exceptio Elliesiana.

6. Excipit hic Theologus *primò*. Hunc tex-
tum Evangelicum intelligendum esse de
omnibus Ecclesiasticis Pastoribus, juxta illud
1. Petri 5. Pascite, qui in vobis est, Gregem Dei;
ad stipulanturque Ambrosius *de dignit. Sacer-*
dot. cap. 2. & Chrysostomus *homil. 79. in Matth.*
Sicuti ergo ex illo sacro textu inferre mini-
mè licet, Pastores universos Ecclesiæ iudicio
non esse subiectos, sic nec inde concluditur,
Petrum, ejusque successorem Romanum
Pontificem, ab Ecclesia judicari non posse;
maximè quòd Christus illis verbis noluerit

aliud significare, quam Verbi Divini pabulo
fideles ceu oves & agnos suos esse nutriendos
à Petro. *Secundò*. Bellarminum in argumen-
tis suis perpetuâ laborare fallaciâ, dum no-
mina *Dispensatoris, Pastoris, & Capitis* supponit,
eodem modo convenire Petro ac Chri-
sto, cum tamen ex Gregorij I. Sixti III. &
Ioannis VIII. sensu, Romanus Pontifex non
alio modo sit Caput Ecclesiæ, nisi quatenus est
primum ejus membrum, indigens ab universo
etiam Corpore sustentari, ne firmitatem amittat.
Et, si contingat, tale Caput aliquando fieri
morbidum, censuisse Turonense Concilium
*Can. 13. melius esse, ut Caput hujusmodi, si curari
non potest, amputetur, quam grex per eundem infi-*
ciatur.

Refutatio istarum exceptionum.

7. *Primò*. Sicut Episcopi & Pastores Ecclesiæ
universæ *secundùm partem solitudinis Pasto-*
ralis, à Papa saltem mediâtè in ipsos derivatæ,
participiant de munere pascendi oves Christi,
sic eisdem *proportionaliter* accommodare licet
præallegata Christi Domini verba. At nulli
præter Petrum cum ordine successione *indefi-*
nitè dictum fuit à Christo; *Pasce oves meas.*

Nec excipere licet, oves Christi universas
non tam *collectivè*, prout sub uno Pastore Oe-
cumenico Pontifice Romano, ceu visibili Ca-
pite suo, constituunt unam Ecclesiam, sed *di-*
tributivè duntaxat esse commissas pastorali Pe-
tri Cathedræ. Nam illa ex Ioannis ultimo de-
sumpta Christi verba ad effectum deducebant,
quòd *Matth. 16.* fuerat promissum de clavibus
Regni Cælorum committendis Petro, ejus-
que Cathedræ Apostolicæ usque in sæculi finem
duraturæ, ceu Petræ, super quam ædificaretur
Ecclesia. Unde manifestum redditur, præal-
legata Domini verba respicere *indefinitè* oves
Christi non tantùm *distributivè*, sed sub univer-
sali collectione, Ecclesiæ Catholicæ constitu-
tivâ. Et hinc Romanus Pontifex in Concilio
Chalcedonensi vocatur *Ecclesiæ universalis Pon-*
tifex, & Caput universalis Ecclesiæ. Similia habet
sæc. 6. Oecumenica Synodus 18. actione dicendo,
quòd *primæ Sedis Antistes sit universalis Ecclesiæ,*
stans supra firmam fidem Petram. Et hinc Con-
cilium Lugdunenle sub Gregorio X. statuit,
quòd Romana Ecclesia obtineat principatum
super universam Ecclesiam Catholicam. Quis
ergo dicere ausit, principatum hanc non esse
superiorem Ecclesiâ universâ, ejusque repræ-
sentativo Concilio *acephalicè* spectato, sed
huic subditum esse Summum Pontificem?
Constat igitur, ex illo textu Evangelico,
Pasce oves meas, collato cum verbis *Matth. 16.*
ad Petrum prolatis, omninò evinci; Papam
non esse inferiorem Concilio, præsertim *ace-*
phalicè sumpto.

Secundò. Veritati consona non est imputa-
tio Bellarmino facta, ac si perpetuâ laboraret
fallaciâ, supponendo nomina *Dispensatoris, Pastoris,*
& Capitis eodem modo convenire Petro ac Christo.
Huic enim competit, esse primarium & princi-
pale seu absolutum Ecclesiæ Caput, atque Pa-
storem, Sacramentorumque, & gratiarum Di-
spensatorem: illi verò convenit, esse Ecclesiæ
Ecc 2
dun-

toritas
Bellar
italian
VI

potestatem
cum tamen
in infan-
ram auct-
fioribus,
ortur con-
non conce-
nari, & ju-
manam Ec-
o hinc pon-
III. judic-
estatem, Co-
Si verba Ca-
tur, in ap-
ad circa Ro-
eat perenni-
procedatur
Romanum Pon-
cedentia, que
eniam accep-
haberet super
out V.
ptiones Ellies-
gumentis, quib-
uper Ecclesiam,
acephalum su-
ioritas.
trui argumen-
elliesio, epus-
eliduntur, sed
gore. Ad cap-
es in antecede-
imus.
I.
Elliesij opposi-
Lucæ 12. & Ioh-
desumptis.
eclesia seu Con-
rem ostendend-
quentem ex Luc-
; Quis pascit, et
nstruit Domini
entium locum
fice Romano, ju-
ni in commentar-
m Ecclesiæ, seu
Pontificem. Sec-
sunt Oeconomi
Romanus est
la Ecclesia. Quo-
us ita est super-
fit ab eo judicari
re Domino, sic
Romano Pontifi-
eclesiæ.
Elliesij.
imò. Præcæd-
elligi de solo Roman-
Pape.

duntaxat militantis, in terris visibile Caput Christi vicarium, ei que subordinatum, minus adeo principale, ac secundarium, ita obtinens primi intrâ Ecclesiam membri prærogativam, ut tamen indigeat ab universo Corpore sustentari, ne firmitatem suam amittat: quæ sustentatio subsistit singulariter, dum ejus sententiæ rerum fidei decretoriæ accedit consensus Concilij Generalis, ut sic ex Duorum, Papæ Christum vicariè representantis, & consensu Ecclesiæ intrâ Concilium representatæ, omnimoda & consummata obtineatur dogmaticæ sanctionis firmitas.

9. Quod Elliesius allegavit ex Concilij Turonensis Canone 3. in nullâ hujus nominis Synodorum editionis Parisiensis reperitum est. Facile tamen concedo, si caput cujuspiam Diœcesis respectivum & limitatum, nempe Episcopus, non Universale & Oecumenicum, in moribus etiam curari non posset, melius esse, ut amputetur, quam ut grex per eundem inficiatur, quod tamen de Oecumenico universalis Ecclesiæ Capite dici non potest, nisi in ipsa fide defecerit, sicque hæresin incurrans, ipso jure Divino jam desierit esse membrum, adeoque Caput Ecclesiæ; uti patet ex antecedentibus.

S. II.

Eliduntur Elliesiana exceptiones oppositæ ulterioribus quibusdam argumentis, Papæ super Concilio acephalicè sumpto superioritatem ostendentibus.

ARGUMENTUM I.

10. EX parte nostra inducitur primò, tum ex eo, quòd in Concilio Chalcedonensi Pontifex semper nominetur ante Concilium. Tum ex eo, quòd ad Summos Pontifices à judicij Episcoporum, & Synodorum semper fuerit provocatum.

Exceptiones Elliesianæ.

11. EXcipit primò Elliesius. Consuetudinem e quidem esse, ut, cum societas aliqua scribit litteras, ijs præmittatur nomen primi Societatis membri, seu Capitis, quemadmodum Rectoris nomen præponitur Universitati, & Decani nomen Facultati, aut Capitulo. neminem tamen hinc inferre, Rectorem Universitate integrâ, aut Decanum Facultate, & Capitulo superiorem esse.
12. Secundò. Jus provocationis Romano Pontifici jure Divino non competere, nec olim illud esse ab omnibus admissum: imò multis in locis vetitum fuisse, ne provocatio ad eum fieret. Quinimò nanquã ad eum fuisse provocatum post Synodi Generalis judicium, cum econtra post judicium Summi Pontificis sit sæpe provocatum ad Synodum Generalem. Unde argumentum ab appellationibus petitarum facile retorqueri in Adversarios. Verùm dato etiam, quòd appellationum ad Papam solemnium olim usus fuerit, inde probari solummodò Pontificem superiorem esse singulis Episcopis, Synodumque Romanam habe-

re cæteris Synodis Provincialibus majorem potestatem, quòd ad propositam quæstionem minimè pertinere.

Refutatio istarum exceptionum.

PRIMò. Uti que non tam littera, quam ratio attendenda est, cur Summus Pontifex in Concilij Oecumenicis nominari soleat ante Concilium. Hujus autem ratio desumitur ex hoc, quòd Concilij Oecumenici forma substantialis consistat ex nomine Christi vicario, Papæ proprio. Sicuti ergo anima præminet corpori seu forma illius substantialiter perfectiva: sic præinsinuata Romani Pontificis præminencia in Concilio Oecumenico subsistit ex præfatio Christi vicario caractere, seu formâ substantiali.

Secundò. Illo ipso jure competit Summo Pontifici jus ultimati judicij in causis Ecclesiasticis, ex quo jure obtinet claves Ecclesiæ cum indefinitâ ligandi, & solvendi autoritate. At ea clavium potestas, & jurisdictio illimitata intrâ Ecclesiam competit Papæ ex jure Divino: nec adeò ab ullis Catholicæ fidei Professoribus potuit jus illud non fuisse admissum, licet in ejus usu per indulgentiam Romanorum Pontificum varia facta fuerit moderatio, ne à quibuslibet in provincijs remotioribus quavis de causâ fieret provocatio ad Cathedralæ Apostolicæ tribunal; uti alibi dicitur. Post Summi Pontificis judicium interponebatur quandoque provocatio ad Synodum Generalem non Acephalam, sed Pontificio Christi vicario caractere insignitam, non ideo, quòd in hac esset majoritas jurisdictionis, sed quòd nos in ordine ad protervas præsertim convincendos, major, seu magis convincens, inde obtineretur credibilitatis evidentia; uti in anterioribus fuit demonstratum. Et quia clavium autoritas in Romano Pontifice unâ cum Petræ firmitate non respicit singulos duntaxat Episcopos, sed universalem Ecclesiam, ideo in vi hujus autoritatis omninò dicendus est Papa superior non singulis duntaxat Episcopis, sed quavis etiam Generali Synodo Acephalicè spectatâ.

ARGUMENTUM II.

EX parte nostra licet secundò argumentari Concilia Generalia fuerunt semper convocata & confirmata per Romanos Pontifices, qui non modò ijs præsidebant, sed & suam rerum in illis tenebant. At illi sunt Concilio Generali Superiores, quorum est, primam convocare Concilium Generale, deinde ei convocato præesse, & cuncta in eo moderari, ac demum, sine quorum confirmatione Synodi decreta vim non haberent. Quia igitur hæc omnia competunt Romanis Pontificibus, consequens est, ipsos Superiores esse Concilio Generali.

Exceptio Elliesiana.

EXcipit primò Elliesius. Nullam esse legem sive Divinam, sive Ecclesiasticam, quâ pronuntiantur irrita, & nullius roboris esse Con-

Concilia Generalia, aut ab alijs, quàm à Romanis Pontificibus convocata, aut quibus alij, quàm Romani Pontifices præfuerint, aut quæ ab ipsis specialiter non fuerint confirmata.

Secundo. Octo priora Concilia Generalia ab Imperatoribus esse convocata, nullum à Romano Pontifice. Quædam ex ijs, etiam invitit, aut ignorantibus Romanis Pontificibus, celebrata fuisse. Porro tribus primis Synodis Generalibus, nec non Sardicensi Concilio, non præfuisse Romanos Pontifices, sed alios Episcopos. Demum quædam Concilia Generalia non fuisse à Pontificibus confirmata, aut approbata: ea verò, quæ ipsi approbârunt, non ita approbâsse, quasi ea nullum sinè hujusmodi approbatione robur haberent, sed tantum illos consensisse ijs, quæ à Concilio fuerant facta & decreta, ejusque judicio adhæsisse.

Tertio. Etiam si convocatio Synodorum Generalium earum confirmatio, atque in ipsis præsidencia necessariò competeret Romano Pontifici, non propterea dicendum fore superiorè Concilio Generali; tum quia necesse non est, ut, qui convocat aliquem Cætum, eo convocato, sit superior universo Cætu: imò verò ordinariè, qui cætum aliquem convocat, eo inferior, ejusque Decretis parere debet, alioquin quid opus esset, Cætum congregare. Idem proinde judicium est de Concilio, tum quia non est necessum, cum, qui primum in aliquo cætu locum obtinet, universo Cætu superiorem esse, sed sufficit, ut sit primus in cætu, ut debeat illi præsidencia, alioquin dicendum esset, nullam esse societatem, cujus præsidens non esset universa Societas superior, quod est absurdum. Porro in antiquis Concilijs licet præfuerit Papa, cujus licitum erat, deliberanda proponere. Sed etiam, si Præsidens esset rerum gerendarum moderator, non tamen esset propterea superioris auctoritatis universo Cætu. Denique ponatur consensus legitimi Pontificis necessarius esse ad robur dandum decretis Synodi Generalis, non tamen inde sequitur, Pontificem esse Concilio superiorem, sicut licet ad firmitatem Senatûs consulti requiratur Præsidis subscriptio, non licet inde inferre, Præsidem universo Senatu esse superiorem.

Refutatio istarum Exceptionum.

19. Primò. Num ex ratione Concilium Generale pronuntiarî potest, alicujus esse valoris & roboris, si in ipso deficiat forma substantialis, per ipsummet Christum *Matth. 18. v. 20.* constituta sub hisce verbis: *Vbi duo, vel tres fuerint congregati in nomine meo, illic sum in medio eorum?* Hunc enim sacrum textum de Concilio Oecumenico intelligunt Concilium Chalcedonense in *Epist. ad Leonem, quæ est post finem 3. actionis ejusdem Concilij.* Et Synodus *VI. actione 17.* At congregari in nomine Christi, perinde est, ac congregari auctoritate Christi, conformiter sacris Litteris *Marci ultimo,* ubi Christus aiebat: *In nomine meo demonia ejicient, & Iohan. 5. Ego veni in nomine Patris*

mei. Item *Matth. 7. Nonne in nomine tuo prophetavimus?* Sicuti ergo in his textibus Evangelicis perinde sonat, aliquid fieri nomine Christi, ac fieri auctoritate Christi: sic quatenus Concilia Oecumenica ex instituto Christi debent, esse congregata in nomine Christi, eatenus oportet, esse convocata, & congregata auctoritate Christi, atque adeo ejus mandato, qui obtinet Christi vicariam auctoritatem, qui est solus Papa: utpote cui pro perpetuo Ecclesiæ statu Christus Dominus unice demandavit Regni cælorum seu Ecclesiæ suæ claves, illum constituendo Pastorem universarum ovium suarum.

Ad quod melius intelligendum, pro *secundo* discernere lubeat inter duplicem modum, quo aliquid dicatur fieri in nomine Christi. Nempe aliquid fieri potest in nomine Christi quasi *objectivè*, ita ut fiat propter Christum seu finem, & objectum motivum ex ipsius Spiritu ipsum audiendi in verbo Dei. Deinde aliud fieri potest in nomine Christi quasi *subjectivè*, ita ut Christi auctoritas quasi vicaria inexistat illi, qui in nomine Christi operatur. At Christus voluit Concilium congregari in nomine suo, ut *illic in medio illorum* esset, non utique personaliter, sed quoad suam vicariam in terris relictam auctoritatem, *subjectivè* ad eodè substitutam in Concilio Oecumenico. Hæc enim Christi nominis in Concilio subsistentia non est secundum invisibilem duntaxat gratiæ influxum, sed secundum auctoritatem visibilem, propter quam instar Ethnicæ & publicani *visibiliter & publicè* habendus est, qui Ecclesiâ in Concilio Oecumenico representatam non audierit. Imò Christus suæ & Patris Æterni per gratiam assistentiæ Concilio Oecumenico reponisse causam & rationem reducit in hoc, quod ipse in medio Concilij *Nomine suo* coadunati subsistat. Hæc igitur auctoritatis Christum *vicariè & visibiliter* representantis, intra Concilium assistentiæ seu causæ, juxta sancti Evangelij contextum, prior esse debet, quam ut ejusdem & Patris Æterni per gratiam assistentiæ sit effectum suum sortitura. Quandoquidem igitur vicaria Christi auctoritas soli Papæ competens, sit forma per Christum constituta, per quam Concilium Oecumenicum convocari & subsistere debeat, aperte hinc evincitur, ipso jure Divino irrita fore, & nullius roboris Concilia Generalia, si vel ab alijs, quàm à Romanis Pontificibus fuerint convocata, vel Papa, ejusve Legatus non præfuerit.

Et quia pro *tertio* Christus loco citato aperte verbis asseruit, cujuscunque rei, sive veritatis à Concilio Oecumenico expente effectum non aliter obtentum iri, nisi Duo, nempe Caput vicarium Christi characterè præferens, & Prælatorum Ecclesiasticorum *Nomine Christi* facta aggregatio, consenserint, evidenter hinc quoque inferitur, tamen tota Ecclesiasticorum Antistitum aggregatio concorditer definiret aliquod dogma, infallibilitatem Divinæ veritatis ex Christo, ejusque Patre Æterno non prius superventuram, nisi decreto

¶ c c ;

Epis-

Episcoporum accedat auctoritativus consensus Papæ, nomen Christi vicarium præferens: meritoque proinde dicitur nullius roboris quoad omnimodam infalibilitatis firmitatem fore Decretum Concilij, quantumvis Generalis, nisi à Papa confirmatum fuerit.

22. *Quartò.* Sed quo veritatis fundamento dicitur: *Priora Concilia Generalia non à Romano Pontifice, sed ab Imperatoribus esse convocata, ac tribus primis non præfuisse Romanos Pontifices, sed alios Episcopos, neque à Pontificibus olim confirmata fuisse Concilia Generalia?* Hoc triplicatum Elliesij estatum à vero aberrare, mox ostenditur. Inprimis igitur legimus de Concilio Nicæno in 6. Synodo, actione 8. Constantinum & Sylvestrum apud Nicæam congregasse magnam Synodum. Damasus quoque scribit in Pontificali, cum Sylvestri consensu habitum esse in Nicæa Concilium. Quo autem discrimine Pontifex & Imperator concurrerint in congregandâ illâ Oecumenicâ Synodo, pandit Rufinus lib. 10. cap. 1. asserens, Constantinum ex sententia Sacerdotum indixisse Concilium. Unde evincitur, Imperatorem non tam jus statuendi indictionem Concilij, quam ejus duntaxat executionem ex sententia Sacerdotum, Pontificisq; auctoritativo jussu seu consensu usurpasse. De Constantinopolitano I. pariter refert Theodoretus lib. 5. Histor. cap. 9. Theodosium Seniores non tam illud indixisse, quam litteras Pontificis Damasi, quibus Concilium indicebatur, misisse ad Episcopos; veluti patet etiam ex litteris Episcoporum in illo Concilio congregatorum ad Pontificem scriptis. De Ephesino I. tradit Prosper in Cronico, factam esse Cyrilli industriâ & Cælestini Papæ auctoritate. Constat etiam ex Epist. Cælestini ad Cyrillum relatâ inter opera Cyrilli, hunc tanquam Legatum Sedis Apostolicæ jussu esse proficisci ad illud Concilium: certo argumento, non esse coactum absque consensu Pontificis. De Chalcedonensi patet ex Epistola Martiani Imperatoris ad Leonem Papam relatâ ante Concilium Chalcedonense, Imperatorem, cum vellet indicere Concilium, rogasse Pontificem, ut ipse veniret & Concilium faceret, vel si nollet venire, significaret per litteras, quid agi vellet. Unde patet, illam Synodum non sine auctoritate Pontificiâ, ejusve jussu vel consensu indictam, vel celebratam fuisse. Imò Imperatorem ejus fuisse sententiæ: quod Synodus Oecumenica non esset substituta absque auctoritate Pontificiâ. Et hinc Gelasius Papa in Epist. ad Episcopos Dardaniæ ait: *apostolicam Sedem, ut Synodus Chalcedonensis fieret, suâ auctoritate decrevisse.* Quantumvis ergo Imperatores unâ cum Pontificiâ auctoritate concurrerint ad indicenda Concilia, hujus tamen erat ratio, quod Imperatores maximâ Christiani orbis parte potirentur, Conciliaque in ipsorum ditione celebrarentur, legeque cautum fuerit, ne Cœtus haberentur eorum injussu ob seditionum suspicionem: præterquam, quod ipsorum sumptu res tota perageretur.

23. *Quintò.* Quod Pontifices Romani habuerint præsentiam in Concilijs Generalibus,

probatur sequenti inductione. Nam ex actis Nicæni Concilij constat, huic Synodo unâ cum Vito & Vincentio, Ecclesiæ Romanæ Presbyteris, præsidisse Hosium Cordubensem, quem fuisse Romani Pontificis Legatum, asseritur etiam in præfatione Concilij Sardicensis. Concilio equidem Constantinopolitano I. Oecumenico II. non interfuit Damasus Papa, eò quod hic voluerit, Episcopos Orientis ad plenam Synodum convocare Romam, nisi justis ex causis se excusando, contra Macedonianos probassent, se animo & sententiâ conjunctos cum Occidentalibus Episcopis. Nihilominus ea Synodus eatenus cœpit esse Oecumenica, quatenus confirmata fuit à Damaso Papa in ijs, quæ spectabant Macedonianæ Hæreseos condemnationem, fideique confirmationem: ex S. Gregorio Epist. 125. & Photio in Libello de 7. Synodis. In Ephesino Oecumenico III. Concilio sanctum Cyrillum habuisse potestatem Legati à Cælestino Papâ constituti, evincitur ex Epist. Cælestini ad Cyrillum, relatâ Tomo I. Conciliorum editionis Cæloniensis. pag. 737. Ex Leonis ad Concilium Chalcedonense Epistola 47. constat, Legatos ipsius fuisse ad istam quartam Oecumenicam Synodum taliter directos, ut ipsemet Papa in illis præsideret. Quam Romani Pontificis intentionem fuisse ratam habitam à Concilio, constat ex hujus ad Leonem actione 3. vel in quibusdam exemplaribus circa finem relatâ Epistola. Concilium Constantinopolitanum II. Oecumenicum V. agnovisse, quod præsentiam sit debita Romani Pontifici, liquet ex Epistola ad Vigilium in fine primæ Synodi relatâ. In Concilio Constantinopolitano III. Oecumenico VI. Præsides fuisse Legatos Agathonis Pontificis Petri & Georgium Episcopos, ac Joannē Diaconum, testatur Zonaras in vita Constantini VI. patetque ex ipsâ Synodo, Concilium Nicænum II. Præsides habuisse Adriani I. Legatos, constat ex actis Concilij, in quibus isti primi nominantur & subscribunt. Idem ostendi potest ex cæterarum Synodorum Oecumenicarum actis. Quod verò firmitas Decretorum Conciliarium pendeat ex confirmatione Romani Pontificis, evincitur, quod eâ non interveniente, varij errores etiam circa fidem irrepererint; uti videre licet ex præsentis articuli secundæ Discussionis 4. à n. 55.

Sextò. Est, non ex cujusvis Cœtus convocatione, & in eo præsidendi jure concludatur stricta super eum Superioritas: attamen istorum jurium radix & ratio inspicenda est. Quis enim neget, jus convocandi Comitia generalia Regni Franciæ, & in ijs præsidendi, Regi competere ex supremo Regiæ Majestatis jure Monarchico? At superius ostensum fuit, jus convocandi Concilia Generalia, & in eis præsidendi, radicari in charactere Christi vicario, importante claves Ecclesiæ seu Regni mystici, absolutamque Cathedræ Apostolicæ ac Oecumenici pastoralis muneris potestatem, cum indefinita ligandi auctoritate, super quascunque Christi oves non distributivè tantum, sed collectivè spectatas, nempe quam

quã unam Ecclesiam constituentes, sicque super Concilium etiam Ecclesie secundum præcisionem mentalem acephalicè consideratæ representativum. Nequit ergo dici, quod jura illa convocacionis & præsentia in Concilijs Generalibus non radicentur in superioritate Papæ super Ecclesiã acephalicè spectatã protensam.

ARGUMENTUM III.

25. EX parte nostra licet tertio argumentari tum ex dicto Concilio Romani sub Symmacho, quod Papa nunquam subjacuerit Minorum judicio. Tum ex Leonis I. Epistola 48. scribentis: Ad Petri Sedem pertinere curam universæ Ecclesiæ. Tum ex Gelasij I. Epistola 13. dicentis: Quod sacrosancta Romana Ecclesia habeat potestatem judicandi de omnibus, nec cuiquam liceat de eius judicare judicio. Tum Gregorij I. Epist. 39. lib. 9. ajuntis: Petrum respondere potuisse ijs, qui eum culpabant, non esse ovium, Pastorem suum reprehendere. Tum Nicolai I. Epistola ad Michaelem Imperatorem dicentis: Iudicium Sedis Apostolicæ, quæ superiorem non agnoscit, à nemine refricari posse. Tum Paschalis II. verbis in Capit. Significasti. Extra de Elect. hunc in modum relatis: In Concilij statum non inveniri, quasi Romane Ecclesiæ legem Concilia nlla præfixerint, cum omnia Concilia per Romanæ Ecclesiæ auctoritatem & facta sint, & robur acceperint, & in eorum statutis Romani Pontificis potenter recipiatur auctoritas. Tum ex sententiã Alexandri III. relatã in Cap. Licet. extra de Elect. ubi statuitur: Majori cautelã eligendam esse Romanum Episcopum, quam cæteros, quia si malus eligatur Pontifex, nullum erit remedium, cum non habeat superiorem, à quo deponi possit, Tũ ex Innocentij III. sermone 2. affirmantis: Se propter solum in fide peccatum posse ab Ecclesiã judicari, in cæteris Deum se habere judicem. Tum demique ex Bonifacij VIII. Extravagante. Vnam sanctam. asserentis, supremam esse Romani Pontificis potestatem, quæ non nisi à Deo possit judicari.

Exceptiones Elliesianæ.

26. EXcipitur primò. Etiam si Concilij Romani sub Symmacho sententia sub nomine Minorum loqueretur de Episcopis, non tamen loqui de Concilio Generali, sed de Concilio particulari quorundam Italiæ Episcoporum. Adhuc loqui ad mentem Romanorum, qui tum temporis existimabant, Pontificem à Synodo præsertim particulari, deponi non posse, nisi in casu hæreseos: quoad mores verò reservandum esse Divino judicio.

27. Secundò. Leonis I. dictum verum esse, quod nempe Romanus Episcopus curam gerat universæ Ecclesiæ, sed distributim, non collectim sumptæ. Unde non sequi, quod habeat curam Concilij Generalis. Imò tamen ipsi incumberet cura, ut in Concilio Generali omnia fierent secundum ordinem, minimè tamen fore consequens, quod esset superior Concilio Generali.

28. Tertio. Gelasij I. sententiam non procedere de Concilio Generali, aut provinciali, sed

de singularibus Episcopis; veluti patet ex voce cuiquam, quam non posse intelligi de Concilio, doceri ex scopo Epistolæ, in qua agitur contra eos, qui nomen Acacij retinere volebant in Dyphiticis.

29. Quarto. Gregorium I. non negare, quin oves aliquando pastorem reprehendere poterint, sed tantum dicere, Petrum uti potuisse eã responsione; sed maluisse non ex festate, sed ex ratione respondere. Posthæc enim adjici, Si ergo Pastor Ecclesiæ Apostolorum Princeps signa & miracula singulariter faciendo, non indignatus est, in causã reprehensiois suæ rationem humiliter reddere, quantum magis nos peccatores, cum de re aliqua reprehendimur, reprehenses nostros ratione humili placare debemus. Unde patere, ait Elliesius, scopum Gregorij non esse, ut ostendat, Pontificem non posse ullo in casu reprehendi & judicari; imò contrarium inferri ex facto Petri. Deinde illum Pontificem non loqui de Concilio, aut Ecclesiã, quasi Petrus non potuisset reprehendi à Concilio, sed loqui tantum de privatis quibusdam reprehensoribus.

30. Quintò. Nicolaum I. non asserere suam auctoritatem Concilij auctoritate majorem, sed tantum Sedem suam quavis aliã majorem; ait enim, patere profectò Sedis Apostolicæ, cuius auctoritate major non, est iudicium à nemine fore retrahendum. Quare illum Pontificem sedem suam cum alijs Episcopis comparare, sed distributim, non collectim cum universis Episcopis in Concilium aggregatis. Alioquin vitio laboraturum, quod ait S. Augustinus, nempe univerfum singulis partibus merito præponi.

31. Sextò. Oportere Paschalis II. testimonium benignè explicare, cum certum sit, Concilia leges omnibus Episcopis, atque etiam Romanis dixisse. Sic Concilium Antiochenum & Arelatense sua decreta per litteras significasse Romano Episcopo, ut ea mandaret executioni, ipsosque Romanos Pontifices non semel fuisse proestatos, se obnoxios esse legibus latis à Concilijs, quare Paschalis verba benignè interpretanda esse de potestate dispensandi sapienter à Canonum observatione, quæ Romano Episcopo præ cæteris competit.

32. Septimò. Alexandri III. testimonium non referri bonã fide, non enim dici ab ipso, nullum esse remedium, si malus Pontifex sit electus, sed tantum non posse recursum haberi ad superiorem, dum nullum scilicet Concilium est convocatum. Unde majorem cautelam in ejus electione adhibendam esse, quia non faciliè convocatur Concilium, nec potest à superiore Episcopo, quemadmodum cæteri, judicari.

33. Octavò. Innocentij III. testimonium videri in eorum stare opinione, qui tenebant, Papam ob solam fidem deponi posse; sed fortè per fidei negotium ibi intelligi etiam pravitatem inemendabilem, quæ universæ officiat Ecclesiæ. Unde scribendo ad Philippum Regem Francorum dicere; si absque Generalis Concilij deliberatione ipsum separaret ab uxore suã, ordinis & officij periculum sibi imminere.

Nonò.

34. *Nono* denique. Bonifacij VIII. Extravagantem omni ratione & auctoritate destitutam esse, quam se nihil omnino morari.

Refutatio istarum Exceptionum.

35. *Primo*. Dum Concilium Romanum sub Symmacho tam disertis verbis asseveravit, Papam nunquam subjacuisse *Minorum* iudicio, oportet sub ista voce *Minorum* intelligi, quotquot in auctoritate Oecumenicâ Clavium Ecclesiæ, *indefinitæque* ligandi & solvendi potestate, nec non in firmitate Petræ, super quam ædificatur Ecclesia, æquiparari non possunt cum Papa, hisce universis prærogativis *Matth. 16.* Divinitus dotato. At Concilium quantumvis Generale *acephalum*, sine vicario Christi caractere spectatum, nequit attingere ad sublimitatem illarum præminentiarum, quia secundum Christi estatum *indefinita* ligandi & solvendi potestas, una cum omnimoda per Christi assistentiam infallibilitate non promittitur Concilio, nisi quâ auctoritate per Christi Nomen vicarium Papæ proprium. Nequit ergo Romanus Pontifex unquam subiectus esse Concilij *acephali* iudicio, nisi in casu hæreseos, à Capitis Ecclesiæ prærogativâ Papæ hæretici personam ipso jure Divino dejicientis.

36. *Secundo*. Leo I. dicendo; Romanum Episcopum gerere curam universæ Ecclesiæ, nequit loqui de aliâ causâ, quam eâ, quæ stipitata est auctoritate clavium Ecclesiæ. Eo ipso autem, quod vox *Tò universæ Ecclesiæ* importet collectionem universorum fidelium sub uno Pastore visibili Oecumenico subsistentem, nequit illa cura non completi Ecclesiam *collectam* sumptam, nisi manifesta involvatur contradictio.

37. *Tertio*. Quod Gelasius I. loco citato loquatur non de singularibus duntaxat Episcopis, sed de Concilio etiam Generali *acephalicè* considerato, evincitur ex contextu, cum *ibidem* dicatur, à Sede Apostolicâ nullius iudicio subiectâ, neminem appellare posse: quæ verba in veritate rei haud subsisterent, si à Romani Pontificis iudicio fas esset, appellare ad *acephalam* Generalem Synodum.

38. *Quarto*. Eo ipso, quod Petro fas fuisset, ijs, qui eum culpabant, ex potestate respondere, quod nullius iudicio *coercitivo* subesset; firma jam subsistit ejus super omnes superioritas, cui nequaquam obest, quod ad fraternam correctionem non sit dedignatus, humiliter reddere facti sui rationem.

40. *Quinto*. Nimis aperta est Nicolai I. vox dicentis: *Sedem Apostolicam non agnoscere Superiorem*, quàm ut eam detorqueere liceat ad Sedes privatas Episcopales, ac si Apostolica Sedes his tantummodò, non autem Concilij *acephalis* præmineret.

41. *Sexto*. Paschalis II. testimonium, dum negat, *Romane Ecclesiæ posse à Concilij, præsertim acephalis, legem præfigi*, eatenus evincit Apostolicæ Sedis superioritatem, ut huic tamen minime obest, quod Papæ, *quoad vim directivam* ex altioribus fidei principijs teneatur, obser-

vare leges à Concilij Oecumenicis, imò etiam à se ipso latis; uti in *anterioribus* extat probatum. Concilium porrò Antiochenum & Arelatense sua decreta eatenus significabant Romano Episcopo, ut hic ea per suam Christi vicariam auctoritatem firmaret, & sic firmata, consequenter non *ministerialiter* instat subditis, sed *auctoritative* ceu Christi vicarius executioni mandaret.

Septimo. Dum Alexander III. negavit, posse à Pontifice haberi recursum ad Superiorem, non fecit illam restrictionem ab Elliesio assertam, sed absoluta superioritatis respectu Papæ negatio, manifestè infert, Concilium, *præsertim acephalum*, non habere jus superioritatis erga Papam.

Octavo. Innocentius III. asseverando, se *propter solum in fide peccatum* posse ab Ecclesia judicari, in cæteris autem unice habere Deum judicem, nimis evidentè excludit Elliesij glossam, ac si sub negotio fidei intelligeretur etiam *pravitas morum inemendabilis, universæ officiens Ecclesiæ*. Nec obstat, quod ad Philippum Francorum Regem scripserit, ubi Regem separaret ab uxore suâ, faciendo divortium vinculi matrimonialis, sicque ad eodè hujus solubilitatem haberet ratam, incursum se *ordinis & officij sui* periculum: quia ea solubilitas cum jure Divino pugnans ipsam redargui potuisset hæreseos.

Nono denique. Bonifacij VIII. Extravagans non asserit duntaxat, sed ex Divinis Litteris probat supremam Romani Pontificis potestatem, non nisi Deo subiectam. Immeritò igitur Elliesius eam rejicit ceu destitutam ratione & auctoritate.

ARGUMENTUM IV. & ultimum.

EX parte nostrâ *quarto* argumentari licet ex Concilij Lateranensis Sessione II. seu Leonis X. in Concilio editâ constitutione, in quâ postquam dictam fuerat, *quæ in Concilio Basiliensi gesta sunt, post hujus translationem auctoritate Eugenij IV. factam, non posse ullum habere robur*; adjiciuntur sequentia: *Cum præsertim solum Romanum Pontificem, tanquam auctoritatem super omnia Concilia habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum plenum jus & potestatem habere, nedum ex sacre Scripturæ testimonio, dictis SS. Patrum, & aliorum Romanorum Pontificum, etiam Prædecessorum nostrorum, sacrorumque Canonum decretis, sed ex propria etiam eorundem Conciliorum confessione constet.* Quibus proinde verbis videtur Synodus Lateranensis, aut Leo X. *approbante* Concilio, rem plenè definivisse.

Exceptiones Elliesianæ.

EXcipitur. Magnum discrimen esse inter hanc sanctionem, & Constantiensis, Basiliensisque Conciliorum definitionem. Nam *primò* hæc Concilia numerosiora fuerunt, cum Lateranensi Concilio vix 80. Patres adfuerint, è quibus sexaginta tantum, aut circiter erant Episcopi magna ex parte Itali: nec ullus Christianissimi Regis Orator, nullique è Gallicanis parti-

partibus Antistites intererant. Unde à non paucis haud immeritò in dubium revocatur, utrum reverè à id Concilium sit Generale?

Secundò. Perspicuum esse, definitionem illam non esse à Concilio universo, sed à solo Romano Pontifice editam. Quamvis enim initio Bulla præfigatur, sacro approbante Concilio, patet tamen, rem non fuisse in Concilio disputatam, & examinatam, sed tantum Pontificis decretum in Concilio esse perfectum, quod quidè non erat conditum de hoc negotio, sed de abrogatione Pragmaticæ. Neque verò decretum istud inseritur Bullæ tanquam definitio, sed tanquam ratio definitionis. Quapropter licet constaret, definitionem de Pragmaticæ abrogatione à Concilio approbatam, eamque in Concilio abrogatam fuisse, non propterea idem dici posset de eâ ratione, quam Pontifex Bullæ inseruit.

Tertiò. Notatu dignum esse, quod Duvalius 4. parte quæst. 7. libri de suprema potestate Papæ hanc in rem disseruit. Ad Concilium Lateranense (inquiens) quod multò expressius loquitur, quam Florentinum, variæ sunt responsiones: quidam enim ajunt, non fuisse verè, & propriè Generale, cum ei vix centum interfuerint Episcopi. Alij dicunt: caput illud, in quo de autoritate Pontificis supra Concilium mentio fit, à Concilio non fuisse discussum, aut examinatam, sed tantum perfectum coram Prælati Concilio, qui sine prævio examine illud approbârunt, ideoque dici non posse Conciliariter conclusum & definitum, sicut de Concilio Constantiensis definitione dictum est. Alij rem sic expediunt: etiam si, inquit, Concilium fuisse absolute Generale (quod adhuc propter Episcoporum paucitatem relinquitur incertum) tamen rem ipsam, ut decretum fidei Catholicæ, non definiunt. Nulla enim in verbis Concilij nota apparet, ex quâ fidei definitionem colligamus. Nam nec anathema pronuntiat in eos, qui contra sentiunt, nec dicit, se hoc expresse, aut propriè definire, aut esse de necessitate salutis ita credere, vel quid simile, ex quo expressa definitio colligatur. Alij denique respondent, Concilium eatenus autoritatem Papæ supra Concilium definire, quatenus id ex Scripturis, Patribus, & antiquis Canonibus manifestè, constare censetur. Ad hæc enim, si omnia verba attentè expendantur, vim suæ definitionis, si quæ sit, Concilium revocat. Porro lateri Bellarminum, id decretum non esse de fide, & de Concilio Lateranensi dubitari posse, utrum sit Generale. Fatentes ergo se habere adversarios, Concilij Lateranensis, seu potiùs Leonis X. in Concilio Lateranensi sententiâ nihil suæ præjudicare opinioni.

Quartò. Hoc magis adhuc constare, si rationes, & auctoritates in eo Decreto allatæ ponderentur: non enim definire id Pontificem, nisi quatenus manifestè constat ex Scripturis, Patribus, & Concilijs à se allegatis, siquæ relinquit sibi examinandum, utrum constet, necne. Hæc autem non tantum non manifestè id probare, sed omnia aut falia esse, aut à proposito aliena: nullum enim extare locum Scripturæ, qui id probare ullatenus possit; nullum etiam Patrum speciatim referri, neque Romanorum Pontificum decretum promi. Tantum porro abesse, ut Concilia Generalia supra se Romanos agnoverint Pontifices, & in ijs venerati fuerint potesta-

tem convocandorum, dissolvendorumque Conciliorum, ut sæpe leges Pontificibus etiam Romanis tulerint, & passim ab Imperatoribus, non Romanis Pontificibus convocata fuisse, isti testificati sint.

Quintò. Alexandrinam Synodum adduci, quali scripsisset Felici Romano Pontifici, Nicænam Synodum statuisse, non debere absque Romani Pontificis auctoritate Concilia congregari: sed hanc Synodum & Epistolam illius nomine ad Felicem scriptam procul dubio esse supposititiam, & talem agnosci ab ipso Baronio. Dicit præterea, Beatum Leonem transfuisse Synodum Ephesinam II. ad Chalcedonensem; sed hæc frustra dici, cum constet, Ephesinam Synodum ab Imperatore convocatam, sine ullâ translatione esse finitam, & Chalcedonensem fuisse ab Imperatore convocatam aliâ de causâ, quam Ephesinam. Martinum V. dedisse potestatem Legatis suis in Concilio Senensi, transferendi Concilium, nullâ consensûs Concilij ipsius habita mentione, at executum fuisse Decretum Freqvens Concilij Constantiensis, neque exclusisse Concilij consensum. Et reverà translationem Concilij Senensis Basileam factam esse, ex consensu Deputatorum Nationum, veluti pateat ex Concilij Basileensis exordio.

Sextò. Præterea in illo Decreto Lateranensi laudari plures Synodos, quæ Pontificibus Romanis dicuntur magnam reverentiam exhibuisse, nempe Ephesinam I. Cælestino, Chalcedonensem Leoni I. Sextam Generalem Agathonis, Septimam Adriano I. Octavam Nicolao & Adriano II. Sed hoc nihil ad rem facere, nec inde sequi, quod unicus Pontifex Romanus auctoritatem super omnia Concilia habens, Conciliorum indicendorum, transferendorum ac dissolvendorum habeat potestatem. Citari Damasum Papam, & Occidentales scribentes, per numerum Episcoporum Arimini congregatorum præjudicium fieri non potuisse, quandoquidem constet, Romanum Pontificem, cujus expectanda erat imprimis auctoritas, his non præbuisse consensum. Sed non de uno Romano Pontifice, sed etiam Vincentio, & alijs pluribus id verificari. Nec quempiam negare imprimis, expectandam esse Romani Pontificis auctoritatem, sed hinc minimè sequi, quod sibi sumit Leo X. Romanum Pontificem habere auctoritatem super omnia Concilia. Citari denique plures Synodos, quæ dicuntur gestorum confirmationem à Pontifice petijisse, atque inter has laudari Constantiensem. Quod argumento esse, ex confirmatione seu consensu, & approbatione gestorum in Concilijs à Pontifice Romano requisita non inferri, Pontificem esse supra Concilium, cum Synodus Constantiensis, à qua petitam à Martino gestorum approbationem dicit, Leo disertè contrarium definiert. Sed de hoc alibi. Interea ex his universis patere, neque ex auctoritate, neque ex rationibus Concilij Lateranensis, seu potiùs Leonis X. in Concilio Lateranensi confici, Romanos Pontifices esse supra Concilium.

F f f

Refu-

Antiochenam... ea per suam... maret, & sic... riter in illa... vicarius... ander III. negot... cursum ad... ritionem ad... superioritate... esse inferri, Conc... non habere pass... II. asserendi... posse ad... unice habere... excludi... intelligere... abili, aut... quod ad... pferit, ubi... a, faciendo... lis, siquæ... ratam, in... periculum: que... o pugnant... ij VIII. Extr... ex Divinis... Pontificis... am. Immo... destitutam... IV. &... argumen... entis Sessio... dita consuetud... fat, que in... ias translation... non posse... tia: Cum præ... anquam aucto... Concilio... ac diffin... ere, neque... Patrum, &... Prædictorum... decretis, sed... orum consensu... bis videtur... X. approba... iesiana. crimen esse... constantiensis... definitionem. Nam... hora fuerat, cum... Patres asserunt... aut circiter... li: nec ullos Ch... illique Gallianu... parte.

Constituta
revera
Concilio

VI

Refutatio istarum Exceptionum,

32. **Primò.** Esto, Concilia Constantiense & Basileense quoad numerum Patrum superarent Synodum Lateranensem sub Leone X. celebratam, num idcirco fas est, hanc minoris illis auctoritatis dicere? Ex anterioribus constat, duplicem esse Synodorum generalitatem, tum *materiale*, ex Prælati Ecclesiasticis per auctoritatem Summi Pontificis de toto Christiano Orbe convocatis, in minori licet duorum, vel trium sub vicario Christi characterè coadunatorum numero comparentium, *juxta Matth. 18. discretum verbum* subsistentem, tum *formalem*, ex auctoritate Oecumenicâ Christi in terris vicem gerenti Papæ propriam, ceu substantiali Concilij Oecumenici formâ constitutam. Hæc igitur noscitur habuisse locum in Concilio Lateranensi, sed defuisse Synodo Constantiensi ante Martini V. electionem, & præsentiam, nec non Basileensi post dissolutionem ab Eugenio IV. decretam. Nequit ergo harum Synodorum major, sed minor potius esse auctoritas, quàm competitat Concilio Lateranensi, ex Pontificiæ potestatis, cunctos Episcopos convocantis characterè *materiale* ac *formalem* Generalitatem & integritatem obtinenti sub pauciorum etiam Antistitum comparentium numero.

33. **Secundò.** Dum constitutio illa de Papæ supra Concilium superioritate edita fuit, *sacro approbante Concilio*, nequit per rationem solidam negari, quod totius Concilij quâ Oecumenici, nempe auctoritatis Pontificiæ Christum representantis, & Ecclesiæ membrorum Hierarchicorum consensu sancita fuerit. Et hinc Ellicius injuriam facit universo Concilio, dum contendit, constitutionem illam ex Concilij approbatione editam, non fuisse discussam & examinatum à Concilio, quasi hoc tam *perfunctoriè* in tanto negotio fecisset partes suas. Omni porro ratione & veritate destituitur præsumptuosa Ellicij assertio, ac si Papæ supra Concilium superioritas non fuisset definita in Concilio Lateranensi sub Leone X. celebrato. Hanc enim Ellicianam exceptionem clarè refutant dictæ constitutionis verba, ita se habentia. *Nec illud nos movere debet, quod sanctio ipsa, & in ea contenta, in Basileensi Concilio edita, & ipso Concilio instante, à Bituricensi Congregatione recepta fuerunt, cum ea omnia post translationem ejusdem Basileensis Concilij per Eugenium IV. factam, à Basileensi Conciliabulo (quod post talem translationem Concilium amplius appellari non merebatur) facta existerint, & propterea nullum robur habere potuerint, cum etiam solum Romanum Pontificem pro tempore existentem, tanquam auctoritatem super omnia Concilia habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum ac dissolvendorum plenum jus & potestatem habeat, nedum ex sacra Scripturæ testimonio, dictis SS. Patrum ac aliorum Romanorum Pontificum, sacerdotumque Canonum decretis, sed propria etiam eorundem Conciliorum confessione manifestè constet.* In quibus equidem verbis veritas illa, quod *Papa auctoritatem super omnia Concilia habeat, per auctoritates & Divinas, & Pontificias, &*

Synodales asserta, assumitur tanquam ratio reprobandi Basileense Concilium. postquam ejus translatio & dissolutio per Eugenium IV. facta fuerat; dum tamen ipsissima hæc ratio sub tantis auctoritatibus firmata, est quasi anima totius constitutionis, *Concilio Lateranensi approbante*, editæ, nequit Papæ super Concilium superioritas negari sancita ab illâ Oecumenica Synodo. Et hinc aperta falsitatis etiam redarguitur Elliciana exceptio, ac si illud Conciliare decretum statuisset duntaxat de *Pragmatica abrogatione*, non verò de *Papæ supra Concilium auctoritate*, & hinc consequente Synodorum dissolvendorum & transferendarum potestate.

Tertiò. Sed quâ ratione idem Ellicius Davallij superius allegatam sententiam, pro elidenda Concilij Lateranensis auctoritate inducit, dum tamen is auctor non ex suo, sed aliorum diversimodè respondentium sensu loquitur? Et quidem ex antecedentibus extat jam refutatum, quod tum primo loco, ac si Concilium Lateranense non fuisset Generale; tum secundo loco responderetur, ac si decretum de superioritate Papæ fuisset perlectum, sed absque prævio examine approbatum. Quod tertio loco ibidem responderetur, ac si decretum destitueretur auctoritate definitiva, cum in adversarios non pronuntietur anathema, nec dicatur esse de necessitate salutis, ita credere; nullius momenti noscitur isthæc esse responsio, cum in Concilio quoque Tridentino plura extant decreta, quibus non subjungitur anathema in eos, qui contradicunt, nec expressè in eis dicitur, de necessitate salutis esse, ut ejusmodi definitiones credantur, sed hæc subintelliguntur ex ipsâ naturâ ejusmodi decretorum. Quæ denique quarto loco assertur responsio, ex integro à nobis recipitur, quod nempe Concilium eatenus definit Papæ super Concilio auctoritatem, quatenus id ex Scripturis, Patribus, & antiquis Canonibus manifestè constat. Verùm quàm ineptè hoc nitatur Ellicius contorquere ac elidere, proximè videbitur. Interea sciscitari lubeat ex hoc auctore, quorursus fundamento scripserit de Bellarmino, quasi Concilium Lateranense sub Leone X. celebratum dixisset, non fuisse Generale, cum tamen is Cardinalis cap. 5. de Concil. eam Synodum discretis verbis recenscat inter Synodos Oecumenicas à Catholicis receptas.

Quartò. Sed quæ non manifesta committitur temeritas ab Ellicio, asseverante, falsum esse decreti Lateranensis assertum, ac si Papæ super Concilij auctoritas constaret ex S. Scripturæ testimonijs, Romanorumque Pontificum, & SS. Canonum decretis, ac dictis SS. Patrum, imò ex propria etiam Conciliorum confessione? Si de S. Scripturæ locis ad præsens institutum, sermo sit, præter argumenta in superioribus deducta, unius tantum recordor, quod Vicarius Christi character eatenus sit forma Concilij Oecumenici, ut sine isto minimè subsistat Synodi Oecumenicæ substantia, atque adeò ejus præ eminentia ex indefinitâ ligandi & solvendi potestate, & infallibilitatis auctoritate subsistens; unde antecederet ad eum Pontificum characterem, atque adeò in Concilio ac ephe-

lo ex totius etiam orbis Episcopis coadunato, nihil morari potest, quod minus ipsi præemineat. quæ Matth. 16. Petro, ejusque Successori per Christum destinata fuit tum Petræ firmitas, tum incircumscribita ligandi & solvendi auctoritas.

S. Patrum exigantur testimonia, Papæ Concilio hæud inferiorem potestatem concordæ voce testantur Patres Concilij Nicæni I. Patres Concilij Sinuesani. Patres Concilij Romani sub Symmacho. Patres Synodi Romanæ sub Leone III. Patres Oecumenicæ Synodi sub Adriano II. Patres Concilij Oecumenici Sardicensis sub Julio. Patres Concilij Chalcedonensis Oecumenici sub Leone. Patres Concilij Nicæni II. sub Adriano I. Quibus accedunt Patrum extra Concilia scripturum testimonia, S. Cyrilli, S. Cypriani, S. Damasi Papæ, S. Athanasij Patriarchæ Hierosolymitani, S. Isidori Hispalensis, Iyoni Carnotensis, B. Augustini Triumphi, S. Bernardi, S. Thomæ Aquinatis, S. Antonini, S. Bonaventuræ, S. Bernardini Senensis, Alexandri Alenis, unâ cum Summis Pontificibus S. Anacleto Martyre, S. Julio, S. Bonifacio Martyre, S. Gelasio, S. Symmacho, S. Nicolao, & Paschale II. quorum omnium verba & sententias videre licet præsentis articuli secundi nostrate Disquisitione 4. a n. 21. Quæ porò Elliesius de Conciliorum per Imperatores convocacione hic asseverat, superioris extant exposita ac refutata.

Quintò. Nec aliejus momenti sunt exceptiones, quas Elliesius opponit propriæ Conciliorum de Papæ super Synodos acephalicè spectatas superioritate confessioni. Abstrahendo namque à Synodi Alexandrinæ ad Felicem Papam epistolâ, an vera sit, vel supposititia, sufficiat, Nicæna Synodi eâ de re sententiam stabilire ex epistolâ Julij Papæ I. ad Episcopos Orientales tom. 1. Concilij Colonienfis editionis pag. 384. & 385. relatâ, ubi habentur sequentia. Unanimitè in Nicæna Synodo statuerunt, ut nîllus Episcopus, nisi in legitimâ Synodo per Apostolicam auctoritatem convocata, super quibusdam nominationibus audatur, id est, iudicetur. Et post pauca. Ipsi verò primæ sedis Ecclesiæ convocandarum Generalium Synodorum jura, & iudicia Episcoporum, singulari privilegio, Evangelicis, & Apostolicis concessa sunt institutis, quia semper majores cause ad Sedem Apostolicam multis auctoritatibus referrî, præcepte sunt. Nec ullo modo potest major à minori iudicari. Ipsa namq; omnibus major, & prælata est Ecclesia, quæ Domini Salvatoris nostri voce singularem obtinuit principatum &c. Et infra. Dudum à sanctis Apostolis, successoresq; eorum in antiquis decretum fuerat statutis, non oportere, præter sententiam Romani Pontificis Concilia celebrari. Dum porò in Ephesina Synodo Eutylianorum factionibus res perperam ageretur, Legatis Apostolicæ Sedis constanter resistentibus, acta hujus Conciliabuli postmodum à Chalcedonensi Concilio fuerunt falsitate convicta & reprobata: sicque adeo materia Pseudo-Synodi Ephesinæ, Romano Pontifice approbante, &

per suos Legatos interveniente, ad præactum Chalcedonense Concilium translata, ibique decisa fuit, uti patet ex tom. 7. Conciliorum Parisiensis editionis pag. 308. & 309.

Restè fatetur ipse quoque Elliesius, Martinum V. ita dedisse potestatem Legatis suis in Concilio Senensi, transferendi Synodum, nullâ Concilij ipsius consensûs habita mentione. Et licet indictio hujus Synodi à Romano Pontifice facta fuerit ex respectu decreti à Concilio Constantiensi editi, ipsemet tamen Papa ex ea potestate Legatis suis factâ ita se probavit auctoritate præeminere Conciliari decreto, non nisi per suam auctoritatem vires obtinenti, ut in dissolvendo & transferendo Concilio non esset dependens à consensu Concilij indicti.

Sextò. Non integrè allegat Elliesius Concilij Lateranensis decretum de singulari reverentiâ ab antiquis Concilijs Sedi Apostolicæ exhibitâ, dum ibidem dicitur, sed ab Elliesio omittitur; reverentiam illam in eo substituisse, ut Concilia ibi recensita, Romanorum Pontificum institutionibus & mandatis in sacris codicillis per eas editis & factis reverenter & humiliter obtemperarent; certo argumento auctoritatis Concilij acephalicè sumptis præeminentis. Unde subditur in eodem Lateranensi decreto, Damasum Papam cum cæteris Episcopis Romæ congregatis scripsisse, per numerum Episcoporum Artmini congregatorum, non potuisse aliquod fieri præjudicium, quandoquidem constet, Romanum Pontificem talis Synodi decretis non præbuisse consensum: certo iterum argumento, auctoritativum Papæ consensum prævalere Synodo acephalæ.

Merito etiam specificè hic recensendum venit, quod in eodem Lateranensi decreto subjungitur, consuevisse Conciliorum Patres, pro eorum, quæ in suis Concilijs gesta fuerant, corroboracionem à Romano Pontifice, subscriptionem, approbationemq; humiliter petere, & obtinere, pro ut pateat ex Nicæna, & Ephesina, atque Chalcedonensi, nec non sextâ Constantinopolitana, & septimâ alterâ Nicæna, Romanâque sub Symmacho habitis Synodis, earundemque gestis &c. Et quia id ipsum fecisse noscitur Synodus Constantiensis, immeritò Elliesius eam redarguit contrarietatis, dum gestorum suorum approbationem à Martino V. efflagitando, suam auctoritatem hæud superiorem Pontifice, contestabatur: & tamen antedecenter Concilij super Papa superioritatem definiverat. Ad hanc enim contrarietatem tollendam, oportet, præactum Concilij Constantiensis Decretum non de Papa certo, sed dubio duntaxat intelligere, uti aliàs ostensum fuit.

Caput VI.

Expenduntur exceptiones ab Elliesio productæ ex Pisano, Constantiensi, & Basiliensi Synodis, ad probandam Concilij super Papa superioritatem.

F ff 2

Hanc

tonitas
ledra
medica
VI

Hanc quaestionem de Concilij super Papam autoritate præterit Eliesius Dissertatione 6. de antiqua Ecclesiæ disciplina §. 5. definitam esse in præinsinuatis Concilij. Quam præteritionem nullius esse roboris, nitiq̃ falsitate, subsequenter duobus §. ostendetur.

§. I.

Examinantur argumenta Eliesij desumpta ex historia dictarum Synodorum.

ARGUMENTUM I. Eliesij.

1. Eliesius inducit primò sequentem relationem historicam. Nempe cum Gregorius XI. Avenione, ubi 73. annos sederunt Pontifices, Romam redisset, atque paulò post anno 1378. è vivis excessisset, Populum Romanum seditione facta, in Conclave irrupisse, atque omnibus Cardinalibus mortem interminatam esse, ni Romanum, aut saltem Italum Pontificem crearent. Hos igitur, ut saluti suæ consulere, elegisse Bartholomæum Neapolitanum, dictum Urbanum VI. sed ægré ferentes, vim à Populo sibi illatam, aliquantò postea sese transfuisse Fundos, ibique Pontificem elegisse Cardinalem Robertum, Clementem VI. dictum. Hunc Avenione sedisse usque ad annum 1394. qui mortuus, successorem habuit Petrum de Luna, dictum Benedictum XIII. Aliunde Urbano VI. successisse Bonifacium hujus nominis IX. Bonifacio Innocentium VII. ac demum Innocentio Angelum de Corario, qui anno 1406. eà conditione electus est, ut statim post electionem ad finem imponendum schismati, sese abdicaret Pontificatu. Verùm ubi Pontificatum adeptus est, eo cadere noluisse, sed Gregorium XII. appellari voluisse. Ita rem ad duos redijisse Antipapas, Benedictum XIII. & Gregorium XII. Neutrum pro legitimo Pontifice agnovisse Galliam, voluisseque tertium eligi. Hinc habitum esse Concilium Pisanum anno 1409. ex omnium Principum Christianorum consensu celebratum, cui plusquam ducentos Episcopos ex Italia, Francia, Germania, & Anglia adfuisse. Ad illud vocatos Gregorium & Benedictum, cum non adfuisent, de Pontificatu dejectos esse, electumque Alexandrum V. Nec solum Pisanam Synodum exercuisse suam in Pontifices auctoritatem, sed etiam Decreto sanxisse: quòd Concilium generale, universam representans Ecclesiam sit superius Papæ, pertinetq̃, ad illud cognitio ac iudicium controversiarum, quæ Pontificatum Romanum spectant. Ea porro, quæ à Concilio Pisano gesta & definita fuerunt, approbasse & confirmasse Alexandrum V. quem tum ab omnibus pro legitimo Pontifice habitum fuisse, atque Pisanum Concilium pronuntiasse legitimum & universale. Quo etiam nomine Concilium illud donari ab omnibus, qui de eo tum temporis scripserunt.

Responsio hujus argumenti refutatoria.

PRO isthac relatione historica conferenda cum altera nonnihil discrepante, remitto Lectorem ad III. hujus Summæ caput. Unde impræsentiatum unice expendemus, quòd præteratur, Concilium Pisanum quaestionem de auctoritate synodi Generalis supra Pontificem, decidisse pro Concilio.

Primò hoc ipsissimum præterit etiam Maimbourgus tract. sui historici cap. 21. pag. 217. ita scribens de Concilio Pisano. Celebris Doctor Ploust unus ex Deputatis Universitatis Parisiensis, habuit in plenâ Congregatione doctam Orationem, in quâ pluribus rationibus probabat, Ecclesiam universalem, & consequenter Concilium generale ipsam representans, esse supra Papam, adjungendo, hanc sententiam esse Universitatis Parisiensis, & cæterarum omnium Galliarum Universitatum. Vix de cathedra descenderat, cum Episcopus Novariensis eam ascendit, & legit alia voce scriptum, quòd declarabat, centum & tres Doctores & Licentiatos in Theologia ex ipi, qui deputati erant ab Universitatibus, convenisse mandato Cardinalium, ut deliberarent super hac materia, quòdque omnes communi voto amplexi essent sententiam Universitatis Parisiensis: asseverabat enim, quòd præter Universitatem Galliarum ita quoque leantur celebris universitas Bononiensis, cupus literæ habebantur, & Universitas Florentina, quæ sententiam suam dederat in scripto, à centum & viginti Doctoribus subligato. Hæc igitur præteruntur acta Pisanæ Concilij, ex quibus auctoritas Synodi Generalis supra Pontificem, decisa fuerit à Concilio Pisano.

Verùm istam tum actorum, tum decisionis Pisanæ Concilij allegationem, haud nitè veritate, ostendunt acta Pisana, quæ Lucas Acherius Tom. VI. Spicilegiorum integriora reddidit, ex tribus codicibus Bibliothecæ Gemeticensis, ita se habentia. *Decimarum Sessio* fuit die Mercurij 19. Maji. in qua Magister Petrus Ploust pro Universitate Parisiensis dixit, & declaravit, opinionem Universitatis esse, istos duos (de Papatu) contententes debere reputari schismaticos, & antiquati schismatis nutritores, & hereticos pertinaces, firmam auctoritatem Concilij, ad decidendam hanc causam & declarandum, eos esse ab Ecclesia præcisos & abjectos, & eos, quantum opus est, abiciendos. Postea immediate vocis Episcopus Italus, dictus Novariensis legit quandam schedulam facientem mentionem, qualiter secundam ordinationem Dominorum Cardinalium per Dominum Cardinalem Mediolanensem fuerunt simul congregati omnes Magistri in Theologia & Licentiatos & Baccalares Formati, qui ad dictum Concilium de multis partibus & Universitatibus convenierunt, & inter eos fuerat plena deliberatio super istâ materia, & postea in eandem opinionem convenerunt, & concordæ fuerunt, videlicet, quòd dictos ambos contententes teneat schismaticos & hereticos pertinaces &c. ut supra. Et omnium & singulorum nomina recitavit, quorum multi sunt

Epij.

Episcopi & Prælati, & faciebant omnes numerum centum & trium. Item postea dixit, quod in eadem opinione fuit Universitas Florentina, in qua fuerunt centum & viginti Magistri subscripti. Idem etiam deliberavit Universitas Bononiensis, quæ de hoc misit litteras. Idem Universitates sive studia, Arelanensis & Andegavensis, & Tholosana per suos Ambasiatores ibidem.

Ex quibus proinde Concilij Pisani actis constat manifestè, Universitatem Parisiensem, unâ cum reliquis prænominatis Universitatibus, ipsamque adeò Synodum Pisanam, nihil statuisse de auctoritate Concilij supra indubitatum Pontificem, sed solum de tempore Schismatis, ac de dubijs, sive de Papatu contententibus Pontificibus schismaticis, quæ præsumptivè hæreticis.

Secundo. Firmatur id ipsum actis à Philippo Labtheo, ex aliâ anteriori editione Parisiensi exhibitis, Universitatis Parisiensis hæc de re opinionem ita referentibus. Et postmodum posuit opinionem Universitatis Parisiensis, videlicet quod Petrus de Luna est Schismaticus, permax & hæreticus, etiam accipiendo hæresim propriè & strictè; præcisèque ab Ecclesia Dei, ejectus à jure Papatus, & privatus, ac per Concilium de facto tanquam talis ejiciendus & privandus. Et hæc declaravit Petrus de Plaoust pluribus rationibus, & subjunxit, quod in eadem opinione erant Universitates Andegavensis, & Tholosana. Ipso autem descendente de cathedra, ascendit quidam Episcopus Italus, qui opinionem tredecim Magistrorum, & plurium Licentiariorum, & Baccalavorum Formatorum, ac Universitatis Bononiensis in quadam scheda publicavit, quæ est conformis opinioni Universitatis Parisiensis.

Hanc Synodi Pisanæ faciem descripsit ipsemet quoque Maimbourgus libro de magno schismate Occidentis, historiam dicti Concilij Pisani exponens, ac de Petro Plaoust referens sequentia. Declarabat, & confirmabat opinionem Universitatis, quod nimirum duo (de Papatu) contententes haberi deberent pro veris schismaticis, qui nutriebant infortunatum illud schisma; quin & pro hæreticis, destruendo, quantum poterant, articulum Symboli, quo unitas Ecclesiæ creditur; & conclusit demum, quod Concilium illos pro talibus habere, excommunicare, & deponere debebat de Papatu, de quo per schisma & hæresim jam exciderant.

Falsum igitur est, in Synodo Pisanâ actum fuisse de indubitato Pontifice, ibidemque decisam fuisse quæstionem de superioritate Concilij supra certum & indubitatum Pontificem, atque de hac tunc egisse Parisiensem Universitatem, in utriusque Obedientiæ Cardinales in litteris, quibus anno 1408. Gregorium XII. convocarunt ad Concilium Pisanum, adducendo conclusiones Universitatum Parisiensis & Bononiensis, quæ aperte testantur, in ejulmodi conclusionibus solummodò mentionem fieri quæstionis de auctoritate Concilij supra duos de Papatu contententes, de quibus propter dubia Facti & Juris ignorabatur, uter verus Pontifex censendus esset. Ita namque se habet quinta illarum Universitatum con-

clusio: Quod stante dubio Papatus inextricabili propter dubium Facti, & Juris, ne in subversionem fidei Ecclesia sic remaneat divisa perpetuò, cum tanto scandalo & animarum perditione, provisio spectat ad Concilium, & Ecclesiam universalem, ut utrumque, eis non cedentibus, possit à Papatu eicere. Tantæ igitur molis erat, tempore Pisani Concilij sententiam ferre in dubios Pontifices, ut ipsos non aliter judicaret Synodus, excidisse Papatu, nisi quatenus colludentes de Papatu, destruxissent articulum fidei de unitate Ecclesiæ, non quidem dogmatizando, sed operando.

ARGUMENTUM II. Elliesij.

Pergit hic Author referre historiam magni schismatis. Post mortem Alexandri VI. iniquiens, hujus successor Joannes XXIII. Concilium Constantiense, quasi ad continuationem Pisani, anno 1414. indicit. Huic Pontifex ipse adfuit, promisitque, se pro bono pacis cessurum Pontificatu, modò Benedictus XIII. & Gregorius XII. idem facerent. Sed hujus pollicitationis pœnitentiâ ductus, à Concilio secessit. Nihilominus Concilium non propterea interruptum est, imò decretum emisit, quo definebatur, Concilium secessu Joannis XXIII. non esse dissolutum: deinde sessionibus quarta & quinta diserte definivit, Concilium Generale universam representans Ecclesiam, potestatem suam habere à Christo immediatè, cui quemlibet, cuiuscumque status, vel dignitatis, etiam si Papalis existat, obedire teneri in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem Schismatis, & reformationem Ecclesiæ generalem in capite & in membris. Quod decretum, ait Elliesius, probatum fuisse Nationaliter, ac deinde Synodaliter, Quæconque autem in Concilio Nationaliter & Synodaliter fuerant definita, Martinum V. legitimum Pontificem à Concilio electum, rata habuisse & probasse, in primis verò decreta sessionis quarta & quinta: nam inter articulos Bullæ in errores Wicleffi editæ jubere Pontificem interrogari Wicleffitas, num teneant, Concilium Generale universam Ecclesiam representare? Num doceant, ea, quæ à Concilio Constantiensi probata sunt, ab omnibus Christianis probari debere, quod respicere Sessiones quartam & quintam.

Responsio hujus argumenti refutatoria.

AD horum solidam refutationem, primo placuit præmittere Bullam Martini V. decretorum Concilij Constantiensis confirmatoriam, quæ est tenoris sequentis. Cum nempe Pontifex ille in exordio præmissarum Bullæ exposuisset sua desideria & vota, ut fides Catholica à contagiosis hæreticorum dogmatibus conservetur, hæreticaque pravitas de finibus fidelium extirpetur &c. Exinde in corpore ejusdem Bullæ enarrat, quæ contra errores Joannis Wicleffi & Hieronymi de Praga, à Joanne XXIII. in Concilio Romano decreta fuerant, recensitisque duabus alijs ejusdem

toritas
centra
statua
VI

dem Joannis constitutionibus, refert insuper, ac de verbo ad verbum inserit statuta Constantiensis Concilij circa propositiones Wicleffi & Hus, nec non errorem Bohemorum de Communionem sub duplici specie. Concludendo tandem, auctoritate Apostolica confirmat decreta, statuta & condemnationes ac sententias supradicta, subiuciendo & sanciendo, ut definitiones, reprobationes & sententiæ, ac statuta præinserta plenum robur habeant.

11. Ex quibus proinde manifestè elucet, Martini V. Bullam statutorum Constantiensis Concilij confirmatoriam, ita coarctari ad decreta dogmatica adversus errores Wicleffi & Hus ac Hieronymi de Praga ac Bohemorum editas, unâ cum decretis Joannis XXII. in Concilio Romano, & alijs duobus ab eodem Joanne sancitis, ut nullatenus completatur decreta IV. & V. Sessionis circa Concilij auctoritatem, Joanne XXIII. tunc absentem lata.

22. Nec obstat, quòd Martinus V. jussit interrogari Wicleffitas, num teneant, Concilium Generale representare universam Ecclesiam? Hoc enim vel de Concilio completè Oecumenico Papæ characterem includente, intelligendum est: vel si accipiatur de Concilio etiam *acephalo*, quale sub statu Sess. IV. & V. erat Synodus Constantiensis, nequit intelligi aliter, nisi quòd ejusmodi Concilium Generale *acephalum* representet universam Ecclesiam non integraliter unâ cum Capite, sed pro Corpore Hierarchico, Capitis præminentia quidem destituta, sed ex orbis Christiani Episcopalis jurisdictionibus coadunato spectatam. Et sic, quia Concilij Constantiensis adversus Wicleffi errores sancitis decretis dogmaticis supervenit Apostolica Martini V. auctoritas, earundem confirmatoria: idcirco quoad istas sanctiones dogmaticas Sessionibus IV. & V. firmatas, meritò statuit Martinus, ut Wicleffistæ docerent ea, quæ à Constantiensis probata fuerant, debere ab omnibus Christianis probari.

13. Quibus ita se habentibus, pro secundo prorsus negandum est, Constantensia IV. & V. Sessionis decreta, quatenus adversarij contendunt, ea extendere ad Concilij Generalis *acephali*, præsertim, super Papâ certo & indubitato auctoritatem comprobendam, alicujus esse valoris, uti in *antecedentibus* probatum est, ulteriusque firmabitur ex *subsequentibus*. Imò verò ipsa verba decreti illius, prout hic adferuntur in Ellicij argumento, ita sonant, ut optimè possint ac debeant coarctari ad tempus schismatis, pro cuius extirpatione, sicque generali Ecclesie, in Capite dubio & membris inter se divisim reformatione. Synodus illa universam Corporis Hierarchici, sed tunc *acephali* Ecclesiam representans, extiterat congregata.

ARGUMENTUM III. Ellicij.

14. Historiam præinsinuatam prosequitur is Theologus, dicendo, Pontificem Marti-

num V. ut decreto Constantiensis Concilij morem gereret, indixisse Concilium Generale primò Papæ, deinde Senis, ac demum Basilee. At ante hujus initium è vivis excessisse, hujus verò Successorè Eugenium IV. illic destinasse Julianum Cardinalem Legatum, ut præfesset Concilio. In eo Sessione II. Concilij Constantiensis de Concilij supra Papam auctoritate Decreta fuisse renovata. Conatum hinc esse Eugenium dissolvere Concilium, quod tamen stetit, statuisseque Sessione XIII. Pontifici non competere hujusmodi potestatem, ipsum quidem esse Ecclesie Caput, sed non universæ Ecclesie superius. Ipsum quippe falli procul dubio posse, quod de Ecclesia dici sine periculo non posset. Hæreticum esse, dicere Papam non teneri Concilio parere. Tum Eugenium IV. mutata sententiâ, probasse Concilij aucta, & confirmasse ea omnia, quæ à principio decreta fuerant, usque ad Sessionem XVI. in qua contineri Bullam confirmatoriam actorum Synodi.

Responsio hujus Argumenti Ellicij refutatoria.

Disertis jam verbis Ellicij fateris Romani Pontificis potestatem indicendi Concilia generalia, eaque transferendi à loco prius indicto ad alium magis opportunum locum. Neque Pontifex in illâ Concilij indictione morem gerendo Constantiensis Synodi Decreto, id fecit ex subjectionis erga Concilium debito, sed intuitu Boni publici, ex cuius respectu urgere potest ipsiusmet etiam Papam decreti cujusvis Synodalis à tenet etiam probati directiva obligatio. Sed hoc misso, utpote in *anterioribus* satis superque discussio, progredimur ad refutanda ea, quæ ex Basileensis *acephale*, Concilij Oecumenici, non nisi per Vicarium Christi characterem Papæ proprium subsistentis formâ substantiali prorsus destituta, Synodi actis à dicto Ellicio sunt adducta.

Etenim Eugenium IV. decreta Basileensis Synodi, quibus auctoritas Pontificia impugnabatur, contrarijs Decretis oppugnasse, manifestum redditur ex ejusdem Concilij actis. Nam & Archiepiscopus Colocensem & Tarentinum misit, qui ab hujusmodi decretis Concilium prohiberent, cuius egregia ad Patres oratio extat in *Appendice Concilij*. Per Jacobum Ebrodunensem insuper rescidit acta Concilij, ex eadem *Appendice*. Gravissimis quoque pœnis affectis Concilij fautores. Ex actu Concilij Sessione 9. Præterea, quicquid decreverant contra Pontificiam auctoritatem, declaravit, nulla esse ac irrita, eiecitque dignitatibus, qui ea tuerentur, ex actis Concilij Sess. 16. Denique Cardinalis Turrecremata, qui assistit Concilio, lib. 2. de Ecclesia cap. 100. disertis verbis testatur: Eugenium nunquam adduci potuisse, Concilio licet omnia moriente, ut ea confirmaret. Plura hanc in rem videri possunt apud præcitatum Turrecrematam, quibus dmicè subungere lubet, qualiter in Concilio Lateranensi Fridericus Cardinalis S. Severini, Clau-

Claudius electus Episcopus Massiliensis, & Ludovicus Dominus de Soterijs Oratores Regis Christianissimi, suo & Regio nomine coram Notarijs & Testibus in litteris patentibus Christianissimi Regis manu subscriptis, ejusdemque sigillo munitis, purè, liberè & simpliciter Sacrosancto Concilio Lateranensi tanquam vero & legitimo adhererint, in quodam Concilio Synodus Basileensis vocatur Conciliabulum, extatque expressè definitum *Sess. 10. Papam esse supra Concilium Generale.*

S. II.

Expenduntur Elliesiana exceptiones, quas opponit argumentis formati à Nupero quodam scriptore ad elevanda Concilij Constantiensis decreta circa præsentem Concilij super Papa auctoritatem.

Hic agendum est pro Schelestrati argumentis vindicandis, quibus Concilij Constantiensis Decreta, quatenus Synodi Generalis super Papa auctoritatem sanxerit prætenduntur, efficacissimè confutat.

ARGUMENTVM I. Schelestrati.

Hic Vaticanæ Bibliothecæ Praefectus ab Elliesio inducitur primò contendisse, *Sess. 10. Constantiensis Decretum vitiatum*: quippe cum istud in suo primævo & genuino statu, hisce duntaxat constet verbis; *Quod nempe Synodus Constantiensis in Spiritu S. legitime congregata, ita esset representans universam Ecclesiam, haberetque potestatem suam immediatè à Christo, ut ipsi quilibet, cujuscunque status, vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire teneatur.* Nam si ipse etiam Papa nominatum teneatur obedire Concilio Generali, universam Ecclesiam representanti, fore indubitatum, quòd major Concilij, quàm Papæ sit auctoritas. Quare inutile esse, quòd Schelestratus conetur ostendere, sequentia de reformatione verba esse adjecta, dum non minus ex præcedentibus constat Concilij Generalis supra Papam auctoritas.

Exceptiones Elliesianæ.

Excipitur primò, Etiamsi *Sess. 10. Decretum* nonnihil additum esset, nihil inde licet resortaturum Schelestratum, cum, ipsomet haud diffidente, certum sit, eadem omnino verba haberi *Sess. 10. V.* cui nihil adjectum dici posse, quippe cum ubique in ipsis etiam manuscriptis ab eo laudatis, verba illa repetantur. In ejusmodi namque actis ubi nar-

ratum fuisset, *Sess. 10. V.* capitulum præteritum editum fuisse istis verbis, & ad reformationem &c. postea narrari *Sess. 10. V. actum fuisse super correctione & emendatione capitulorum in præcedenti Sessione statutorum, & conclusum esse, quòd supradicta capitula hoc modo corrigerentur.* Si ergo fides habeatur ipsis actis à Schelestrato prolatis, in ipso Concilio Constantiensis reformatum fuisse Decretum *Sess. 10. V.* & cum prius sine istis verbis, & ad reformationem &c. prodijisset, postea ab ipsa Synodo fuisse cum ijs verbis editum. Non ergo esse, quòd Schelestratus Patres Basileenses reos peragat ejus additamenti, utpote quòd ab ipso Synodo Constantiensis factum sit: uti docent acta per ipsum probata.

Secundò. Dato etiam, à *Sess. 10. V. Decretum* abesse isthæc verba: *In ijs, quæ spectant reformationem Generalem Ecclesie in Capite & in membris.* Nihilominus Concilij Generalis supra Papas auctoritatem satis & abundè stabiliri præcedentibus hisce verbis: *Quod scilicet ipsa Synodus in Spiritu S. legitime congregata, Generale Concilium faciens, Ecclesiam Catholicam militantem representans, potestatem à Christo immediatè habeat, cui quilibet, cujuscunque status, vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire teneatur.* Nam si ipse etiam Papa nominatum teneatur obedire Concilio Generali, universam Ecclesiam representanti, fore indubitatum, quòd major Concilij, quàm Papæ sit auctoritas. Quare inutile esse, quòd Schelestratus conetur ostendere, sequentia de reformatione verba esse adjecta, dum non minus ex præcedentibus constat Concilij Generalis supra Papam auctoritas.

Tertiò. Illam præsentem verborum adjectionem nullatenus esse verisimilem. Quia id asseritur contra universam Concilij Constantiensis editionum fidem, imò & contra fidem manuscriptorum omnium, juxta quæ recentia sunt illæ editiones, in his enim omnibus habetur decretum *Sess. 10. V.* cum hac additione, & ad reformationem &c. Quòd verò in quibusdam non habeatur vox *ad fidem*, nihil conducere ad Schelestrati propositum. Idem asseri contra fidem plurimorum optimæ notæ, antiquissimorumque Manuscriptorum in Bibliothecis occurrentium, etiam eorum, quæ fortè ante Basileensium Patrum collectionem sunt conscripta. His quòd opponat Schelestratus, non habere, nisi quòd proferrataliquot Manuscripta, de quorum antiquitate non constet, quæque deprompta sint è loco suspecto, urbis Romæ Bibliothecis, in quarum Manuscriptis pleraque eorum, quæ Curia Romanæ placitis ad versabantur, certò & indubitanter sint erasa, aut omissa. Sed dato, ita industrià factum non esse, ut tamen facilius fuisse, verba illa in quibusdam Manuscriptis omitti, quàm suppleri in alijs.

Quarò. Additamenti illius rationem à Schelestrato adjunctam non tantum fictitiam, sed planè absurdam esse. Quis enim credat, Basileenses Patres de industrià Constantiensis *Sess. 10. V.* inseruisse illa verba, aut si inseruissent, à nemine fuisse animadvertum eo tempore,

pore, quo Concilij Constantiensis actorum recens adhuc erat memoria? Quis putet, eos gratis eam fraudem admisisse, cujus statim ab omnibus argui, atque convinci potuissent? Cui bono ista *Sessio IV.* adiecissent, cum eadem prorsus reperirent *Sessione V.* cujus non minorem auctoritatem esse arbitrabantur? Ergo sine illo fundamento Patribus Basileensibus impingi illam additionem.

Refutatio istarum Exceptionum.

22. **P**rimo. Exordiendo à sine Elliesianæ exceptionis ex gestis Concilij Constantiensis desumptæ, facile expeditur ista circa adjectionem illam controversia. Fatetur namque is Parisiensis Theologus, ubi in ejusmodi gestis narratum fuisset *sessio IV.* capitulum istud editum esse sine hujus verbis, & ad reformationem &c. Postmodum narrari ait *Sessione V.* actum fuisse super correctione, & emendatione capitulorum in precedenti sessione statutorum, & conclusum esse, quod supradicta capitula hoc modo corrigerentur. Nunquid igitur hinc evincitur, *Sessio IV.* Constantiense Decretum, eatenus fuisse reformatum in *Sessione V.* ut, cum prius sine istis verbis, & ad reformationem &c. prodijisset, postea decretum *Sessio V.* cum ijs verbis editum fuerit? Et hoc ipsissimum est, de quo rei peraguntur Patres Basileenses, quod additamentum in *Sessio V.* decreto factum, transtulerint etiam in Decretum *Sessio IV.* plurimum enim interesse, an illorum verborum adjectio in *Sessione duntaxat quinta*, vel etiam in *Sessio quarta* Decretum facta fuerit, ex subsequentibus patebit.
23. **S**ecundo. Hinc prius evanescit *tertia* Elliesij exceptio contendens, verborum illorum additionem in Constantiensi *Sessio IV.* decreto nullatenus esse verisimilem, coarguentisque Schelestratum, ac si eam assereret contra fidem omnium Concilij Constantiensis editionum, atque scriptorum universorum, ad quæ recensita sunt illæ editiones, quippe cum in istis omnibus habeatur præactæ *Sessio IV.* Decretum cum hac additione, & ad reformationem &c. Verum ad hæc retundenda, ponimus in primis ob oculos verba Bullæ à Patribus Basileensibus anno 1442. editæ, ad fidem suæ actorum Constantiensium compilationi conciliandam: ubi ita decernitur, ut præfatis Concilij Constantiensis *Sessio IV. & V.* editis Decretis ac gestis &c. plenaria fides adhibeatur, perinde ac si Bulla ejusdem Constantiensis Synodi bullata forent &c. An non hinc perspicuum evadit, Decreta illa Constantiensia nullum habuisse ante compilationem Basileensium ex aliquo Synodi Constantiensis instrumento fidei publicæ monumentum. Ostendat igitur Elliesius, quando, & in quantum ex post facto adjectio Decreto *IV. Sessio* Constantiensis inserta, acceperit aliquod probatæ fidei momentum? Non apparerit aliud, nisi ex transumpto ab exemplari præactæ compilationis authentico facto anno 1490. quando Joannes Huober ex Inderdorf SS. Theologiæ Baccalaureus illud propria manu descripsit, ejusque Copiam cum Originali

Pag.
276. n.
9.
20.

convenire, sub fide Notariatus publici, testatus est Mathias Stribach auctoritate Apostolicæ Notarius. Ad cujus proinde Copiæ cum Originali collatæ fidem, anno 1500. typis prodijt Constantiensis Concilij editio. Huic conformiter facta fuit compilationis Basileensium posteriorum editionum propagatio, tum quæ anno 1511. operâ Ferrerij Vicentini, tum quæ annis 1524. & 1535. curâ Merlini Sorbonici, uti & anno 1530. Colonix typis prodijt Quentelianis; cui concordat etiam, quam Petrus Crabbe anno 1538. novam Conciliorum collectionem faciens edidit. Concordat etiam collectio Conciliorum anno 1588. Venetijs, & anno 1628. Romæ cum reliquis posterioribus Conciliorum collectionibus edita.

In quibus universis notatu dignum est, præinsinuatam Bullæ Basileensium partem, unâ cum testimonio Notarij Apostolici superius relato, semper subnecti; certo placet argumento, decreta Constantiensia, prout ab universis illis editionibus referuntur, à Basileensibus compilata fuisse. Quomodo igitur Elliesius cum veritatis ratione explorare potuit Schelestrato, ac si adjectionem verborum ad reformationem in manuscriptis Synodo Basileensi anterioribus prætermisam, contra fidem omnium Concilij Constantiensis editionum impugnaret? Ipsemet profectò Elliesius nullum adstruere potest Exemplar manuscriptum Basileense collectione antiquius, dum non nisi dubitanter asserit, forte quæpiam manuscripta in Bibliothecis occurrentia, conscripta fuisse ante Patrum Basileensium collectionem: cum e contra Schelestratus antiquiora, ab ipsis etiam Constantiensis Concilij Notarijs conscripta, vel sub illis temporibus exarata producat ad probandum, in primarijs præacti *Sess. IV.* Constantiensis Decreti editionibus non fuisse inserta illa verba, ad fidem & ad reformationem Ecclesiæ in Capite, & in membris. Unde jam facile elucet, an Elliesio, vel potius Schelestrato in re præfenti fides adhibenda?

Ad quod firmandum *tertio* reproducere placet, quæ Schelestratus in hanc rem poluit ob oculos. Hæc enim Elliesius ne tetigit quidem, nedum refutavit. Tres nempe Codices Manuscripti, continentes acta Constantiensis Concilij à Notarijs ipsius conscripta, ex quibus Basileenses Decreta compilantur, non habent illa verba in primo Decreto *Sess. IV.* Et ad reformationem &c. Codices quatuor manuscripti, continentes gesta indubitata Constantiensis Synodi, quorum duo circa ipsius Constantiensis Concilij tempus conscripti sunt, pariter in Decreto *Sessio IV.* non faciunt mentionem illorum verborum de reformatione &c. Imò in uno ex istis codicibus habetur, clausulam illam de reformatione abesse debere à Decreto i. *Sess. IV.* ideoque illud Decretum renovatum fuisse in *Sess. V.* Duo insuper codices Regestum actorum Concilij Constantiensis continentes, partim circa tempus ipsius Concilij, partim antiquo characterè Italico conscripti, nullam in Decreto *Sessio IV.* faciunt mentionem clausulæ de reformatio-

ne in Capite & in membris. Nam ergo Elliesio fas erat, dicere, Schelestratum aliquot tantum Manuscripta proferre, de quorum antiquitate non constet? Num eidem licuit, Curie Romanæ Ministros arguere, ac si præfacta verba ex Manuscriptis antiquioribus erassissent?

26. Sed videamus pro quarto. Quo fundamentum idem Elliesius asserat, nihil ad propositum Schelestrati conducere, quod in quibusdam Manuscriptis primam quartam Sessionis Concilii Constantiensis Decretum referentibus, non habeatur vox ad fidem? Ad hujus rei momentum ostendendum, sciscitor ex Elliesio, an Decretum illud IV. Sessionis, velit esse indubitata veritatis ad instar dogmatis à Concilio Oecumenico definiti? Hoc asserere, pugnat profecto cum verbo Christi Matth. 18. infallibilitatem Decreti Conciliaris, ex consensu duorum, vicarij scilicet Christi Nominis, & Patrum sub hoc Nomine, Papæ proprio, aggregatorum substitutionem decernentis. Constat autem, decreto primo Sess. IV. Constantiensis defuisse characterem Apostolicæ auctoritatis, Christum in terrâ visibiliter representantis. Ad quod proinde utique respexit Synodus pro tunc acephala, ut nollet se extendere ultra negotium extirpandi schismatis, vel saltem in Decretis fidei Hussitarum hæresion condemnatorijs, intenta fuerit ad assensum auctorizatum Papæ postmodum eligendi, cum Papæ pro tunc inter se contententes, haud præferrent certum auctoritatis Apostolicæ characterem Christi vicarium. Et ideo sub illis verbis, quod Synodo (licet acephala) in Spiritu tamen sancto legitime congregata, quilibet, etiamsi Papalis dignitatis existat, obedire tenentur in his, quæ pertinebant ad extirpationem schismatis, comprehendit haud poterat verus ac certus postmodum eligendus Papa, sed schismatici duntaxat pro tunc de Papatu contententes Papæ. Quæ proinde ratione Concilij Constantiensis Patres prudenter discernebant negotia tum extirpationis schismatis adversus dubios Papas, tum fidei, adversus Hussitas gerenda & definienda, ac per Pontificem certum postea auctorizativè comprobanda, quatenus fidei punctum attingebant.

27. Quinto. Num potest solida dici potest Elliesij exceptio secunda, quæ contendit, auctoritatem Concilij Generalis supra Papas stabiliri hisce decreti Constantiensis verbis: Quod nempè ipsa Synodus in Spiritu sancto legitime congregata, Generale Concilium faciens, Ecclesiam Catholicam militanter representans, potestatem à Christo immediate habeat, cui quilibet, cuiuscumq; status, vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenentur? Si isthæc verba combinentur cum subsequentiibus dicti Sessionis IV. Decreti verbis, planum redditur, eam obedientiam, quatenus Papam concernit, restringi ad extirpationem Schismatis. Sub illo autem schismate nullus extabat Papa indubitatus. Quare exceptio Ellefiana indebitè extenditur ultra Papas dubios, illo schismatis tempore existentes. Quos proinde, non verò certum deinceps eligendum Papam, dicere, oportet,

ita teneri ad obediendum Concilio Generali, etiam acephalo, universam Ecclesiam (quoad Hierarchicum ex Episcopalis characteribus & jurisdictionibus pro publico Ecclesiæ Bono in unum collatis consistens Corpus) representanti, ut consequenter major sit hujus auctoritas, quàm Paparum dubiorum, non autem Papæ certi & indubitati.

28. Nec pro sexto tenet prima & quarta Elliesij exceptio ex eo petita, quod verba Decreto Sessioni IV. adjecta, continentur in Decreto Sessioni V. Concilij Constantiensis, quodque non minor sit auctoritas hujus V. Sessionis, quàm præfactæ Sessionis IV. Hujus namque oppositum mox demonstrabitur sequenti Schelestrati argumento.

ARGUMENTUM II. Schelestrati,

29. Inducitur hic Vaticanæ Bibliothecæ Præfatus, Decreti Sess. IV. Concilij Constantiensis auctoritatem ex subsequenti Sessioni V. decreto supervenientem elevare & elidere hoc argumento: quod decreta Sessionis V. non fuerint facta ex omnium Patrum consensu. Ad quod probandum, proferri ab ipso acta quædam Concilij Basileensis hæc ulque inedita, quibus ostendere conetur Sessiones IV. & V. celebratas fuisse, reclamantibus multis è Patribus, imò & Libellum contestatorium adversus eas à Cardinalibus esse emissum, assentientibus Regis Galliæ Legatis, qui sese Cardinalibus adjunxerunt.

Exceptiones Elliesianæ.

30. Excipitur primò. Acta illa, quæ profert Schelestratus, non esse authentica, nihilque simile haberi in veris & genuinis: imò ex ijs constare, unanimi Cardinalium, Episcoporum, & Oratorum consensu, decreta hæc primò Nationaliter proposita, synodaliter esse conclusa. Etiam si verò fides aliqua adhiberetur actis à Schelestrato prolatis (quæ aliud non esse, quàm commentarios alicujus additi partibus Pontificis) hæc tamen acta nihil facere ad causam Schelestrati; quippe cum ex ijs minimè probetur, litem & controversiam fuisse de duobus decretis, de quibus hic agitur: imò inter eos, qui Sessionis celebrationi sese opponebant, numerari Legatos Regis Franciæ, quos decretis istis sese opposuisse, planè absurdum esse: sed ex ijs ostendi tantum, post discessum Papæ quosdam è Patribus Constantiensibus dubitasse, num expediret, eo absente, & reditum promittente, inchoare Sessionem, sic enim incipere actorum istorum fragmenta à Schelestrato prolata: Omnia tanquam ludicra, & fidè pro parte Domini nostri Papæ oblata, per Dominum Regem Romanorum, & alios ibidem adstantes reputata fuerunt, sicut, unanimiter vociferatum, bis non obstantibus: Fiat Sessio, fiat Sessio, propter quæ tam ipsa die, quàm die Veneris sequenti altercationes maxima fuerunt inter Dominos Cardinales & Nationes. Ex quibus patère, atque ex actis authenticis confirmari, Joannem discessus sui

varias attulisse excusationes, quarum unam fuisse, quod sanitatis ergo Constantiâ discessisset, mox rediturus. Quæ excusationes, licet statim ludicræ, ac fictæ omnibus esse viderentur, nihilominus fuisse nonnullos, qui expectandum adhuc esse, arbitrarentur.

31. *Secundò.* In iisdem actis narrari, Nationes de celebrandâ Sessione deliberasse, atque interim Cardinales obtulisse Regi, paratum esse Papam, Procuratores mittere ad cedendum Papatu, paratosque se esse, Sessioni, si fieret, adesse, dum non fierent alia capitula, quam infra scripta, hoc est ea, quæ habentur *Sessione IV.* inter quæ esse decretum de autoritate Concilij Generalis. Hæc capitula Regem Nationibus proposuisse, quas, cum de ijs deliberassent, habitâ die sabbati Sessione, post habitam disceptationem inter Cardinales & Nationes de capitulis jam prælibatis, tandem Divino flamine inspirante (verba sunt actorum) in unam sententiam convenisse, quod tantum capitula infra scripta in dictâ Sessione staturerentur. Fuisse ergo dictam sessionem de consensu & voluntate Domini Regis, & omnium Dominorum Cardinalium in Constantia existentium, quatuor Nationum, & Oratorum Regum, omnësq; Cardinales in Constantia existentes, qui non erant infirmitate gravati, interfuisse.

32. *Tertiò.* Tantum abesse, ut hæc narratio suæ causæ obsit, & Scheletrato faveat, quin e contra non pauca contineat, quæ mirum in modum juvent suam causam. Ex ea enim constare, ab ipsis Cardinalibus proposita fuisse capitula, quæ in Sessione sunt definita: insuper eadem esse ventilata apud singulas Nationes, esseque cum Cardinalibus circa ea deliberatum, ac demum omnes uno flamine inspirante, in unam convenisse sententiam, atque unanimi consensu promulgata esse decreta *quarta Sessionis.* Inter hæc autem esse primum de autoritate Concilij Generalis; in quo decreto, etiam si non habeantur hæc verba, & ad reformationem Ecclesiæ &c. sufficere ea, quæ præcedunt, ad probandum, *authoritatem Concilij Pontificiâ superiorem esse.* Unde patere, rem definitam fuisse post maturam deliberationem, & primum Nationaliter, ac deinde Synodaliter esse conclusam. Post hæc, eum adhuc de capitulis Sessionis esset altercatum, non quidem quoad ipsam substantiam, sed quoad quasdam circumstantias, tandem unanimi consensu statutum esse, ut corrigerentur eo modo, quo habentur *Sessione quintâ.*

Refutatio istarum Exceptionum.

Veritatis mox elucidandæ face haud difficulter dispellentur tenebræ, quas hic parit confusio actorum, quæ concernunt *quartam & quintam Concilij Constantiensis Sessiones,* earumque præambulas altercationes. Quod confusum chaos destruemus proinde per authentica à Scheletrato prolata acta, exordiendo ab altercationibus *Sessionem IV.* antecedentibus.

33. *Primo* igitur post *tertiam Concilij Constantiensis Sessionem* Cardinales ad Joannem

XXIII. post ejus fugam missi, cum reverfi die 26. Martij coram Rege Romanorum, & quibusdam Patribus agere cœpissent de potestate Joannis XXIII. auctoritatem dissolvendi Concilij sibi met assententis, gravem inde quorundam Patrum offensam contra se suscitabant. Quam offensam alterâ die tam ipsi, quam Ambassiatores Regis Francorum lenire conabantur, referendo Nationibus & Regi in Congregatione publica; à se inductum esse Joannem ad dandum cessionis procuratorium, & continuandum Concilium, & non fugiendum ad loca remotiora, dummodò ipsi præstaretur securitas. At hæc parum fuerunt accepta Nationibus & Regi, omnia enim tanquam ludicra & fictæ pro parte Joannis oblata credebantur. Unde multa altercationes tam eâ ipsâ die 27. scilicet, quam sequenti 28. fuerunt inter Dominos Cardinales, & Nationes, fuitque ibidem exclamatum: *His non obstantibus, fiat sessio, fiat sessio; veluti habent gesta Concilij in quatuor manuscriptis codicibus, & Regestum ejusdem Synodi in tribus Manuscriptis.* Juxta quam proinde relationem historicam eatenus conformanda est, & sustinenda prima Ellielij exceptio, ut tamen in *secunda* ejusdem exceptione, meritiò veniat notandum, perperam indicari, ac si Cardinales tunc se obtulissent paratos interesse Sessioni, si non alia fierent capitula, quam ea, quæ postmodum *Sessione IV.* fuerant sancita de auctoritate Concilij Generalis. De hoc enim puncto mox disseremus.

Secundò itaque. Cum sequenti 28. die Martij sacrâ Parasceves die, Joannes XXIII. à Schaffusâ de novo aufugisset, turbatis contra ipsum cunctorum animis, plures ex Nationibus Germanicâ, Gallicâ & Anglicanâ deliberarunt in crastinum celebrare *Sessionem quartam,* & in eâ statuere inter alia complura; tum quod Concilium Constantiense postquam habeat immediatè à Deo, cui etiam papa obediens teneatur in his, quæ spectant ad fidem, extirpationem schismatis, & reformationem Ecclesiæ in Capite & in membris: tum quod Papa cogi possit, si obedire contumaciter contempserit. Quæ omnia contradicentibus pluribus apud Nationes conclusa fuere. At quia non Italica tantum Nationi hæc displicebant, sed sacro quoque Cardinalium Collegio ad deliberandum oblata non fuerant, nolebant dicti Cardinales, unâ cum Ambassiatoribus Regis Galliarum, venire ad Sessionem, nisi inter alia Capitula secundum ommitteretur, & in primo decreto non fieret mentio reformationis Ecclesiæ in Capite & in membris. Ex præcitatâ manuscriptis gestis, & Regesto Constantiensis Concilij, Eugenii IV. in sua Apologia contra Basileenses, & Turrescremata lib. 2. de Ecclesiâ cap. 99. Ex quibus patet, quam iniquè asserat Ellielius, decretum de auctoritate Concilij Generalis super Papam, unâ cum alijs capitulis eo modo fuisse rata habita in *IV. Sessione,* quomodo fuerant proposita & conclusa à Nationibus. Hujus enim oppositum mox elucescet.

Tertiò proinde. Cum sublequente Sabbato sancto in Vigilia Paschæ, Patres jam præ-

rai essent cum Mitris & Pluvialibus ad celebrandam Sessionem IV. mediante Rege Romanorum, circa expedienda in illa Sessione, tale adhibitum fuit moderamen, ut inter cetera decreta omitteretur secundum de potestate coactiva Concilij, & in primo Decreto nulla fieret mentio de reformatione Ecclesie. Quod re ipsa etiam observatum fuisse, testantur omnes Codices manuscriptorum Romae reperti, & in præcedentis Elliesianæ exceptionis refutatione relati, præter alios omnes in Bibliotheca Cesariæ Viennæ, vel alibi insuper in Germaniæ & Galliæ Bibliothecis asseravatos. Unde rursus evanescit focus Elliesij, quem ostendit in sua secundâ exceptione, quasi omnes uno flamine inspirante, cum Cardinalibus convenissent, & approbassent decreta Sessionis IV. Hoc enim verum est sub præinsinuata emendatione, & omissione tum secundi decreti, tum clausulæ ad reformationem Ecclesie. Quod ipsemet Elliesius, sibi de hujus clausulæ omissione reverâ contrarius, fieri compellitur in præfacta exceptione sua.

36. Hinc quartò. Necquidquam juvat isthunc Parisiensem Theologum, dum ibidem ait, ad probandam Concilij auctoritatem Pontificiâ superiorem, sufficere ea, que præcedunt. Etenim statibus illis omissionibus, manifestum redditur, omisso præsertim secundo, primam Sessionis illius decretum coarctari ad Papæ obedientiam debitam duntaxat in ordine ad extirpationem schismatis. At hoc posito, clarum extat, statutum ejusmodi completi Papam pro tempore Schismatis, adeoque dubium & incertum. Unde verba quoque præcedentia, quibus Synodus Constantiensis dicitur in Spiritu S. legitime congregata, Generale Concilium facere, Ecclesiam Catholicam militantem representare, nequeunt intelligi, nisi de Concilio acephalo, celebrato scilicet pro tempore, quo Oecumenici Concilij formali characterè Papæ proprio insigniti haudquaquam poterat, sicque adeo materialiter duntaxat Generale fuerat, nec nisi acephalum Ecclesie Catholice Corpus Hierarchicum representaverat. Et hinc portus evincitur, illud IV. Sessionis decretum protendi haudquaquam posse ultra tempus Schismatis, sub quo Synodo etiam acephala competere à Christo immediatam potestatem ex vi & naturâ intrinsicâ characterum Episcopaliū ibidem coadunatorum, Ecclesie providendi de certo Capite, sublatâ incertitudine Paparum de Apostolicâ Sede contendentium, constat ex antecedentibus.

37. Ad dictarum clausularum omissionem magis firmandam, pro quinto conducit sequens adhuc relatio. Nempe cum Cardinalis Florentinus, ad quem tanquam ad ultimum Cardinalem spectabat, pronuntiare decreta in Sessionibus publicis, venisset ad verba de reformatione Ecclesie in Capite & in membris, quæ Nationes in schedula delere omiserant, substituit, eaz salsa esse & præter communem deliberationem addita asseruit. Unde non solum tunc omisa fuit clausula de reformatione, sed eadem Sessione IV. Cardinales monuerunt Nationes, ut suspenderent ad tempus materias

illas, quæ haberent magnas difficultates, & maturam exigent deliberationem; veluti tradunt Abbas Panormitanus in sent. finali. & Regestum Constant. Concilij, in tribus manuscriptorum codicibus. In tali ergo statu promulgatum est præactum Sessionis IV. decretum, ita ut obedientia Papæ in eo arctaretur ad præcisam extirpationem schismatis, nec adeo concernere posset, nisi Papas dubios, tempore schismatis illius magni existentes. Quomodo ergo Elliesius in fine tertie exceptionis præsentis prætereundere potest, dum illud Decretum postea correctum fuit ad modum, quo habetur in Sessione V. cum insertione scilicet clausulæ prius omisse de reformatione, nullam esse factam ejus emendationem quoad substantiam; tamen in vi hujus clausulæ conetur idem Doctor Parisiensis decretum ejusmodi extendere ad verum & indubitatum Papam, quod tamen, non nisi dubios Papas schismate divisos, ac de Papatu contententes, completi valet sub illa coarctatione, schismatis extirpationem unice respiciente.

ARGUMENTUM III. Schelestrati.

38. Inducitur hic Vaticanæ Bibliothecæ Præfectus ex hoc vim facere, quod Cardinales & Legati Regis Franciæ protestationem secreto fecerint (antequam venirent ad Sessionem V. in qua decretum IV. Sessionis fuit dicto modo emendatum) se tantum propter scandalum evitandum ad Sessionem ire, non animo consentiendi his, quæ audiverant, in Sessione statui debere: tum quod immutatio decreti in Sessione IV. editi, & ad schismatis extirpationem coarctati, non fuit sufficienter, sed aliquantulum deliberata: tum quod decretum sic immutatum Cardinalis Florentinus noluerit in Sessione quinta pronuntiare, sed ejus promulgatio facta sit per electum Poznaniensem.

Exceptiones Elliesianæ.

39. Excipitur primò. Protestationem præinsinuatam non posse dici factam fuisse adversus decretum de auctoritate Concilij generalis, cum Legati Franciæ huic sese adjunxerint, quos huic decreto sese opposuisse, omni carere verisimilitudine. Istam ergo protestationem factam fuisse adversus alia quædam, quæ in Sessione V. definienda esse, ferebantur: cum enim Sessio habita fuisset, & decreta emissa, nullam amplius protestationem esse factam adversus ea, imò hæc omnium consensu promulgata fuisse, & ab omnibus, nullo reclamante, probata.

40. Secundo. Quætionem illam de auctoritate Concilij novam non fuisse, ut indigeret multâ deliberatione, sed jam agitatam, atque definitam fuisse in Concilio Pisano, imò & in hac ipsâ Synodo Constantiensi jam esse motam, uti testis est Petrus de Alliaco. Constare insuper, quod capitula proposita, & decreta in Sess. IV. & V. fuerint inter Nationes primum ventilata, ac de ijs cum Cardinalibus diu disceptatum. Quod verò in actis habe-

fugam missi, cum
ram Rege Romanorum
us agere capissent
III. auctoritates
et asserentes, præter
um offensam contra
offensam contra
res Regis Franciæ
endo Nationibus de
publica; à se insinuat
ndum cessionis præ
ndum Concilium, h
remotiora, etiam
ritas. At hæc par
onibus & Regi, om
& sic pro parte
ur. Unde motus
à die 27. scilicet, p
inter Dominos Car
que ibidem eccl
; fuit scilicet, fuit
sily in quatuor man
sum ejusdem Synod
xta quam præced
tenus conformand
elliesij exceptio, ut
exceptione, merito
am indicari, ac
fuerint paratos
erent capitula, qu
V. fuerint facta
ali. De hoc cano

superioritas
concordia
M

tur, aliquoties esse disputatum, non ita intelligendum esse, quasi leviter res agitata fuerit, sed sensum esse, quod non propriè sit disputatum, aut altercatum, sed tantùm aliquatenus, sive, quod res ventilata sit sine disputationis æstu. Nec in actis Concilij haberi, quod Cardinalis Florentinus noluerit decreta dicto modo mutata recitare in Sessione, sed tantùm dici, ea fuisse recitata à Cardinali Poznanienti, quam promulgationem omninò suffecisse.

41. Tertiò. Quæ Cardinalium Florentini, Cameracensis & aliorum mens fuerit, & quæ ex causâ Sessiones prorogari voluerint, patèret etiam ex actis Concilij Constantiensis tom. 12. Conciliorum columna 25, tum etiam ex præcælatione ab ipsis emissâ post tertiam Sessionem ibidem columna 1464. Ex quibus monumentis liquèret, eos fuisse protestatos, si Joannes XXIII. vellet in proposito sese abdicandi permanere, se ab ipsius partibus futuros. Si verò secus faceret, se Concilio adhæsurus: atque idcirco petijisse, ut donec de ejus proposito liquèret, Sessiones differrentur. Quas tamen Concilium propter eam intermittere debere non existimasse, & Cardinales pro Bono pacis eis adfuisse: cum quæ cognovissent, Joannem XXIII. de industria moras necere, & Papatu cedere bonâ fide nolle, cum cæteris Episcopis adversus eam consensisse. Itaque nullam fuisse in Synodo altercationem de autoritate Concilij Generalis supra Papam, quam agnovisse omnes; sed tantùm fuisse altercatum de celebratione Sessionum, quas Cardinales nonnulli arbitrabantur, prorogandas esse, donec constaret de Pontificis sententiâ.

42. Quartò. Decretum de autoritate Concilij Generalis supra Papam, etiam ad reformationem Ecclesie in Capite & in membris, unanimi Patrum Concilij consensu factum fuisse; veluti apud omnes extet indubitatum. Sic Gersonem Patres Concilij alloquentem in sermone coram ipsis habito in festo S. Antonij, laudare Concilij Constantiensis Decretum, in quo hæc verba reperiuntur, & ad reformationem Ecclesie in Capite & in membris, itemque in sermone 21. Julij habito impensè laudare idem Decretum ceu saluberrimum, & dignum, quod ubique inscribatur. Quomodo ergo Gerson coram ipsis Concilij Patribus ausus fuisset proloqui de Decreto adhuc controverso?

Refutatio istarum exceptionum.

43. Ipsemet Elliesius in fine præcedentis tertij argumenti noscitur esse fallus, de Capitulis Sessionis IV. fuisse postea altercatum, eorumque correctionem esse factam eo modo, quo habentur in Sessione V. Hinc ergo oritur quæstio, primò, An hæc altercatio, & hinc secuta definitio facta fuerit ea cum deliberatione, quæ tanti momenti negotium deceret?

Secundò, an contra talem immutationem fuerit interposita protestatio Cardinalium, & Legatorum Regis Franciæ, tum antecedenter ad Sessionem, tum in ipsa Sessione, dum Cardinalis Florentinus noluit decreta sic mutata pronuntiare?

Tertiò, An his non obstantibus, dicere liceat, De-

cretum taliter mutatum, unanimi Patrum Concilij consensu receptum, atque autoritate Concilij super Papâ ab omnibus agnitam fuisse?

Circa primum lubeat primò audire Concilij Constantiensis Regestum in tribus manuscriptis codicibus, ex quo Schelestratus profert sequentia. Post quartam Sessionem, inquit, Patres Constantiensis non instituunt de articulis & Decretis controversis examen publicum, neque statuunt, coram ipso Concilio habendum: sed quasi de re parvi momenti ageretur, nominarunt aliquos, qui cum Cardinali Florentino desuper agerent: ubi tamen inter eos aliquoties disputatum est, deputati quatuor Nationum die 2. Aprilis inter alia multa statuerunt, quod proximâ Sessione omnes articuli & clausulæ concordatæ per Nationes, in ultima Sessione prætermittendæ expediantur. An non hinc evidenter patet insufficientia deliberationis, quam postulasset tanti momenti negotium?

Secundò. Elliesius equidem in sua secunda exceptione nititur, hanc oppositionem elidere, asserendo, quæstionem istam de autoritate Concilij novam non fuisse, sed jam agitam, atque definitam in Concilio Pisano, imò jam prius motam in ipsâ etiam Synodo Constantiensi. Verùm ex antecedenter dictis constat, Concilium Pisanum ex Parisiensis, aliorumque Universitatum sententiâ, sibi non arrogasse, nec definitæ autoritatem super certo Papâ, sed super duobus de Papatu contendentibus. Imò nequidem super istis deponendis iudicium sibi attribuisse, nisi quatenus probati fuerant schismatici, & præsumptivè heretici, quatenus scilicet articulum fidei de unitate Ecclesie non quidem dogmatizando, sed operando destruxerant. Neque hoc etiam iudicium tanta erat auctoritatis, ut totos Catholicos orbis acquiesceret, pluribus adhuc Provinciis Gregorium & Benedictum à Synodo illâ dejectos sequi pergentibus, virisque doctissimis, inter quos est D. Antoninus, ejus Synodi sententiam impugnantibus. Dum verò in Synodo Constantiensi ante Sessionem IV. mota fuit illa quæstio, Cardinalium, & Regis Franciæ Oratorum studio, Romanorumque Regis auctoritate evictum fuit, ut arrestaretur ad extirpationem schismatis, adeoque ad Papas dubios & incertos, uti patet ex anterioribus.

Hinc proinde pro tertio audiamus denudè Regestum Concilij Constantiensis in tribus manuscriptis codicibus, ex quo Schelestratus pergit sequentia proferre. Cùm nempe Cardinales nullatenus Nationibus consentirent quoad articulos & clausulas Sessione IV. prætermittendas, easque, se invitis, Sessione V. publicandas esse, percepissent, statuerunt primum, non venire ad Sessionem, sicut & quatuor alij Cardinales ad eam venire noluerunt. Ubi autem animadversum est, omnes sine publico scandalo, & periculo dissolutionis Concilij, abesse non posse, statuerunt ad Sessionem venire, præmissâ tamen protestatione secretâ in Camerâ paramentorum Palatii Constantiensis, quod propter scandalum evitandum

randum, ad Sessiones ibant, non animo consentien-
di his, quæ audiverant, in ea statui debere. Ean-
dem protestationem fecerunt quoque Legati
Regis Galliarum, qui sese quam strictissimè cum
Cardinalibus conjunxerant. Unde manifesta
jam redditur protestatio illa, de qua procedit
nostrum secundum quaesitum. Pater insuper,
quam incompetenter Eliesius in prima sua præ-
fati exceptione asseverarit, omnium consensu
promulgata, & ab omnibus, nullo recla-
mante, probata fuisse Sessionis V. Decreta, cum
clausulis præallegatis reformata: siquidem
contra totius sacri Cardinalium Collegij, &
ipsorum Galliarum Legatorum sententiam no-
scentur publicata fuisse Decreta, quæ Adver-
sarij contendunt intelligenda de Superioritate
Concilij, & habenda instar fidei dogmatum.

Quartò. Protestationem ejusmodi elude-
re nititur Eliesius in sua prima & tertìa excep-
tione præ tendendo, omni carere verisimilitudi-
ne, tum quòd Legati Franciæ sese opposuerint
Decreto de auctoritate Concilij Generalis supra
Papam: tum quòd Cardinales, præcipuè Florentinus
& Cameracensis, protestati sint, de Joannis
XXIII. partibus deserendis, si nollet permanere in
proposito sese abdicandi Papatu, instando proinde,
& protestando, ut Sessiones differrentur, donec de
ejus proposito liqueret. Verùm ad has excep-
tiones fortius elidendas, sciscitor ex Eliesio: u-
trum Concilij supra Papam superioritas eo
jam tempore in tantum fuerit propugnata
vel à Clero Gallicano, vel ab ipso Rege Fran-
ciæ, ut hujus Legati non auderent protestari
adversus Decreta, quæ viderentur talem Con-
cilij auctoritatem statuere? Numquid enim
posterioribus etiam temporibus, Raynaldo
ad annum Christi 1541. teste, Meldensis Epi-
scopus in Concilio Florentino, Regis Chri-
stianissimi & Gallorum nomine, supremam
potestatem in uno supposito Papâ fuit profes-
sus, detestando illos, qui eam collocantes
in Concilio, scinderent unitatem Catholicam?
Nonquid nomine Christianissimi Regis sa-
crofancto Concilio Lateranensi publicum &
authenticum porrectum est instrumentum,
de eo comprobando, in quo tamen expres-
se extat definitum, Papam esse supra Con-
cilium Generale? Vana igitur est illa Eliesia-
na exceptio ac præsumptio, ac si Legati Fran-
ciæ non ausi fuissent, se adungere protesta-
tioni editæ adversus Decretum Constantien-
sis Concilij Sessionis V. Mirum insuper est,
quòd Eliesius ea, quæ circa Sessionem V. di-
cti Concilij sunt gesta, conetur eludere per
acta Sess. III. quæ ita se habent.

48. Exacerbatis nempe ob Joannis XXIII.
fugam Patrum Constantiensium animis, cun-
cta, quæ pro illo offerebantur, figmentorum
instar habita sunt. Hinc feriâ tertiâ post Pal-
mas, quæ fuit 26. Martij, celebrata est Sessio
III. cui non interfuere, nisi duo Cardinales, Ca-
meracensis nimirum & Florentinus, reliquis
omnibus aut Schismate constitutis; aut inde-
corum reputantibus, eidem assistere, uti
fidem faciunt acta Viatorina Parisijs asservata.
Statutum fuit in illâ Sessione, Concilium Con-
stantiense per recessum Joannis XXIII. dis-

solutum non fuisse, sed nec dissolvi debere
ante extirpationem schismatis, nec ad al-
ium locum sine consensu Concilij transferri
posse, nemini demum sine justa causa ante
finem Concilij discedere licere. Quæ omnia
Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracensis,
& Franciscus Zabarella Cardinalis Floren-
tinus non aliâ ratione publicari permiserunt,
nisi sub conditione, quòd Joannes XXIII. ea
ratificaret. Ex Regesto Constantiensis Concilij, &
manuscripto codice Capranicensi. Num igitur
Eliesio fas fuit, ex istis actis tertiam Concilij
Constantiensis Sessionem concernentibus,
eludere protestationem à Cardinalibus, non
his duntaxat, sed toto sacro Collegio factam
adversus molimina, quibus Nationes inten-
debant, Sessionis V. Decretum reformare ex
adjectione clausularum, adversus quas prius
in Sess. IV. egerant iidem Cardinales, Fran-
ciæque Legati.

Ad hæc magis firmanda, quindò pergamus
ad recensendâ ulteriora Constantiensis
Concilij gesta ex quatuor manuscriptis codici-
bus, unâ cum actis Protonotariorum in tribus Ma-
nuscriptis. Præmissâ illâ scilicet protesta-
tione, Cardinales venerunt ad V. Sessionem, &
inter eos Cardinalis Florentinus, Canonista-
rum sui temporis facili princeps, ad quem
tunc spectabat Decretorum publicatio, qui ro-
gatus, ut Decreta legeret, munus illud ex-
qui recusavit. Electus itaque Poznanien-
sis legit Decreta per modum Constitutionum Synoda-
lium, quia Cardinalis Florentinus ea legere no-
luit. Postquam autem Decreta per modum
constitutionum recitasset, idem electus Poz-
nanien-
sis legit alia in materia fidei contra Hæ-
reles V. Vicleffi, Hus, & Hieronymi de Praga.
Quibus ita se habentibus, rursus percontor
ex Eliesio, quo jure dicere potuerit in quarta
sua exceptione, Decretum de auctoritate Concilij
Generalis supra Papam etiam ad reformationem
Ecclesie in Capite & in membris unanimes
Concilij consensu factam fuisse, atque hoc semper a-
pud omnes indubitatum fuisse?

Hinc ergo pro sexto progredimur ad elu-
cidandum tertium quaesitum nostrum, an sci-
licet Eliesius cum veritate dicat, Decretum
de auctoritate Concilij Generalis supra Papam, unanimes
Patrum Concilij consensu factum esse etiam
cum clausula ad reformationem Ecclesie in Capite
& in membris? Ex dictis superius jam extat
probatum, Collegium Cardinalium haud con-
sensisse in illud Decretum, sed unâ cum Fran-
ciæ Legatis restituisse, protestando etiam in
contrarium. Refert insuper Rodericus Cala-
guritanus Episcopus in Dialogo de auctoritate
& potestate Pontificis, se audivisse à magnæ
auctoritatis viris, qui Concilio Constantien-
si interfuere, quòd contra Decreta Sessionis
V. reclamaverint complures Prælati & Docto-
res. Id ipsum affirmat Cardinalis Turrecer-
mata lib. 2. de Eccles. cap. 99. quòd plures
scilicet Patres doctissimi Decretis illis non
præstitissent consensum suum. Et quidem
ad perpetuum Cardinalium dissensum pro-
bandum, confert vel maxime, quod refertur
in manuscripto codice Bibliothecæ Regiæ
Christi-



Christianissimi: nempe post recessum Ioannis XXIII. petiisse à Nationibus Cardinales Romanæ Ecclesiæ, ut ipsorum Collegium unum votum cum ipsis haberet in Sessionibus publicis: in quo tamen repulsam passos esse, testatur Spondanus, probaturque ex gestis Concilij ita se habentibus: In omnibus penè Decretis Concilij factum est, Cardinalibus ita arcto & brevi tempore ostensa fuisse, quæ decernebantur in Nationibus, ut non fuerit in eorum potestate, sufficienter deliberare: unde plures Cardinales conquestos esse de contemptu: & finaliter petiuisse, cum essent in Concilio quatuor Nationes, una Angliæ, in qua non erant viginti Capita, de quibus tres solummodò extiterant Prælati, e contra verò Cardinales essent sexdecim, & alij intersaturi, de quibus plures magni & insignes fuerant Doctores, ut propterea Cardinales ob dignitatem Collegij haberent vocem & auctoritatem tantam, quanta permitteretur Nationi Anglicanæ. Quod tamen fuisse recusatum, & dictum: quod venirent ad suas Nationes, sicque ad eò Collegio Cardinalium nullam in Concilio permissam esse auctoritatem. Quomodò igitur fas est, dicere, illud V. Sessionis Decretum, in qua Cardinalitas dignitas a deo negligebatur, & quodammodò contemnebatur, cum Cardinalium consensu fuisse sancitum & promulgatum?

51. Quibus ita se habentibus, pro septimo ponimus ob oculos, quæ Scheletratus ex ætatis manuscriptis Constantiensis Concilij in Bibliotheca Regis Christianissimi asservatis, item & gestis ejusdem Concilij Romæ repertis in quatuor manuscriptis codicibus, in hæc profert verba: Letis Decretis tanquam prius (ante Sessionem IV. scilicet) apud Nationes deliberatis & conclusis, dicere quidem potuerunt Præsides, quod illorum publicatio placeret majori parti Nationum, non tamen Collegio Cardinalium. Cùm enim Cardinales post fugam Ioannis XXIII. frustra petiissent pro sacro Collegio suffragium à Nationum suffragijs distinctum, separarunt se à Nationibus, earumque Congregationibus interesse noluerunt. Unde factum est, quod Nationes sine Cardinalibus deliberarint, & concluderint; sicque à tertiâ Sessione, usque ad septimam inclusivè, penè in omnibus Decretis Concilij factum est, quod Cardinalibus tam arcto & brevi tempore ostensa sint decreta jam conclusa in Nationibus, ut non fuerit in eorum potestate, sufficienter deliberare, & in magnum contemptum habiti fuerint. Siccine igitur Ellieli, fas tibi fuit, dicere, quod apud omnes semper fuit indubitatum, Decretum de auctoritate Concilij Generalis supra Papam, unanimi Patrum Concilij consensu factum esse?

52. Sed pro octavo videamus, quomodò Ellieli hoc suum assertum probet argumento hinc petito, quod scilicet Gerson in duplici sermone alloquens Patres Concilij Sessionis V. Decretum impensè laudaverit, neque verò ausus fuisset ita proloqui de Decreto controverso, aut suppositivo? Verum quomodò recepti sint sermones Gersonis habiti in derogationem jurisdictionis Apostolicæ, fidem facit Regestum Actorum

Constantiensium in tribus manuscriptis codicibus. In primis occasione talis sermonis à Ioanne Gersonio die 23. Martij coram Patribus habiti, graviter conquestus est Ioannes XXIII. coram Cardinalibus, aliisque magnis viris ad ipsum Constantiâ Schaffusam ablegatis, quod nempe Gersonius contra Sedis Apostolicæ auctoritatem quædam effutire ausus fuerit, incitando Patres ad falsa & erronea contra Romanum Pontificem concludenda, Atque hæc querela apud Oratores Christianissimi Regis interposita effecit, quod eadem de re cum Cardinalibus egerint, ac se cum ijs conjunxerint, Decretisque contra Apostolicæ Sedis auctoritatem edendis obstituerint, & unâ cum Cardinalibus in contrarium protestati fuerint; prout ex Regesto, & manuscriptis Constantiensis Concilij, Romæ asservatis, item ex actis in Bibliotheca Parisiensi sancti Victoris custoditis, item Turrecrematæ lib. 2. de Ecclesia, videre licet. Quos postmodum sermones idem Gersonius coram Patribus Constantiensis Concilij habuit, interpretando Sessionis V. Decreta de superioritate Concilij, inferius dicitur, non eousque prævaluisse, quin plures ejus temporis Doctores Decreta illa restrinxerint ad tempus schismatis, tacito, & prætermisso impræsentiarum Martino V. Decreta Sessionis V. in illo saltem sensu minime recipiente, & propterea appellationem à Pontifice ad Concilium Universale reprobatæ.

Iam ante Concilium Constantiense plures Doctores Benedicti XIII. partes locuti sustinuerant, Romanum Pontificem in nullo, etiam schismatis casu, subijci Concilij iudicio. Sed hoc etiam misso, constat ex actis Concilij Pisani, quàm plurimos in Theologiâ Magistros, tam Episcopos, quàm Abbates, & Generales Ordinum, unâ cum potissimis Universitatibus eo tempore tradidisse, Pontificem etiam tempore schismatis viventem deponi non posse, nisi ob crimen hæresis, quam sententiam sequebatur ipsium quoque Pisanum Concilium. Post Synodi Constantiensis V. Sessionis Decreta noscitur ex actis Concilij Petri de Allaco Cardinalis Cameracensis sententiam fuisse, quod equidem Pontifex tempore schismatis pro pace Ecclesiæ obtinendâ, compelli possit à Concilio Generali. Cui sententiæ adhæsit etiam Zabarella Cardinalis Florentinus, ut nollet tamen auctoritatem Concilij, tempore etiam schismatis, extendi ad reformationem Ecclesiæ; velut ostendi potest ex gestis manuscriptis Constantiensis Synodi. Non deerant equidem ex Patribus Constantiensibus, qui resistebant, Concilio Generale Ecclesiæ sentens habere auctoritatem tempore schismatis, non solum ad procurandam unionem, deponendo illos, qui de Papatu contendunt, & ad judicandum de materia fidei, damnando eos, qui contra illam hæreses seminant, sed etiam ad reformandam Ecclesiam circa ea, in quibus tam membra, quàm Caput ipsam reformatione indigent. Verum Cardinalis Turrecremata lib. 2. de Ecclesia cap. 99. verbis hæc obsecris indi-

indicat, Decreta præinsinuata intelligenda esse de solo Constantiensi Concilio tempore schismatis celebrato: neque enim isthæc verba *super præmissis, seu ad ea spectantibus factis, vel faciendis* secundo Decreto adjuncta, aliud insinuant, nisi ut secundum Decretum referatur ad primum de solo schismatis tempore statutum. Posito igitur, Decreta *Sessiois V.* Constantiensis, unanimi Patrum Concilij consensu demonstratum fuit, necdum evincitur, Patres Concilij intendisse, definire & statuere auctoritatem Concilij Generalis super Papa certo, sed super Papis duntaxat dubijs tempore schismatis viventibus, & de Papatu contententibus.

ARGUMENTUM IV.
Schelestrati.

14. Inducitur hic Vaticanæ Bibliothecæ Præfectus, Concilij Constantiensis in Decretis illis condendis auctoritatem elevare tum ex eo, quod Decreta ejusmodi à Concilio sub unâ duntaxat Joannis XXIII. Obedientiâ sunt condita: tum ex hoc, quod aliter sensisse videantur Patres post tres Obedientias.

Exceptiones Elliesianæ.

15. Excipitur primò, Concilium vim & auctoritatem suam non habuisse ex Obedientijs trium Pontificum, quippe cum Joannes XXIII. fuerit legitimus Pontifex, à quo fuerat Synodus convocata, alios duos non extitisse legitimos, & ideo consensum illorum non fuisse requisitum ad convocationem, aut celebrationem Synodi. Quia porro Joannes XXIII. promiserat astrò cellurum se Pontificatu, potuisse Concilium tum auctoritate suâ, tum vi illius Sessionis agere & decernere. Nec opus fuisse, ut expectaret alias Obedientias. Unde ipsam Joannes *sess. XII.* & postea electum Martinum V. habuisse Concilium Constantiense pro Generali, & quæ ab ipso unius etiam Obedientiæ tempore fuerant Decreta, approbasse.

16. *Secundò.* Quod Patres Constantienses aliter senserint post tres Obedientias, probare tantummodò Schelestratum ex protestatione, quam post *Sessionem XXXVIII.* Cardinales unâ cum Nationibus tribus Italicâ, Hispanicâ, & Gallicanâ, adversùs Germanicam condidisse feruntur ante electionem Pontificis. At hoc nullatenus pertinere ad propositum, quippe cum illa tres Nationes conquestæ sint, differri electionem Pontificis legitimi, obtinendo proinde, ut Papa eligatur à Collegio Cardinalium, cum deputatis, aut deputandis à Synodo, protestandoque, si quid inde detrimenti Ecclesiæ accidat, se fore innocios, convenientius proinde esse, quod reformatio postponatur electioni Pontificis. Quæ tamen protestatione non obstante, reformationem non fuisse intermissam, rejectâ electione, donec tandem concordia inita est, eâ conditione, ut fieret Decretum, quo futurus Pontifex obligaretur reformare Ecclesiam in

Capite & Curia Romana, simul cum Concilio & deputatis à Nationibus. Quo Decreto facto, & Capitibus reformationis propositis, electum esse Pontificem Martinum V.

17. *Tertio.* Tantum abesse, ut hæc ostendant, improbatum esse à Synodo Decretum de auctoritate Concilij ad reformationem Ecclesiæ in Capite & in membris, ut contra hinc ostendatur, Patres in hac opinione semper persistisse. Sed hoc unum fuisse inter eos controversum, an expediret, ante reformationem eligere Pontificem, an verò ejus electio esset postponenda reformationi? Novi tunc autem inter partes convenisse, ut Pontifex eligeretur eâ conditione, ut priùs Decreto obligaretur, unâ cum Concilio Ecclesiam in Capite & Curia Romana reformare, nec non articulos reformationis ipsi à Synodo præscriptos observare. Anigitur ex illis probatur, Concilium derogasse ijs, quæ statuerat de auctoritate Concilij ad reformationem Ecclesiæ? An non potius inde ostenditur, Concilium ijs statutis semper adhæsisse.

18. *Quartò.* Unum quidem & alterum verbulum ex illa protestatione & concordia objici à Schelestrato. Quorum prius delimitur ex hisce protestationis verbis: *Licet assertis, sine vestro consensu & ordinatione Concilij, super modo, formâ, loco, tempore, & materiâ ad dictam electionem non posse procedi, obstantibus quibusdam hujus Concilij decretis, quibus tamen nos Hispanica Natio, etiamsi aliâ valida existent, non ligemur.* Unde ait Schelestratus, inferri, decreta priùs edita de auctoritate Concilij ad reformationem Ecclesiæ &c. non esse valida.

19. Verùm istud momentum, reponit Elliesius, esse omninò leve, cum Nationes non loquantur de decretis concernentibus auctoritatem Concilij ad reformationem Ecclesiæ in Capite & in membris, sed de decretis, quibus cavebatur, ne Pontifex fieret sine consensu Concilij, & eo modo ac tempore, quo esset referendum ad Concilium. Deinde istud dici tantum nomine Hispanicæ Nationis, quam in gratiam Benedicti XIII. cui favebat, potuisse hæc inserere protestationi. Denique protestationis hujusmodi nullam esse auctoritatem, cum præsertim res in Synodo fuerit postmodum definita, cui definitioni ipsos quoque Hispanos paruisse, concessisseque, ut unâ cum deputatis à Synodo fieret electio Pontificis.

20. *Quintò.* Alterum momentum ex illo instrumento Concordiæ obtendi à Schelestrato, quod ibi Natio Germanica inducatur, hanc reddidisse rationem, cur electio sit postponenda reformationi, quod scilicet Papa electus ligari non possit. At præcitatús Elliesius iterum reponit, non fuisse mentem Synodi, Papam ligari non posse per decreta Concilij, sed induci tantum Germanos hanc rationem afferentes ad procrastinandam ejus electionem, non quod reverà crederent, Papam ligari non posse decretis Concilij, sed quia timebant, ne ille semel electus reformationem pati, aut facere non posset. Quare priusquam eligeretur, decre.

decretum de reformatione per Concilium faciendâ, emissum esse. Quod in actis authenticis Concilij ita haberi *Sess. XL. Sacrosancta Generalis Synodus Constantiensis in Spiritu sancto legitime congregata, universalem Ecclesiam representans statuit & decernit, quod futurus Romanus Pontifex per Dei gratiam de proximo assumendus, cum hoc sacro Concilio, vel deputandis per singulas Nationes, debeat reformare Ecclesiam in Capite & in membris, & Curiam Romanam &c.*

Refutatio istarum Exceptionum.

61. **T**epsum confodis Elliesi, dum contendis, Joannem XXIII. à quo erat convocata Synodus Constantiensis, fuisse legitimum Pontificem. Hinc enim inferretur, decreta Conciliaria, quæ habuissent ipsum contrarium, non extitisse valida in vi sanctionis Oecumenicæ, quippe destituta characterè per Christum definito, ut scilicet sua & unâ Patris Æterni assistentia, non præsidio esset Concilio, nisi dum Duo, nempe Christi vicarium Nomen gerens Papa, & Patres sub hoc characterè aggregati consentirent in unum. Atqui patet ex proximè antecedentibus, Joannem XXIII. restitisse, & oblototum fuisse adversus illâ tonamina, quæ nonnulli moliebantur contra Apostolicæ Sedis auctoritatem in Papa subjiendo Concilij iudicio. Si ergo Joannes XXIII. fuisset certus, indubitatus, & legitimus Papa, ex ejus dissensu prorsus jam infirmarentur Constantiensis *Sessio V.* decreta, in quantum statuissent auctoritatem Concilij Generalis super Papam etiam ad reformationem Ecclesie in Capite & in membris. Sed hoc misso; progredimur ad Elliesianas exceptiones solidioribus argumentis confutandas.

62. **P**rimò igitur. Quantumvis Concilium Constantiense initio Joannem pro Pontifice habuisset, nunquam tamen asseruit, seu iudicavit, debere ab alijs etiam Obedientijs reputari pro certo & indubitato Papâ, imò sub ipso Constantiensi Concilio Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracensis in schedula ex manuscripto Codice Capranicensi in Constantiensis Concilij appendice relatâ & publicatâ expressè concludere, non obstante Concilij Pisani, duos de Papatu contendentes condemnantis, aliumque Pontificem subrogantis, constitutione, per Joannem XXIII. Obedientiam prorsus receptâ, duas tamen Obedientias duorum illorum contendentium, atque Papatum pro tunc etiam prætendentium probabiliter tenere contrarium: sicque in hac opinione diversâ & adversâ veritate non minores esse difficultates *Juris & Facti*, quàm ante Concilium Pisani fuerant de justitia duorum contendentium. Quomodo igitur Cardinalis iste ausus fuisset talem proferre sententiam, si Joannes XXIII. pro certo & indubitato Pontifice intrâ Concilium Constantiense ab omnibus fuisset habitus?

63. **A**d hæc si Joannes XXIII. Papatus fuisset certus & indubitatus, quomodo Nuntius Gre-

gorij XII. in valvis monasterij Augustinianorum ejus insignia Pontificia Constantiæ appendens, non ab omnibus Concilij Patribus fuisset rejectus, dum tamen ex *Regeſto actorum Constantiensium* constat, plures ex Patribus id rectè factum sustinuisse, reliquis arbitrantibus, id Gregorio ipsi, si personaliter Constantiam venisset, licuisse, motâ solummodò questione de ejus Nuntio? Quomodo eidem Nuntio Gregorij publicum ingressum cum pileo rubeo facere cupienti, atque in plenâ Congregatione id exponenti, non data fuisset repulsa, dum tamen, teste *Regeſto Constantiensi*, prævaluit sententia Cardinalis Cameracensis, aliorumque cum ipso sentientium, ut tanquam Cardinalis posset cum pileo rubeo Constantiam publicè ingredi? Quomodo denique, dum Gregorius XII. se gerens pro Pontifice, juxta acta *Sessiois XIV.* prætendat potuisse, ut prius, quàm de Pontificatu cederet, à Concilio removeretur Joannes XXIII. præsentia, novaque fieret Concilij convocatio, imò ipsimet Patres in dictâ publicâ Sessione illam Gregorij postulationem admisissent, ejusque Pontificatus petitionem communi consensu acceptare potuissent, si ita fuisset certus Joannes XXIII. Papatus, ut consequenter Gregorij super hoc prætensione abique ullâ dubio tatis ratione pro nullâ fuisset habenda? Haec igitur fundamentum caret prætentiâ Cardinalis Cameracensis Petri de Alliaco sententia, quod ultra Joannes XXIII. Papatum, reliquæ dux Gregorij XII. & Benedicti XIII. de Papatu pariter contendentium Obedientia non improbabiler sustinuerint partes suas, sicque adeo in hac triplici Papatus prætensione non fuerint minores *Juris & Facti* difficultates, quàm ante Concilium Pisani erant de justitiâ duorum pro Papatu contendentium.

Quo supposito, pro secundo lubens contendendo Elliesio, potuisse Concilium auctoritate suâ agere, & decernere circa Joannem XXIII. Papatum, eò vel maxime, quod iste Papatus à Joanne præsentus, in foro Ecclesie perinde habendus esset, ac si re ipsâ non subsisteret, Cujus ratio in anterioribus jam deducta, consultò huc reducitur. Nam ex *Matthæi 16. capite* constat, claves regni cælorum cum Oecumenicâ ligandi & solvendi auctoritate non prius esse à Christo decretas Petro, ejusque adeo successorì, quàm inciperet esse petra, supra quam ædificaretur Ecclesia. Hæc autem Ecclesie ædificatio non subsistit nisi per fidem: unde non potest dici, à Christo conferri Petri successorì auctoritatem Pontificiam, seu clavium Ecclesie potestatem, nisi per fidem super ejusdem Domini Nostri verbis fundatam, fuerit ab Ecclesiâ receptus in petram, & fundamentum sui ædificij. Nequit autem stare fides de Papatu alicui ceu Petri successorì per Christum collato, nisi stet evidentia credibilitatis publica, & in facie sanctæ Ecclesie comprobata, de legitima ad Petri Cathedram Apostolicam successione. Quia igitur, quando tres sub triplici prætento Papatu subsistebant Obedientia, non erat evidentia creditilitatis ab Ecclesiâ unâ, sed in schisma potius

divisâ, publicè agnita & comprobata, quâ ostenderetur in facie Ecclesiæ, quisnam potiretur legitima in Petri Apostolicâ Cathedrâ successione jure: idcirco Concilium Constantiense omnino tunc poterat circa omnes & singulos illos de Papatu contententes discernere, prout Ecclesiæ sanctæ paci & unioni esset consultum ex abrogatione schismatis & subrogatione novi ac certi Summi Pontificis.

65. Sed ad quid pro tertio contendit Elliesius, non Joannem XXIII. duntaxat, sed postea electum Martinum V. habuisse Concilium Constantiense pro Generali Synodo? Hoc ex antecedentibus equidem jam haberetur refutatum, quibus hoc unice adijcere placet, revocando in memoriam, quod jam superioris extat probatum, nempe Synodum Constantientem, si in Sessione V. fecisset Decretum Concilij super Papam quoque certum superioritatis definitivum, ex tunc posuisset se in statu contrario erga characterem Concilij quâ Oecumenici Formaliter constitutum: quippe cum hic substituit ex nomine Christi immediatè erga hunc vicario, eo ipso autem, quod Sessionis V. Constantiensis Congregatio sanxisset superioritatem Concilij etiam *accepti* super Papâ certo, ea tunc vicario Christi immediato Papâ proprio characteri superposuisset characterem Christi immediatiorem, sicque adeo illum, qui est in Papa Christi immediatè vicarius character, sustulisset è medio: nec adeo stare potuisset Synodus in statuta Concilij etiam materialiter ac dispositivè Oecumenici. Ne ergo Synodus Constantiensis Generalitate etiam materialiter excidat, dicendum prorsus est, Decreta Sessionis V. statuere Concilij auctoritatem non super certo & indubitato Pontifice, sed super dubijs duntaxat, & in schisma divisilis Papis.

66. Sed videamus pro quarto. Quam ineptè Elliesius arguat Scheletratum ineptiæ, probantem, Constantienses post tres Obedientias inter se unitas longè aliter sensisse de potestate Concilij ad Ecclesiæ & in Capite & in Membris reformationem faciendam. Hujus namque probationis fundamentum desumit ille Vaticanæ Bibliothecæ Præfectus ex Gestis Constantiensis Concilij, in quibus refertur, quod post trium Obedientiarum unionem, magna animorum contentio exorta fuerit de reformatione Ecclesiæ in Capite & in membris: Natione Germanicâ & Rege Romanorum volentibus cam fieri ante electionem unius veri & indubitati Pontificis; reliquis verò Nationibus cum sacro Cardinalium Collegio volentibus, fieri post electionem ejusdem. In quâ contraversione cessit tandem Natio Germanica, præbens consensum de eligendo ante reformationem, dummodò à Concilio expediretur *assensuatio & cautio per decretum irritans, quod post electionem Papæ fieret reformatio ante coronationem Papæ, & administrationem aliquam.* Cum proinde ad hanc Nationis Germanicæ petitionem diversæ formæ decreti factæ fuissent, eis finaliter responsum fuit, quod *Papæ electus ligari non potest.* Numquid ergo hinc evincitur, longè aliam tunc fuisse sententiam Pa-

trum Constantiensium de auctoritate veri & indubitati Pontificis, quam ex decretis Sessionis V. conentur Adversarij obtrudere Orbi Catholico?

67. Quinto. Quibus ita se habentibus, facile evanescunt, quæ Elliesius in sua tertiâ & quartâ exceptione reposuit, firmumque adeo stat argumentum, quod præ tactus Schelestratus prolequitur in hæc verba. Si Concilium, inquit, seorsum sumptum, sit supra unicum & legitimum Pontificem, ac de legitimo Pontifice intelligenda sint Sessionis V. superioris allata Decreta, uti contendunt Adversarij cur, quælo, Concilium Constantiense hæc decreta in præsentem locum habere noluit? Cur non renovabat, Pontificem obedire debere Concilij decretis, adeo, ut, qui obedire contempserit, debite puniatur? Cur his fundamentis innixum, non judicabat electionem Pontificis in casu contumaciæ irritandam? Nihil hoc ut tentavit Concilium, quia aliena fuerunt à mente Patrum Constantiensium: unde responsum est, *Papæ electus ligari non potest.* Quando decreta Sessionis V. ab una Obedientia fuerunt edita, tres erant de Papatu contententes, & illa ad liberius obtinendam unionem, statuta sunt: quando verò agebatur post Sessionem XXXVII. de decreto irritante, sermo erat de unico & indubitato Pontifice deinceps eligendo, quem etiam ante coronationem ligari non posse, responsum est. Memoria scilicet repetebant Patres Constantiensis Concilij illud Antiquorum effatum, quod, qui summam potestatem ligandi & solvendi à Christo Domino acceperat in Petro, ita alios judicet, ut de illo nemo mortalium sententiam ferat, ideoque *Papæ electus ligari non possit.*

68. Nec pro sexto jam potest intento nostro officere Sessionis XL. Constantiensis Concilij decretum, ab Elliesio in fine quintæ exceptionis sue relatum. De ipsissimo namque isthoc decreto fatetur Elliesij confors Maymbourgus tract. suo histor. quod per id Papam non fuerit eo modo ligatus, quo Germani proposuerant. Quod Maymbourgi effatum patet ex ipsis etiam decreti verbis, cum in eo non reperitur pœna depositionis, quam futuro Pontifici Ecclesiam in Capite & in membris reformare decretauti, Natio Germanica imponi volebat. Cur autem hæc in parte Patres Constantiensis Concilij satisfacere detreabant Nationi Germanicæ, juxta secundum decretum Sessionis V. reiterando statutam Conciliorum super Papâ potestatem *coactivam*, si istud decretum reverà extendisset se ad verum etiam & indubitatum Papam? Nonne hinc evincitur, Sessionis V. decretum, ipsorum etiam Patrum Constantiensium judicio, ita fuisse coarctatum ad Pontifices dubios, tunc de Papatu contententes, ut locum non haberet in præsentem, quando agebatur de unico vero & indubitato Papâ? Quare præactum Sess. XL. decretum ita sanxit reformationem Ecclesiæ in Capite & in membris à futuro legitimo Papâ faciendam, antequam hoc dissolveretur Concilium: ut non nisi quoad vim *directivam*, nullatenus verò quoad vim *coactivam* concre-

H h h

necr

neret Pontificem postea eligendum: sicque adeo verificaretur, Papam etiam electum ligari non posse, nisi ex altioribus in fide radicatis principijs, decreta quoque Conciliaria concomitantibus; uti alibi demonstratum fuit.

ARGUMENTUM V. Schelestrati.

69. Inducitur hic Vaticanæ Bibliothecæ Præfatus, asseruisse, quod Sessionis V. imò & IV. decreta Constantiensia non sint approbata à Martino V. vel etiam ad tempus schismatis duntaxat confecta.

Exceptiones Eliesianæ.

70. Excipitur. Approbatum esse à Romanis Pontificibus Sessionis IV. & V. decretum, dubitari non posse, quin de omnibus quoque actis Concilij dubitetur.

Nam primò Joannem XXIII. uti habetur Sessione XII. Concilij, declarasse, atque professum fuisse: *Synodum Constantiensem esse legitimam Concilij Pisani continuationem, atque errare non posse, proptereaque ejus ordinationi, declarationi, & determinationi omnibus in rebus se stare, promittereque, se nunquam aliquo temporis processu contrarium.*

71. Secundò. Martinum V. Summum Pontificem electum, & omnium consensu tanquam legitimum probatum, non semel approbasse decreta Constantiensis Concilij, etiam sub unâ Obedientiâ facta. Inprimis enim Sessione XLII. vocare Concilium Constantiense Generale Concilium, approbareque Sessione XLIV. depositionem Joannis XXIII. ab eadem Synodo factam. Insuper confirmare decretum Concilij, quo jubetur futurus Pontifex indicere Concilium Generale, atque ad hujus Decreti executionem, distâ Sessione XLIV. futuri Concilij Generalis locum, Papiensem civitatem designare his verbis: *Cupientes ac volentes decreto hujus Generalis Concilij satisfacere, inter alia disponentes, quod omnino Generalia Concilia celebrentur &c.*

72. Tertio. Eundem Martinum V. Sess. XLV. fuisse protestatum: *Omnia & singula determinata & conclusa, & decreta in materijs fidei per præsens Concilium Conciliariter tenere, & inviolabiliter observare, & nunquam contraire quoquo modo, ipsaque Conciliariter facta approbare, ratificare, & non aliter, nec alio modo.* At verò haud ambigendum esse, quin inter ea, quæ Conciliariter facta sunt, collocari debeant Sessionis IV. & V. decreta, utpote quæ Nationaliter primùm expensa, postmodùm definita sunt in Synodo, non aliter, ac si ad fidem pertinerent. Hoc proinde esse, quod Martinus appellat Conciliariter factum, dum scilicet quidpiam in Nationibus singulis primitus examinatum atque discussum, postea in Synodo Generali omnium consensu definitum est: cum e contra Conciliariter facta dici nequeant, quæ apud Nationes tantùm deliberata atque conclusa, non autem ab universâ Synodo fuere probata: cujusmodi fuerunt tum Nationis Gallicanæ conclusio de Annatis non solvendis, tum propositio de damnando libro

Ioannis Falkenberg, & alia similia, quæ univèrsa Synodi sententiâ non sunt confirmata.

Refutatio istarum Exceptionum.

Exceptionis tuæ Eliesii fundamentum primarium, quo prætendis, de omnibus Concilij actis dubitari posse, si de Sessionis IV. & V. decreto, esse à Romanis Pontificibus approbatum, dubitetur, ruit ex apertis verbis Bullæ Martini V. confirmatorię Concilij Constantiensis. Nam ex antecedenter dictis constat, hanc Bullam non extendi, nisi ad ea, quæ contra errores Joannis Wiclef & Hus, ac Hieronymi de Praga, à Joanne XXIII. in Concilio Romano ejus Pontificatus anno III. fuerant decreta, nec non ad duas constitutiones ejusdem Joannis XXIII. atque ad statuta Constantiensis Concilij circa propositiones Wiclef, & Hus, ac circa errorem Bohemorum de communione sub duplici specie. Hæc igitur fidei decreta intra Concilium Constantiense sancita, indubitanter obtinent Sedis Apostolicæ confirmationem, non verò reliqua Sessionis IV. & V. acta, ut tenor diplomatis Apostolici evidenter docet.

Hinc igitur primò nullius valoris est exceptio ex hoc peita, quod Joannes XXIII. Sessione XII. profitendo, *Synodum Constantiensem esse legitimam Concilij Pisani continuationem, exinde promiserit, se stare ejus ordinationi, declarationi, & determinationi &c.* Tantum enim abest, quod Synodus Constantiensis ex hac Joannis XXIII. declaratione obtinuerit confirmationis Apostolicæ firmitatem, in quantum indubitata veritate certitudo est, quod Joannes id proferendo, non habuerit certum & indubitatum auctoritatis Apostolicæ characterem. Et ideo rectè professus est, se obstrictum stare ordinationibus & determinationibus Concilij etiam in decretis Sess. IV. & V. factis, dum adversus ipsum, cum Papam dubium, integra subsistebat Synodi quoque acephali, ex Episcopilibus characteribus coadunata auctoritas, ad ipsum etiam deponendum; uti alias probatum fuit.

Sed quid pro secundo energiæ est in exceptione Eliesiana exinde desumptâ, quod Martinus V. Summus Pontifex electus, & omnium consensu tanquam legitimus approbatus, Sessione XLII. Concilium Constantiense vocaverit *Synodum Generalem*? Numquid post tres obedientias prius divisas, & jam inter se unitas, dum Patrum decretis accessit character Apostolicus indubitatus, ejusque consensus auctorizativus, Constantiensis Concilio supervenit non tantùm materialis, sed etiam formalis generalitas Oecumenicæ Synodi constitutiva? Numquid decreta fidei sub unâ obedientiâ prius facta, sed à reliquis quoque obedientijs inter se unitis postmodùm recepta, & tandem à Martino V. legitimo Pontifice confirmata, exinde poteriebantur formali character Oecumenici Concilij? Numquid proinde Martinus V. Joannis XXIII. depositionem à Concilio factam approbans, ita firmabat Synodi adhuc acephalæ erga Papas dubios auctoritatem, ut propter

Exceptiones Elliesianæ.

reâ fas sit, talem potestatem in Concilio *ap-
phalo* extendere etiam ad certum & indubi-
tatum Pontificem? Nihil profectò ponderis
hinc recipit Elliesiana exceptio, quâ contendi-
dit, *Sess. IV. & V. Constantiensis* decreta firmâ-
sse Concilij auctoritatem super certo & indubi-
tato Papâ. Nec majoris valoris est mo-
mentum, ex eo desumptum, quòd idem Mar-
tinus V. volens decreto Generalis Concilij
Constantiensis satisfacere, quatenus statuit
Generalia Concilia omninò celebranda esse,
futuri Generalis Concilij locum, Papiensem
civitatem designavit: ex hoc enim plus non
evincitur, nisi quòd ille Pontifex lubens sit
amplexus ejus decreti vim *directivam*, absque
eo, quòd hæc juncta esset vi *coactiva*.

76. *Tertio*. Quam Elliesius ex *Sessione XLV.*
Constantiensi adfert Martini V. protestatio-
nem de observandis & approbandis, *que in
materijs fidei per Concilium Constantiense concil-
liariter facta fuerunt*: eviderenter concluditur ex
verbis ejusdem protestationis, hanc coarctari
ad decreta materiam fidei concernentia,
qualia non esse præacta *Sessionis IV. & V.* de-
creta, patet ex subsequentiis. Et hinc
ruit tota Elliesij consequentia prætenden-
tis, ea decreta *Nationaliter* expensa, & postmo-
dum in Synodo definita, esse *Conciliariter* fa-
cta: quantumvis enim hoc verum esset (cu-
jus tamen contrarium *in anterioribus* est proba-
tum) nullatenus contineri possent sub illa
Martini V. protestatione, utpote coarctata ad
decreta in materijs fidei *Conciliariter* sancita:
cujus tenoris haudquaquam esse præalle-
gata *IV. & V. Sessionis* ne ipse quidem Elliesius
audet simpliciter affirmare.

ARGUMENTUM VI. Schelestrati.

77. Inducitur hic Vaticanæ Bibliothecæ Præfe-
ctas adversus sæpe dicta *IV. & V. Sessionis*
decreta opposuisse, Martinum V. ea tantum
approbasse Concilij decreta, quæ ad materiam
fidei pertinebant: ijs autem verbis compre-
hendendi non posse decreta de auctoritate Con-
cilij supra Papam, quia scilicet ea nomine
tantum Constitutionum appellantur *Sess. V.*
cum ea, quæ spectant ad Bohemorum, & Hus-
situm negotium, eadem Sessione dicantur,
esse *super materiâ fidei*. Hinc intelligi, quòd
isthoc nomine ea tantum decreta compre-
hendantur, quæ hæreticos spectant: unde in
duobus Manuscriptis Bibliothecæ Vaticanæ,
singulis Sessionibus, ubi agitur de Wicleffitis
& Bohemis, præfigitur titulus iste *in materia
fidei, vel in causâ fidei*: cæteris verò Sessionibus
non præfigitur talis titulus. Tria proinde
materiæ genera in Constantiensi Conci-
lio agitata distingui solere, unum *materiæ fidei*,
secundum *unionis*, tertium *materiæ reforma-
tionis*. Per *primum* intelligi id, quod fiebat
contra hæreticos: per *secundum*, quod fiebat
contra tres contententes de Papatu, & pro-
trium Obedientiarum unione, ac electione
veri & indubitati Pontificis: per *tertium*, quod
fiebat pro reformandâ Ecclesiâ in Capite & in
membris.

78. *Excipitur primò*. Inter ea, quæ spectabant
unionem & reformationem, esse nonnulla,
quæ non solum ad disciplinam, sed etiam
ad fidem pertinent. Talem autem esse hanc
definitionem, quòd *Concilium Generale sit uni-
versam Ecclesiam representans &c.* Quis enim
neget, ad fidem pertinere, quòd Concilium
Generale universam repræsentet Ecclesiam,
quòdque errare non possit? Quæ cum *IV.
& V. Sessionum* Synodi Constantiensis de-
cretis contineantur, quis eas ad fidem pertine-
re neget? Manifestè istud patere ex eo, quòd
hujusmodi decreto non tantum de negotio
aliquo disponatur, aut ad tempus aliquod ca-
veatur, sed dogma condatur, atque decerna-
tur, quòd perpetuò idem est, nec mutari po-
test. Quamvis enim res disciplinæ & econo-
miæ variari possit, quòd tamen est circa hoc,
quòd est dogmatis, mutationem non habere.
Sic verbi gratiâ usum Calicis concedere, vel in-
terdicere laicis, rem esse disciplinæ, at dog-
matis esse, quòd non sit de necessitate salutis,
Calicem sumere. Hoc ergo cum definit Syn-
odus Constantiensis, cenleri de fide aliquid
definire. Ita pariter cum ad dogma perti-
neat dicere & credere, utrum Concilium Ec-
clesiam universam repræsentet, nec ne; ut-
rum errare possit, nec ne; utrum ei omnes,
atque etiam Romani Pontifices parere tene-
antur, tum *in fide*, tum *in reformatione Ecclesiæ
in Capite & in membris*: idcirco cum hæc de-
finit Synodus aliqua Generalis, non posse ejus
decreta ad fidem non pertinere. Et quem-
admodum ad fidem pertinent decreta Con-
cilij in Hussitas, quibus Romani Pontificis &
Ecclesiæ Romanæ supra alias prærogativa de-
cernitur, ita ad fidem pertinere debere decre-
ta, quibus universæ Ecclesiæ & Concilij Ge-
neralis supra Romanam Ecclesiam præroga-
tiva stabilitur.

79. *Secundò*. Hoc ipsissimum firmari ex Bul-
lâ Martini V. adversus errores Wicleffi, &
Concilij Constantiensis definitionibus, quate-
nus ibidem jubetur, interrogare suspectos
hæreticos, utrum credant & teneant, quòd quod-
libet Concilium generale, & etiam Constantiense,
universam Ecclesiam repræsentet. In quo haberi
respectum ad decretum *Sessionis IV. & V.* Item
dum ibidem jubentur interrogari: *Utrum cre-
dant illud, quòd Concilium Constantiense univer-
salem Ecclesiam representans approbavit, & appro-
bat in favorem fidei, & ad salutem animarum, esse
ab universis fidelibus approbandum & tenendum,
& quòd condemnavit & condemnat, esse fidei & bo-
nis moribus contrarium, hoc ab ipsis esse tenendum
pro condemnato & approbato?* Illos igitur, qui
decreta Concilij Constantiensis de auctori-
tate Synodi generalis supra Papam impugnant,
non posse huic interrogationi respondere, quin
vel opinionem suam abjurent, approbando
universa Concilij decreta, vel Martinum V.
temeritatis, erroris, & impudentiæ arguant,
utpote qui ea probare voluerit, quæ impro-
bari, oportuisset. Uno verbo Martinum V.
universæ Concilij Constantiensis acta & de-
creta,

creta, probare *Conciliariter* facta, jubendo scilicet ea omnia, quæ à Concilio ad fidem & salutem animarum spectantia definita sunt, approbari, & quæ ab eo damnata sunt, damnari. Nusquam excipere *Sessio IV. & V.* decreta: quæ ergo auctoritate, quæ fronte velle Adversarios ea esse excepta?

80. *Tertid.* Aliud porro contineri in eadem Bullâ, ex quo constet, Martinum Concilij Constantiensis decretis de auctoritate Concilij Generalis prorsus assensisse. Nam ad articulum *XLI.* errorum Wicleffi, qui est hujusmodi: *Non est de necessitate salutis credere, Romanâ Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias:* hæc habere Pontificem ad mentem Concilij Constantiensis: *Error est, si per Romanam Ecclesiam intelligat Universalem Ecclesiam, aut Concilium Generale, aut pro quanto negaret Primum Romani Pontificis, super alias Ecclesias particulares.* Ex quâ proinde observatione satis intelligi, Martinum existimasse, Universalem Ecclesiam, & Concilium Generale majorem habere auctoritatem: Romanum verò Pontificem habere Primum in Ecclesiâ super alias Ecclesias particulares, non autem potestatem Ecclesiâ Universâ, & Concilio Generali superiorem. Manere igitur, quoddam decreta *Sessio IV. & V. de auctoritate Concilij supra Papam* fuerint probata à Pontifice Martino V.

81. *Quartid.* igitur. Quando Schelestratus ait, hæc decreta *Constitutionum nomine in Concilio indigitari;* non impedire, quò minus ad fidem spectent, cum Constitutiones Synodales contineant fidei decreta. Quod autem ea, quæ errores hæreticorum spectant, vulgò appellantur materia fidei, factum esse ex communi loquendi more, quo solent ejusmodi controverſiæ specialiter nomine fidei indigitari: quamvis & alia sint, de quibus cum hæreticis nulla intervenit lis, quæ non minùs ad fidem pertineant. Sic in Concilio Tridentino, licet decreta & Canones contra hæreticos edita, specialiter appellantur decreta, de fide nihilominùs multa esse in *Capitulis de reformatione*, non minùs pertinentia ad fidem, quam quæ continentur in Canonibus.

Refutatio istarum Exceptionum,

82. *Primid.* Si constitutiones de Reformatione in Concilio Oecumenico editæ, recensendæ sint inter decreta fidei: sciscitor ex Eliesio; *An non igitur constitutiones & leges morum ab Oecumenica Tridentina Synodo sanctæ, perinde computandæ sint inter fidei decreta?* Si hoc affirmet, rursus percontor; *An igitur Gallia, constitutiones reformationis in sacrosancto Tridentino Concilio Conciliariter factas non recipiendo, coargui possit contrarietatis fidei decretis oppositæ?* Ne hanc gravissimam calumniam Christianissimo Regno imputemus, oportet indagare naturam decretorum fidei, unâ & constitutionum moralium. In his igitur ita discerni debet tum id, quod est *formale*, importans honestatis moralis formalitatem in ipsis fidei principiis radicatum & contentam, ut hæc formalitas importet necessitatem specificam

tionis in ordine ad salutem, ipsique fidei adversetur, impugnare velle honestatis ejusmodi moralitatem, in fidei principiis fundatam. Tum distingui insuper debet, quod in constitutionibus moralibus est *materiale*, importans actum individuum variis circumstantiis particularibus vestitum, & ex motivo honestatis moralis, taliter à Concilio seu Papa præceptum, ut in vi hujusmodi, licet humani præcepti superinduat necessitatem etiam exercitij. Quæ tamen legis humanæ seu Synodalis quoad exercitium obligatio, ut suam sortiatur effectum, prærequirit tum debitam promulgationem, secundum plures Doctores in singulis provinciis faciendam, tum secundum quosdam, singulorum seu Regnorum, seu Provinciarum de utilitate, & suo statui congruâ conformitate, consulere ex rationabili Legislatoris voluntate adhuc valentium, prudentem acceptationem. Sub quibus adeò circumstantiis ita primùm inducitur constitutio Synodalis Pontificiæ quoad exercitium obligatio & necessitas, ut hæc sit forma *substantivæ* constitutiva Legis humanæ quæ obligatoria. Constitat igitur ex his fundamentis; Synodalia morum decreta, si attendantur quoad formalitatem honestatis moralis in fide radicatum, ut sic reduci quidem posse ad ipsam fidem, siquæ adeò, quoad specificationem ex ejusdem formalis motivo desumptæ necessitatem intrinsecam, rectè dici, pertinere ad materiam fidei: attamen si eadem morum decreta Conciliaria spectentur secundum id, quod in ipsis est *materiale*, nempe secundum actum individualibus ex prudentia ponderandis, & circumspectè ad cujusque Nationis mores conformandis circumstantiis vestitum, ut sic minime esse materiam fidei, sed virtutis prudentiæ, nec adeò sub tali respectu reputari posse inter decreta fidei, sed inter constitutiones morales.

Hinc secundò advertendum est, à Schelestrato prudenter distingui tria materiarum genera, quæ in Constantiensis Concilio agitantur; unum scilicet *materia fidei*, per Divinum Verbum seu traditum, seu scriptum revelatæ; alterum *materia unionis*, quæ licet ponderanda fuerit ex principio fidei, unum Ecclesiæ Caput visibile efflagrantis, siquæ Patres in unam Synodum coadunatos, stricte obligantis ad extirpandum schisma, prudenterque statuenda media, quibus ea unitas restauraretur, eo ipso tamen, quod horum mediolorum sanctio originativè respiceret equidem fidei principia, sed resolutio & conclusio ex ijs faciendæ, ordinari deberet per virtutem prudentiæ, non in generalibus principiis Divinitus revelatis subsistentis, sed ad statuta particularibus circumstantiis circumspectè ponderandis vestita progredientis: idcirco horum materia non est fidei. Atque sic proportionaliter differendum est de tertio genere materiarum in Constantiensis Synodo sanctitarum, scilicet de *materia reformationis*.

Quibus præsuppositis, haud difficulter prima Eliesij exceptio eliditur per exemplum ab ipsomet hic propositum. Ait enim, *ipsum*

Calicis

Calicis concedere, vel interdiceret Laicis, rem esse disciplinam, at dogmatis esse, non esse de necessitate salutis, sumere Calicem. Quod utrumque omnino concedimus, Ellicius quoque revocamus ad principium ab ipso merito positum, quod nempe perpetuo ider nec mutari possit, quod est dogmatis, licet disciplina possint variari. Constat autem in antiqua Ecclesia Laicis fuisse potestatem sumendi quoque calicem Sanguinis Christi, quod tamen variatum est à Gelasio I. propter Manichæos, sub unius speciei, nempe Corporis Christi hæresin suam contegere solitos. Atque hoc ipsissimum Gelasij statutum ob varias rationes religiosas denovo mutatum est ab Ecclesia, prohibente Laicis usum sacri Calicis. Hoc igitur statutum in Concilio etiam Constantiensi contra Bohemos renovatum, non est dogmatis, sicque adeo præter sanctiones dogmaticas in Concilio etiam Constantiensi locus fuit alteri generi constitutionum Synodali-um, quod ut sic non esset dogmatis, sed disciplinæ, licet radicaretur in fidei principiis, attamen per prudentiæ circumspeditionem ad varias individuales circumstantias applicatum, spectaret ut sic ad prudentiæ, non autem fidei materiam.

Quo sic constituto, pro tertio ulterius progredior ad dictam Ellicianam primam exceptionem discutendam. Haud enim abnuo, esse de fide, quod Concilium Oecumenicum sit representans universam Ecclesiam, Sed mox oritur quæstio, an non æquè de fide sit, quod universalis Ecclesia in Concilio Oecumenico representata, ex hujus membris Hierarchicis, quæ in Nomine Christi codunatis coalescens, importare debeat etiam Caput, sub ejus, seu vicario Christi caractere, juxta id. capit. Matth. convocari, & consiliter debeat? Dum iterum de fide est, Ecclesiam in Oecumenica Synodo representatam errare non posse, iterum scilicet, an non æquè de fide sit, quod juxta citatum sacrum Evangelicum textum, ista in dogmatibus fidei decidendis infallibilitas pendeat ex consensu Duorum, quos idem sacer contextus indicat, esse Christi nomen vicarium in terris visibile, adeoque Papam seu Caput Ecclesiæ hoc caractere insignitum, unà cum Ecclesiæ Corpore hierarchico, ex Prælati Ecclesiasticis eo Christi nomine coadunatis coalescente? Quo rursus ita se habente, omnino concedo, quod Concilio Oecumenico ex Capite, & hierarchicis Ecclesiæ membris indivisibiliter subsistenti, sit potestas immediatè à Deo tum ligandi & solvendi, tum fidei dogmata sub consummata infallibilitate stabiliendi, sicque adeo dogmatibus fidei per tale Concilium definitis, nec non Decretis moralibus, quoad honestatis moralis in fide radicata specificationem, debeat ipse quoque Papa ex fide, & Religionis specificativo motivo parere. Sed procul adhuc abest, quod Papa hinc concludatur dogmaticis, imò & moralibus Concilij sanctionibus, nisi ex altiori fidei & Religionis principio, non autem ex præcisa ligandi & solvendi vel suâ, vel Concilij auctoritate subesse, tametsi quoad vim directivam, ipsis etiam Synodalibus constitu-

tionibus ad individuantes circumstantias contractis, atque ut sic ad prudentiam, non ad fidem spectantibus, ex vi Legis Eternæ eisdem sese insinuantis, ipsemet Summus quoque Pontifex teneatur se conformare. Sic sic adeo distinguere semper oportet inter fidei & prudentiæ legislativæ materias.

Quartò. Dum Martinus V. jubet interrogari suspectos hæreseos, utrum credant & teneant, quodlibet Generale Concilium, etiam Constantiense, universam representare Ecclesiam? In quo, ait Ellicius, respici ad Decreta Sess. IV. & V. Exinde sumo occasionem percontandi; An sermo ibi sit de Concilio Constantiensi considerato sub illo statu & tempore, in quo erat, dum Sessionis V. Decreta de Concilij auctoritate condebantur? Rursus, an Concilium Constantiense pro eo statu insigniebatur Christi vicario caractere? Et, an iste caractere pro tunc extiterit penes Joannem XXIII? Si Ellicius, uti aliàs contendit, hoc asserere nitatur, dum ex anterioribus perceptum habetur, Joannem XXIII. contraxisse illi per Gersonium primitus asserat, & post ipsius fugam in Concilio motæ Concilij super Papam auctoritati: manifestè hinc evincetur, pro eo statu Synodis Constantiensi Papam ab Ellicio legitimum appellatum Sessionis V. Decretis non tantum non impertivisse suum Christi vicarium caractere, sed positivè illis restituisse, adeoque Decreta illa pro tunc fuisse destituta caractere Concilij Oecumenici, nec adeo universam Ecclesiam non ex solo corpore hierarchico, sed etiam ex Capite vices Christi in terris visibiliter gerente consistentem, representasse. Quando igitur verificari potest, Concilium Constantiense respectu IV. & V. Sessionum, & ibi sancitorum Decretorum representasse universam Ecclesiam, nisi quando, & in quantum Martinus V. suo auctoritativo consensu & approbatione eisdem impertivisse suum Christi vicarium caractere? At Martinus V. in sua Bulla Concilij Constantiensis confirmatoriâ apercè dicit, se non confirmare seu approbare ultra sanctiones in Concilio Romano, & aliàs in duabus constitutionibus à Joanne XXIII. editas, nisi illa Concilij Constantiensis Decreta, & sententias, quæ sunt condemnatoria & reprobatoria errorum VVicleffi, Husli, Hieronymi de Praga & Bohemorum. Illa igitur Bulla Martini V. Sessionum Constantiensium etiam IV. & V. Decretis, quatenus concernunt illos errores ibi damnatos, adjecit equidem suum Christi vicarium caractere, sicque in ordine ad ejusmodi Decreta constituit Concilium Constantiense in statu Synodi completè & formaliter Oecumenicæ, non verò in ordine ad Decreta auctoritatem Synodi Generalis supra Papam legitimum sancientia, & ultratempus schismatis non tam re ipsâ, quam pec Adversariorum machinationes protensa, maxime cum ex littera Decretorum Sessionis IV. constet, ea fuisse coarctata ad extirpationem schismatis: Decreta verò Sessionis V. non nisi sub prævia Cardinalium, & Regis Galliæ Orationum protestatione, nec adeo Conciliariter edita fuisse, ex ipsis Synodi Constantiensis gestis & actis



actis sit perspicuum. Iuxta quam proinde restrictionem Bullæ Martini V. non aliorum Concilij Constantiensis Decretorum, nisi quatenus Wicleffi, &c. errores contingunt, approbatoria & confirmatoria, prorsus subsistit illa respectu hæreticis proponenda interrogatio; *Verum credant illud, quod Concilium Constantiense universalem Ecclesiam representans approbavit in favorem fidei, & ad salutem animarum: & quod istud ab universis fidelibus sit approbandum & tenendum, sitque ab ipsæ hæreticis ad veram fidem conversis pro condemnato & approbato tenendum, quod Constantiensis Synodus generalis (per auctoritativum Martini V. accessum formaliter & completè Oecumenica) condemnavit, & condemnat, esse fidei ac bonis moribus contrarium?*

87. Sed quid pro quinto enittitur Ellielius in sua tertia exceptione evincere ex hoc, quod quadragesimus primus Wicleffi error, quo dicebatur; non esse de necessitate salutis, credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias; sit à Pontifice ad mentem Concilij Constantiensis hunc in modum castigatus, ac emendatus; quod scilicet error sit, si per Romanam Ecclesiam intelligatur universalis Ecclesia, aut Concilium Generale, sive quatenus sub ijs verbis negaretur Primatus Romani Pontificis super alias Ecclesias particulares? An non advertis Ellielii, juxta illa Pontificis verba, sub Romana Ecclesia intelligi posse universalem Ecclesiam? Quomodo autem universalis Ecclesia denominari posset Romana, nisi ex denominatione Capitis? Quæ verò intelligi queat universalis Ecclesia, nisi quatenus unâ cum corpore importat etiam Caput? An non hinc evincitur, Concilium Generale universalem Ecclesiam representans (quod, ait Pontifex, per Romanam Ecclesiam posse intelligi) non debere ex præcis Ecclesiæ membris hierarchicis, sed unâ & Capite, vicarium Christi nomen, Concilij quæ Oecumenici formaliter constitutum præferente subsistere? Anne igitur fas est dicere, quod universalis Ecclesia, Romana dicta, potuerit à Concilio Constantiensi fuisse representata pro eo statu Sessionum IV. & V. dum carebat Capite certo & indubitato, vel etiam, si Joannes XXIII. fuisset legitimus Pontifex, dum positivè fuerat contrarius Decretis auctoritatem Synodi Generalis super Papam lancie molientibus? Profectò in illo IV. & V. Sessionis statu, dum nullus extiterat verus & certus Papa, suam Concilio auctoritatem Christi vicariam ingens, non poterat Concilium pro tunc *acephalum*, venire nomine universalis Ecclesiæ, sed erat quædam collectio ex Ecclesijs duntaxat particularibus, sive harum Capitibus, nempe Episcopis coadunata. Quia proinde error VVicleffianus esset, negare Primatum Romani Pontificis super alias Ecclesias particulares; consequens hinc est, Primatum Romani Pontificis super quasvis Ecclesias particulares protensum supereminere ipsi quoque Synodo *acephala*, quantumvis Generali, qualis fuerat Constantiensis, quamdiu ipsi non accessit ex Martino V. Oecumenicus Christi vicarius, solius Papæ antecedenter ad Conci-

lium quæ Oecumenicum, proprius character.

Quibus ita se habentibus, pro quinto progredimur ad vindicandum Schelestrati argumentum: cuius tenor, si integrè & sincerè referatur, in hunc modum se habet. Nempe contendebat Maymbourgius in tract. suo historico, Martinum V. etiam Decreta Sessionis V. quæ Concilij super Papa auctoritatem concernentia confirmasse, dum Sessione XLV. omnia & singula in materia fidei Conciliariter facta approbavit. Verum huic Maymbourgi prætensionem repoluera Schelestratus; an non videret Auctor ille, Martinum V. ibi solummodo agere de Decretis ad materiam fidei spectantibus, seu ut clarius exprimit ejusdem Pontificis Bulla, de articulis Joannis VVicleff, Ioannis Huss, Hieronymi de Praga, & Bohemorum, qui in Sessionibus publicis Conciliariter damnati erant, tanquam hæretici? Hos enim Martinus V. sepe pro damnatis habere significat, confirmans & probans Decreta in materia fidei Constantiæ edita; non verò decreta Sessionum IV. & V. de potestate Ecclesiastica, siquidem isthæc sub materia fidei non comprehenderentur, & à Patribus Constantiensibus pro articulis fidei edita non fuerint.

Firmatur hoc ex actis ipsius Constantiensis Concilij, quibus in Sessione V. refertur, quod electus Poznaniensis publicaverit ea Decreta per modum constitutionum Synodaliū, & quod post ejusmodi Decretorum publicationem idem Poznaniensis legerit quædam *advisamenta* in materia fidei, & super materia Ioannis Huss detenti per Concilium, & quodam Ioanne VVicleff ibidem subjunctâ. Annon igitur planum hinc redditur, ipsâ Sessione V. in qua illa Decreta sunt publicata, differentiam factam fuisse inter nonnulla, quæ per modum constitutionum Synodaliū publicata sunt, ac alia, quæ ad materiam fidei spectabant? Quandoquidem igitur ipsum Constantiense Concilium decreta Sessionis V. sub materia fidei non comprehenderit, consequens est; Martinum V. Sessione XLV. probando omnia & singula in materijs fidei conciliariter determinata, conclusa & decreta, non confirmasse Sessionis V. de potestate Ecclesiastica statuta, per modum constitutionum Synodaliū duntaxat edita. Hoc igitur Schelestrati argumentum ab adversa parte non integrè allatum confer cum quarta Ellielij exceptione, atque statim intelliges, hanc nullius esse valoris ac roboris, attentis præsertim illis, quæ antecedenter à nobis sunt expensa & deducta.

ARGUMENTUM VII. Schelestrati.

Inducitur hic auctor argumentari hunc in modum. Tantum adest, ut Martinus V. Sessionis IV. & V. Decreta de auctoritate Concilij super Papam approbaret, quin econtra Pontificiam Concilio *Acephalo* superiorem ostenderit, dum solus obstitit Concilio, ne liber Ioannis de Falkenberg damnaretur, cumque unus ex Polonia Regis Legatis ad futurum Concilium sese appellaturum diceret, Pontifex

ferat, ita ut teste Gerfonio *Dial. apologet.* in eo ageretur de occisione omnium Polonorum: Martinus V. quia librum illum *Sessione ultimâ Conciliariter* damnare volebat, videns tumultum inter plures exortum fuisse, & jactitari ab aliquibus, errorem Ioannis Parvi in Concilio Constantiensi damnatum, de Tyranno per quemlibet occidendo, fore renovandum, nisi libellus ille censurâ publicâ proscriberetur: exinde idem Pontifex ad hujusmodi exprobrationes respondendo declaravit: *Si omnia & singula in materiâ fidei per Constantiense Concilium Conciliariter sancita tenere, & inviolabiliter observare velle, ipsaque sic Conciliariter facta approbare & ratificare.* Quâ proinde declaratione manifestum omnibus fecit Pontifex, à se quoque confirmari Constantiense Decretum adversus Ioannem Parvum *Conciliariter* editum de non occidendo Tyranno, quod Decretum quia Martinus V. specialiter non approbaverat, aliqui ab eo non confirmari credebant. Quandoquidem ergo in hac declaratione authentica Decretum de non occidendo Tyranno, computetur in materijs fidei à Synodo Constantiensi *Conciliariter* sancitis, ideo nefas est, talem Martini V. confirmationem extendere ad ulteriora Decreta, quæ vel non sunt in materiâ fidei, vel non fuerunt *Conciliariter* statuta.

Exceptionis Elliesianæ.

EXcipitur primò. Martinum id fecisse, quod facere consueverunt omnes ad summum evecti fastigium, ut immemores eorum, quæ prius tenuerunt, aliam mentem induant, quippe cum is ad Pontificatum à Concilio evectus, quamdiu Concilium stetit, sese morigerum & obedientem Synodo præstitit, nec suam potestatem illius prætulit auctoritati. At statim atque Concilio finis impositus est, cœpisse suam extollere auctoritatem: Tum quando de libri Ioannis a Falkenberg damnatione actum est, de quo amplius fieri mentionem noluit: tum quando de appellatione ad futurum Concilium agebatur, hæc propositio eidem displicuit, & demum statuit, non posse à Pontifice ad Concilium appellari. In quo haud advertibat, id si verum esset, stare non posse ipsius electionem, & Ioannis XXIII. Benedicti XIII. ac Gregorij XII. abdicationem: quippe cum tantundem sibi juris potuissent arrogare contra Pisanam & Constantiensem Synodum, sicque prohibere, ne à suis sententijs provocaretur ad Concilium; cum præsertim unus ex ijs legitimus esset Pontifex.

Secundò. Si reponatur, in casu schismatis locum habere provocationem à Pontifice ad Concilium, tunc illam Martini constitutionem de non provocando ad Concilium, defendi non posse, cum necdum schisma finitum fuerit eo tempore, quo illa promulgata fuit, utpote superstitit adhuc Petro de Luna, qui se jactabat legitimum Pontificem. Sed ut res se habeat de Martini V. privatâ mente, responderi adhuc posse, cum *Sessionis IV. & V. Decreta* nunquam publicè & authenticè reprobasse. Nam constitutionem illam, cujus adornatæ mentionem facit Gerfon, promulgatam non fuisse per orbem, sed hucusque latuisse ignoratam.

Refutatio istarum Exceptionum.

QUAS Elliesius sinistras adversus Martinum V. imputationes, ne dicam criminationes, jactat, minimè elidunt Schelestrati duplicatum hic productum argumentum.

Primò. Quod attinet Ioannis à Falkenberg librum, res ita se habet. Cum nempe Legati Regis Poloniæ *Sessione XLV.* institissent pro damnatione famosi libelli Ioannis à Falkenberg, qui teste Cromero Warmiensi Episcopo, à Cruciferis subornatus, in Uladislaum Regem, & in omne Polonum Nomen scrip-

serat, ita ut teste Gerfonio *Dial. apologet.* in eo ageretur de occisione omnium Polonorum: Martinus V. quia librum illum *Sessione ultimâ Conciliariter* damnare volebat, videns tumultum inter plures exortum fuisse, & jactitari ab aliquibus, errorem Ioannis Parvi in Concilio Constantiensi damnatum, de Tyranno per quemlibet occidendo, fore renovandum, nisi libellus ille censurâ publicâ proscriberetur: exinde idem Pontifex ad hujusmodi exprobrationes respondendo declaravit: *Si omnia & singula in materiâ fidei per Constantiense Concilium Conciliariter sancita tenere, & inviolabiliter observare velle, ipsaque sic Conciliariter facta approbare & ratificare.* Quâ proinde declaratione manifestum omnibus fecit Pontifex, à se quoque confirmari Constantiense Decretum adversus Ioannem Parvum *Conciliariter* editum de non occidendo Tyranno, quod Decretum quia Martinus V. specialiter non approbaverat, aliqui ab eo non confirmari credebant. Quandoquidem ergo in hac declaratione authentica Decretum de non occidendo Tyranno, computetur in materijs fidei à Synodo Constantiensi *Conciliariter* sancitis, ideo nefas est, talem Martini V. confirmationem extendere ad ulteriora Decreta, quæ vel non sunt in materiâ fidei, vel non fuerunt *Conciliariter* statuta.

Secundò. Quia idem Pontifex in prætaxatâ declaratione adjecit clausulam, & non aliter, nec alio modo, rectè hinc advertit Spondanus, Martinum V. non solum respondisse ad petitionem Legatorum Poloniæ, indicando, licet libellum Ioannis à Falkenberg damnare nollet, à se tamen reprobari errorem de occidendo Tyranno: sed eâ occasione significasse, quæ Concilij Decreta ipse auctoritate Apostolicâ ac supremâ probaret, quæ verò non: *Ne si antea quidquam* (sunt verba prætaxati Spondani) *de ijs agere voluisset, tumultum in Patribus excitaret ob ea, quæ ambigüe decreta fuerant de auctoritate Concilij supra Pontificem, & de Synodi potestate reformandæ Ecclesiæ tam in Capite, quam in membris. Has enim propositiones, uti sonare videntur, absolute sumptas, nullo modo Martinus agnoscere, aut approbare voluit, utpote contrarias existimatas & praxi antiquioris Ecclesiæ, & collatæ à Christo Domino Petro, ejusque successoribus auctoritati ac potestati, ipsiq; demum naturæ rei, quâ Caput debet membra regere, non regi à membris. Hoc adeo testimonium hujus Gallicani Episcopi tantò pluris faciendum est, quantò certius noscitur sedulo pervolvisse manuscriptos Constantiensi Concilij codices Parisijs in Bibliothecis Christianissimæ Regis, & S. Victoris asservatos.*

Tertiò. Desinat igitur Elliesius in primâ sua exceptione jactare, ac si Martinus V. ad Pontificatum à Concilio evectus, stante quidem Concilio, sese huic obedientem præstitisset, eo autem finito, plus æquo extulerit suam auctoritatem, interdicens appellationem à Pontifice ad futurum Concilium. Non enim levis de causis adductus fuit, ad Concilij super Papa certo præsertim, ac indubitato auctoritatem impugnandâ: noverat enim, quan-

92. *NTU M VII. Schelstrati*
 93. *uctor argumentum*
ntum abest, ut Martinus
r. Decreta de auctoritate
robârit, quin eorum
Asphaltæ superore
bstiuit Concilio, vel
berg damnatur, vel
Regis Legatus ad
ppellatum dicitur, &

94.
 95.

tà animi constantiâ Cardinalis Zabarella sese opposuerat articulo, quo Constantiensi Synodo tribuebatur auctoritas *reformandi Ecclesiam in Capite & in membris*. Memoriâ retinebat, quàm graviter plerique Cardinales cum Regis Gallie Oratoribus contra *Sessionis V. Decreta* protestati erant. Optimè sciebat, quot contentiones post trium Obedientiarum unionem in Concilio excitatæ fuerint, ne fieret reformatio Ecclesiæ ante electionem unius veri, & indubitari Pontificis. Oculatus testis extiterat iurgiorum, rixarum, & periculorum, quæ Cardinales subierant, ut Patres Concilij materiam reformationis referrentur iudicio futuri Pontificis. Oblitus non erat responsi, quod Nationi Germanicæ petenti Decretum Pontificiæ electionis irritans per modum cautionis de fiendâ per futurum Pontificem reformatione, datum fuerat: quòd scilicet *Papa electus ligari non possit*. Præsens fuerat, quando Concilium auctoritate *coactivâ* abstinerat in suis Decretis, legitimum Pontificem spectantibus. Non multum temporis transiverat, quo ante Sessionem ad articulum II. de reformationibus Sedis Apostolicæ, & articulum VIII. de officijs Cancellariæ & Pœnitentiariæ reformationibus, nè verbum quidem Nationibus & Patribus Concilij responderat, quia ad ipsos reformationem in Capite, seu Curia Romana spectare, non credebatur. Mente tenebat datum eodem tempore à se, & pluribus Nationibus responsum ad articulum Germanorum; propter quæ, & quomodo Papa possit corrigi & deponi: quòd nimirum eâ de re, quia novitatem sapiebat, nihil statui deberet. Et ne quisquam sequentibus temporibus ex *Sessionis V. Decretis* probandum suscipere, legitimum Pontificem *iudicialiter* corrigi, vel deponi posse, *Sessione XLV.* ex petitione Legatorum Regis Poloniæ, ipsomet etiam Spondano animadvertente, occasionem cepit exponendi mentem suam de eorum invaliditate, dicendo, se auctoritate Pontificiâ non probare Synodi Constantiensis Decreta, quæ aliter, quàm in materia fidei *Conciliariter* acta fuerant: ut sic indicaret, Decretum primum *Sessionis V. de reformatione Ecclesiæ in Capite & in membris*, & Decretum secundum de potestate *coactivâ*, quatenus contingere possent Papam indubitanter legitimum, tanquam aliter & alio modo, quàm *Conciliariter* & in materia fidei facta, à se neque probari, neque in auctoritatem recipi.

86. *Quartò.* Proinde circa Martini V. Decretum de non appellando à Pontifice ad Concilium, audiamus Universitatis Parisiensis Cancellarium in *Dialogo apologetico pro Constantiensi Concilio*, ita loquentem: *Pro parte Dominorum Polonorum interjecta est tandem appellatio ad futurum Concilium. Cui appellatiōi, cum respondendum esset, lata est, ut dicitur, in Consistorio Generali & publico, quod ultimò Constantiæ celebratum est, minuta quedam sub formâ Bullæ: continebaturque; in nullo casu licere appellationem à Papâ facere, nec ejus iudicium in causâ fidei declinare. Idem Gersonius refert insuper hujus Bul-*

læ tenorem: *Martinus V.* inquiens, in sua constitutione ad perpetuam rei memoriam factâ: & promulgatâ in Consistorio Generali celebrato Constantiæ sexto Idus Martij, Pontificatus sui anno primo, ita decrevit, nulli fas esse à supremo iudice, videlicet Apostolicâ Sede, seu Romano Pontifice Iesu Christi vicario in terris appellare, aut illius iudicium in causis fidei (quæ tanquam majores ad ipsum & Sedem Apostolicam deferendæ sunt) declinare. Quomodo igitur Martinus V. clarius, ac expressius exponere potuit set Sedis Apostolicæ super Concilio auctoritatem? Nititur equidem Gersonius illud Decretum ita exponere, ut nemini fas sit, à Sede Apostolicâ appellare ad Ecclesias particulares, seu Metropolitanas, & Episcopos singularem sumptos, secus tamen, ait, esse, quando admatum fuit in Concilio, Universalem Ecclesiam representantem.

Sed quis non videat, hanc expositionem pugnare cum apertis verbis Martini V. quibus continetur etiam ratio appellatiōis à Romano Pontifice interdictæ, quòd nimirum Pontifex sic Iesu Christi in terris vicarius, à deo quæ Divinitus ovili Ecclesiæ præpositus, & supremus iudex constitutus. Quomodo autem subsistere possit, Romanum Pontificem, uti alias decrevit Constantiensis Synodus, esse immediatum Christi vicarium, si Concilium esset adhuc immediatius, sicque superius Papâ, cum tantò major sit in Ecclesiâ superioritas, quanto auctoritas Christi vicaria est immediatior? Nequit ergo illa Gersonij responsio conciliari cum Martini V. constitutione, ipsomet etiam Gersonio in tractatu, quomodo, & an liceat à Summo Pontifice appellare? discrete asseverante, Decretum illud Pontificium pugnare cum Synodalibus constitutionibus anno 1415. sexto Idus Aprilis Constantiæ editis. Cum igitur istæ Synodales constitutiones sint ipsa duo priora Decreta *Sessionis V. de potestate Ecclesiasticâ*, sinè communi deliberatione, Cardinalibus ac Regis Gallie Oratoribus in contrarium protestantibus edita; quæ Gersonius de superioritate Concilij intellecta, & probat per Martini V. Constitutionem labefactari: idcirco planum hinc redidit, Martinum V. non approbasse, sed improbasse illas constitutiones quinta Constantiensis Sessionis.

91. *Quintò.* Adversus præactum Martini V. de non appellando Decretum, excipit equidem Maymbourgeois, non esse factum *Conciliariter*, neque sacro approbante Concilio, neque cum consensu Ecclesiæ. Sed hoc etiam posito, minimè adhuc verificatur, Martinum V. habuisse ratas Sessionis V. Constantiensis de auctoritate Concilij constitutiones? Hoc autem posito, hinc jam deficit forma substantificæ Oecumenici Concilij, juxta *Matth. 18. caput* consistens ex Christi vicario, Papæ proprio caractere, consensuque Duorum, corporis scilicet unâ & Capitis Ecclesiæ, Christum in terrâ representantis. Imò verò, quomodo fieri potest, Patres Constantiensis Concilij tacite saltem non approbasse illam Martini V. de non appellando constitutionem, utpote quæ in Consistorio publico

publico, presentibus Ecclesie Romanæ Cardinalibus, Constantiæ edita fuit, dum omnes Concilij Patres in eadem civitate adhuc presentes erant, nullo in sequentibus Sessionibus se opponente, sed universis permittentibus, ut Sessionis XLV. actis insereretur? Quinimò, cum illud Martini Decretum latum fuerit ex occasione, quòd Poloni appellarent ad futurum Concilium, eò quòd Pontifex ille nolisset ratum habere Patrum Constantiensium Conciliariter congregatorum Placitum de damnando libello Ioannis à Falkenberg; numquid ex hoc redderetur iam manifestum, Martinum appellationem à Sedis Apostolicæ iudicio ad Concilium Universale interdicens, ostendisse, se nullatenus subiectum esse Concilij iudicio, sedque contestatum fuisse supremum in Ecclesia iudicem, à quo, ipsemet etiam teste Gerfonio, ad Concilium Universale appellari non sustineretis Pontifex.

Sextò. Reponet Adversarius. Ab ipsismet Patribus Concilij Constantiensis sub huius finem fuisse interpositam appellationem à Papa ad futurum Concilium, casu, quo Martinus V. Pontifex Maximus nolisset Decreta fidei Conciliariter conclusa, suæ autoritatis accessu & consensu approbare, atque confirmare. Verùm ex hoc ipso videtur clarè à Patribus Constantiensibus agnita fuisse Papæ supra Concilium acephalum autoritas. Ubi namque Decreta fidei fuerant Conciliariter conclusa, ad sui firmitatem, & consummatam fidei infallibilitatem, ex Christi præscripto, ita indigebant Papæ consensu autorizativo, ut ad hunc à Summo Pontifice exigendum jus esset tum Concilio acephalico adhuc spectato, tum singulis Præsulibus, vel etiam fidelibus universis. Quòd si proinde Papa tunc Decretorum Conciliarium autorizativum consensum suum non tantum denegasset, sed, si quæ à fidei veritate fuissent discordantia, positivè reprobasset, tunc Decreta eiusmodi nulla, & inania extitissent. Ubi verò Pontifex suum consentum, sanctionem Synodaliū autorizativum suspendisset, tunc harum firmitas tamdiu mansisset in suspensio, quamdiu non esset eidem accessura Summi Pontificis approbatio & confirmatio. Quare tum Concilio, quamdiu hæc non accederet, acephalico, tum Præsulibus Ecclesie jus erat semper integrum, apud Papam instandi pro tali consensu: & dum iterum, iterumque suspenderetur, causam petrahandi ad futurum Concilium, ut in eo caperetur experimentum, vel de conjungendo utriusque, Concilij scilicet, & Papæ consensu, vel de huius positivà, sicque Decretorum annullativà reprobatione. Juxta quem adeò modum sub Constantiensis Concilij finem interposita hypothetica, à Papæ gravamine (si nimirum noller suum autorizativum consensum Decretis Conciliariter factis adungere) ad futurum Concilium appellatio nihil aliud importabat, quam instantiam ad efflagitandam mutuam & Papæ & Concilij, seu presentis, seu futuri, super Conciliaribus Decretis consensionem,

ut omnimodæ hinc infallibilitatis certitudo, & firmitas consummata accederet Synodalibus sanctionibus. Ex cuiusmodi adeò appellationis modo & conditione per se liquidum & manifestum est, nullam inde probari Concilij præsertim Acephali super Papam, sed Papæ potius super Synodo Acephalico spectatam superioritatem.

Hinc septimò facilè evanescent illæ consequentiæ, quas Eliesus in sua tom primâ, tum secundâ præsentis exceptione faciebat. Cum enim Pisana Synodus super ipsos etiam schismaticos, ac dubios Papas, non aliter præsumplerit assumere iudiciariam de eis deponendis autoritatem, nisi quatenus fovendo schisma, præsumptivè iudicari poterant esse hæretici, utique dicendum est, Concilium quoque Constantiense in suis Decretis non erga Papam legitimum, sed erga schismaticos de Papatu contententes sibi arrogasse autoritatem. Et hinc omninò cessat Eliesiana exceptio, ac si illi dubij Papæ (in hoc enim censu extitisse quoque Ioannem XXIII. constat ex dictis superioribus) potuissent Concilio facere inhibitionem, ne huic liceret, contra se facere processum. Nec est alicujus firmitatis sublequens Eliesij replicatio ex eo petita, quòd, dum Martinus V. edidit suam constitutionem de non provocando ad Concilium, schisma pro tunc non fuerit finitum: quantumvis enim Petrus de Luna se iactitavit, eo adhuc tempore esse legitimum Pontificem: attamen jam erat Concilij autoritate super Papas dubios justè protensa depositus, ut nullum ex ipso jam vigorem habere posset schisma de jure prius extititum. Quomodo autem illa Martini de non appellando, constitutio prætendi potest, non fuisse per orbem promulgata, atque hucusque esse ignota, cum tamen Bullæ Cæneæ Domini promulgatio eam ubique faciat cognitam.

ARGUMENTUM VIII. & ultimum Schelestrati.

Inducitur hic Vaticanæ Bibliothecæ Præfatus argumentari ex hoc: quòd præacta Decreta quartæ & quintæ Sessionum Concilij Constantiensis, ad tempus tantum schismaticis pertineant, nec adeò extendenda sint ad illud tempus, quo unus est Pontifex legitimus.

Exceptiones Eliesianæ.

Excipitur primò. Concilium Constantiense generatim loqui de omni tempore, & de omni reformatione Ecclesie in Capite, & in membris, tam in fide, quam in moribus, non autem tantum de extirpatione schismaticis.

Secundò. Non tantum loqui de hoc vel illo Concilio, sed generatim de cuiuscunque Generalis Concilij Decretis, quibus omnes, atque ipsi etiam Pontifices, quovis tempore parère oportere, ibi definiti, sententiam que excommunicationis, seu pœnitentiæ ferri in eos, qui Decretis Conciliorum non parèrent.

Tertio. Supremam hanc Concilij auctoritatem à Patribus Constantiensibus deduci ex eo, quòd Synodus Generalis univèrsam repræsentet Ecclesiam, & errare non possit, quod cuius Concilio Generali, quovis tempore celebrato, æquè convenire. Concilium quoque Constantiense tulisse iudicium non solum in illegitimos Pontifices, sed etiam in legitimum Ioannem XXIII.

Quarto. Illud ipsum Concilium *Sessione XVII. & XXXIX.* condidisse leges, quibus futuros Pontifices teneri voluerit. Non ergo censuisse tantum, se tempore schismatis legem Pontificibus imponere posse, sed etiam leges condere, quibus Pontifices legitimi tenerentur.

Refutatio istarum Exceptionum.

103. *Primo.* Præscindendo etiam à Manuscriptis codicibus ex Schelestrato hætenus adductis, & insistendo Basiliensium de Synodi Constantiensis actus compilationi, nec non Cleri Gallicani verbis *secundo suo articulo expressis*, adhuc evincitur, quòd Decreta *quarta & quinta* ejusdem Concilij Sessionum sint restricta ad tempus schismatis, & ad statum Papæ dubij: prout videre licet *superius à n. 28.* Quæ si consulas, faciliè animadvertes imbecillitatem exceptionum *Elliesij* hinc deductarum.

104. Hinc pro *secundo ad tertiam Elliesij* exceptionem progrediendo, prorsus concedo, supremam Concilij auctoritatem deduci ex eo, quòd *univèrsam repræsentet Ecclesiam*. Nequit autem univèrsa sublitte Ecclesia ex præciso Prælatorum Ecclesiasticorum Corpore hierarchico, sed quâ informato per Oecumenicam Capitis, Christum in terra visibiliter repræsentantis præsidendam; siquidem Christus Concilij Oecumenici characterem sanxerit, ex nomine Christi vicario, solius Papæ proprio, infallibilitatemque in decidendis fidei dogmatibus statuerit ex consensu Duorum, & Corporis hierarchici, & Capitis Ecclesiæ mystici. Quare *indefinita* ligandi & solvendi potestas *Matth. 18.* promissa Ecclesiæ, nequit huic convenire in Concilio *acephalo*, sed Concilio *plenè* Oecumenico repræsentatæ. Sed neque isthæ Concilij Oecumenici *indefinita* ligandi potestas prævalere potest adversus alteram æquè *indefinitam*, Petri successoribus *Matth. 18.* promissam auctoritatem. Et hinc, si Concilium etiam Oecumenicum leges condar, quæ videantur ipsum quoque Papam concernere: nequeunt tamen isthunc obstringere *quoad vim coactivam*, sed *quoad vim*

duntaxat directivam, non ex præcisa Concilij *maximè acephali* auctoritate, sed ex altioribus fidei ac Religionis virtutum principijs, conscientiæ in iplo etiam Papâ obligatoriam. Quibus ita constitutis, faciliè jam evanescunt *tertia quoque & quarta in præsentis adductæ Elliesianæ* Exceptiones: maximè eùm Synodus Constantiensis pro statu *quarta & quinta* Sessionum fuerit *acephala*, minimè proin præpotens, ad Papam futurum, suis decretis obstringendum, nisi quatenus ipsdem erat accessorius auctorizativus Pontificis postmodum eligendæ consensus, quem tamen haud fuisse præstitutum decretis *IV. & V. Sessionis*, quâ auctoritatem Concilij super Papam, sed quâ fidei duntaxat materiam concernentibus, liquet multimodè *ex antecedenter deductis*.

Quibus pro *tertio, & ultimo* per modum coronidis subungere iubeat disquisitionem: *Quo in censu habenda sit Cleri Gallicani secunda hætenus ventilata de Concilio Oecumenico præposita* Fatetur equidem Clerus Gallicanus, *Apostolica Sedi, ac Petri successoribus Christi Vicarijs* verum *spiritualium plenam esse potestatem*. Quomodo autem hæc Christi Vicariæ potestatis plenitudo subsisteret, nisi protenderetur super quocunque *moralis* ad regnum cælorum ordinabilis? In ejusmodi autem *moralitatis indefinita* spherâ numquid sunt etiam decreta *Conciliaria*? Hæc equidem si *moralia* sint, etiam post sui ex confirmatione Pontificiâ authorizationem, secundum rerum exigentias, sunt mutabilia: si verò sint *dogmatica*, eatenus post sui ex characterè Pontificiæ authorizationis confirmationem, obtinent consummatæ in fide infallibilitatis, Primam Veritatem, seu fidei motivum *authoritative* applicantis certitudinem, ut ipsemet etiam Papa ob *Prima veritatis* eis taliter applicatæ *summam reverentiam*, teneatur ad illorum assensum. Nihilominus antecedenter ad eorum, ex Pontificiæ authorizationis accessu confirmationem, noscuntur in eo adhuc versari statu, ut super hujusmodi *Conciliaribus* sanctionibus comprobandis, adhuc protendantur Pontificiâ auctoritas, Ex quâ proinde protensione, *Quodcumque* ad regnum cælorum in terris ordinabile *moralis* complectente, mensuranda est illa vicariæ Christi in Summo Pontifice potestatis plenitudo, quam ipsemet etiam Clerus Gallicanus est professus, haud profectò substitura, nisi protenderetur super omni *Conciliari* decreto. Ex vi cujus adeò protensionis non Concilij supra Papam, sed hujus supra Concilium, quâ *acephalicè spectatum*, superioritas asserenda est.

F I N I S.

A R.